


HENRICUS CALLISEN

Nat: XI May M.DCCXL. Aetat. LXVII.

HENRICI CALLISEN M. D.

[illegible] D. A Consiliis Conferentiarum, Equitis Commendatoris Ordinis Dannebrogici, Directoris Generalis et Professoris [illegible] in Academia [illegible] Regia Hafniensi, Directoris [illegible] Fridericiani, [illegible] Societatis Scientiarum, Regiae [illegible] Hafniensis, [illegible] Scholae Medicae Pa[illegible] Academiae [illegible] et [illegible] Londinensis. [illegible] Membro.

# SYSTEMA CHIRURGIÆ HODIERNÆ

IN

USUS PUBLICOS ATQUE PRIVATOS

[illegible]

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO QUARTA AUCTA AC EMENDATA.

HAFNIAE.

APUD FRIDERICH BRUMMER

1815.

HENRICI CALLISEN M. D.

S. R. M. D. A Consiliis Conferentiarum, Equitis Commendatoris Ordinis Dannebrogici, Directoris Generalis et Professoris Primarii in Academia Chirurgorum Regia Hafniensi, Directoris Nosocomii Fridericiani, Regiae Societatis Scientiarum, Regiae Medicæ Hafniensis, Instituti Nationalis, Scholae Medicae Parisinae, Academiae Scientiarum et Artium Italicae, Londinensis, Antwerpinae cet Membro.

# SYSTEMA

# CHIRURGIÆ HODIERNÆ

IN

USUS PUBLICOS ATQUE PRIUATOS

ADORNATUM.

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO QUARTA AUCTA AC EMENDATA.

HAFNIAE.
APUD FRIDERICH BRUMMER
1815.

OMNIBUS AC SINGULIS

QUOTQUOT IN DANIA CHIRURGIAM

DOCENT, EXERCENT, COLUNT,

DISCIPLINAE SUAE ALUMNIS
CARISSIMIS:

HANC VLTIMAM AD ARTIS SALUTARIS

COMMODA PROMOUENDA

AB EORUM DOCTORE SENE

SUSCEPTAM OPERAM

SACRAM ESSE VOLUIT

AUTOR.

L. B.
S.

Pauca ſunt, quae de hac quarta operis mei editione monenda habeo.

Certior factus, quamuis in diuerſas Europae linguas eſſet conuerſum, nulla amplius in officinis librariis exſtare vltimae editionis latinae exemplaria, ac ſingula ſparſim obuia, prouti temporum iniquae rationes ſecum ferunt, pretio parum modico vendi, hincquae nouam editionem optari atque requiri; ea denuo procuranda ceſſi amicorum ſeu vetere ſeu noua conſuetudine mecum junctorum voto atque deſiderio, quanquam contra niterentur ingraueſcentes aetatis prouectae moleſtiae, ac negotiorum, quibus deſtineor premorque, multitúdo atque varietas.

Hac

Hac opera defungens addidi, quae cum mea fenis Artem falutarem per fexaginta fere annorum fpatium exercentis, tum aliorum folers experientia fuppeditauit; quumque in hac, uti in quauis praecedenti editione, hunc inprimis finem mihi propofitum habuerim, vt Chirurgiae principia atque praecepta, factique in ea excolenda per temporum decurfum progreffus breui fumma fifterentur, vnde plura mutandi fuborta eft neceffitas; hac quoque vice haud pauca, quae olim vera et vtilia mihi vifa erant, partim plane omittendo, partim prioribus rectiora fubftituendo correxi; id quod interdum paucis verbis feu lineis adjectis, nutibusque infertis efficere conatus fum; femper et ubiuis eo ductus confilio, uberem docentibus opportunitatem et materiam parandi, qua ad inftitutiones fuas illuftrandas amplificandasque vti poffent, et in difcentium manus librum tradendi, cujus vfu difciplinae chirurgicae ambitum contueri, ac juftum fingularum partium ordinem dilucide perfpicere et perfequi queant, immo et in eorum, qui in arte

fa-

ſalutari exercenda verſantur, memoriam revocandi ejusdem principia, ſtabilita omnis aeui experientia.

Chirurgica remedia, quae vniuerſales dicuntur, vna cum eorum in plurimis morbis vſu et juſta ea applicandi ratione, collecta exhibui, priusquam ad morbos in ſpecie conſiderandos progreſſus ſum.

Nil mutandum duxi in ordine, quem in iis recenſendis olim adoptaueram, cum quaevis recentius tentata eorum diuiſio in Claſſes et Ordines, in Genera et Species aeque ſuis difficultatibus et mendis laborare mihi viſa eſſet, ac ea, quae a me fuit delecta, quibus et quoduis repetitum tentamen obnoxium fore auguror. Inſuper ingenue profiteor, eum, quem ipſe ſequutus ſum ac retinui ordinem, a me caeteris aptiorem judicari ad diuerſos morbos, quos juxta eadem principia tractari oportet, vni velut intuitui ſubjiciendos.

Quoad ejus fieri potuit, apparatum chirurgicum ſimplicem praetuli compoſito.

Quippe

Quippe e mea quidem ſententia Medici prudentia et judicii probe ſubacti vis tum maxime nitet, vbi parabilis apparatus ope id efficere valet, quod alii ſumtuoſiore adhibito praeſtare conantur.

Si mihi confidere liceret, hac quoque ſyſtematis mei editione, cui vltimam manum admoui ſenex, ſtadii ſui metam cominus proſpiciens, ſolidiori artis, humano generi tantopere ſalutaris, ſtudio ac cultui ſeueriori conſultum iri, haberem laetandi cauſas, me exoptatiſſimos conatuum meorum fructus reportaſſe.

TA-

# TABULA MORBORVM SYSTEMATIS ORDINEM SISTENS.

Vol. I.



## PARS PRIOR.

MORBI VNIUERSALES.

## CLASSIS I.



## CLASSIS II.



*Hi morbi simplices generales in vniuersum quidem in corpore humano viuo haud occurrunt absque vitalitatis organicae aut animalis, sensus, motus, contractilitatis aliquali adfectione, tamen illos hic nominasse aequum duximus vt sub hoc titulo variorum remediorum generalium ratio atque dignitas elucescat. Motus sensusque vitia ad morbos locales referenda esse judicauimus.*

RE-

# REMEDIA CHIRURGICA GENERALIA. §. 82 sequ.



Chi-

# PARS ALTERA.



## CLASSIS I.



Spe-

# CLASSIS II.



6. Vn-

2. scro-

6. a

Spe-

a cor-

Spe-

a vul-

vul-

lacſi

d) con-

4. Frac-

PRINCIPIA SYSTEMATIS
# CHIRVRGIAE HODIERNAE VNIVERSAE.

## INTRODVCTIO.

I.

Chirurgia *eſt* illa Medicinae practicae pars, quae morborum corporis humani curationes externas, atque difformitatum ablationes comprehendit.

II. Omnis autem curatio externa vel nuda manu, vel inſtrumentis, vel remediis, plerumque omnibus his ſimul iunctis, ad corpus externe applicatis, *perficitur*, haud neglectis tamen medicamentis internis, victu et regimine, commodis. Vnde patet omnes Medicinae partes arcte adeo inter ſe nexas eſſe, vt nec vna reliquas ſecludat penitus, nec a reliquis deſtituta vincere morbos valeat.

III. Chirurgia adeoque *ſupponit* (I) exactam *corporis* humani ſani et aegroti, eiusque vt et mentis virium *cognitionem*, omnesqne diſciplinas, quae

hanc illustrant, confirmant, probant, nec non *indolem* et naturam *remediorum* perspectam scientificeque edoctam, et *rei instrumentariae*, *apparatus*, *deligationis encheiresiumque* notitiam justam.

IV. Chirurgia rationalis maxime innititur, ejusque fundamentum positum est in exacta *cognitione corporis humani mortui et vivi* animati ac vitalitate præditi. Priorem notitiam docet *Anatomia* corporis humani mortui, maxime quidem quoad partes solidas, unde variarum partium forma, situs, figura, textura vasculosa, nervosa, musculosa, fibrosa, ossea, cellulosa, membranacea; limites, circumscriptio, singularum partium ad alias ratio, nexus cum partibus vicinis, curiosa indagatione, subtiliori atque artificiosa dissectione, injectione, maceratione, exsiccatione, coctione, inflatione, putredine, chemica denique decompositione accuratius examinantur.

V. Posteriorem e contra suppeditat *Physiologia* cujus objectum est corpus humanum vivum, vita organica et animali præditum. Ardua hæc atque late extensa provincia anatomiæ præcipne innititur. Absque anatomia nullam adesse Physiologiam per se patet. Includit vero Physiologia, notitiam

titiam ac conditiones vitæ et mortis, vitæ organicæ atque animalis; leges naturæ, quoad functiones ſingularum partium varias, variosque apparatus qui inſerviunt nutritioni, circulationi, reſpirationi, reſorbtioni, digeſtioni, propagationi animantium, locomotioni, ſenſibus; quid denique valeant cerebri, gangliorum et nervorum nondum evolutus labyrinthus.

VI. Neque minus Chirurgo rationali eſt neceſſaria, *notitia remediorum externorum* quæ in morbis natura et facie diverſisſimis, avertendis atque curandis adhibentur, ac tanti in Phyſica, Chemia atque Botanica profectus, ut de remediorum indole, ſignis bonitatis atque effectu certior eſſe posſit Chirurgus. Huc pertinent non ſolum remedia externa *adſtringentia*, *repercutientia*, *irritantia*, *relaxantia*, *reſoluentia*, *anodina*, *ſuppurantia*, *detergentia*, *exſiccantia*, *cauſtica*, ex omnibus naturae regnis deſumpta, ſed ad variam ſimul attendatur eorum omnium *formam*, liquidam vel ſolidam, quæ ſub ſpecie *lauationis*, *ſtillicidii*, *balnei*, *fotus*, *embrocationis*, *cataplasmatis*, *vaporis*, *fumigii*, *vnguenti*, *emplaſtri* impoſitione, iniectione, inflatione

corpori humani imponantur, in cauitates eiusdem iniiciantur, idem totum, vel ex parte, his immergatur, humectetur, fricetur.

VII. Varius *instrumentorum ac machinarum apparatus* ad vſum magis quam glorioſam oſtentationem compoſitus, ſimplex, nitidus, rite confectus, indicationi ſpeciali morbi adaptatus eſſe debet.

VIII. Conſtituunt *apparatum deligationis* linamenta variaque inde confecta glomera, plumaceola, turundae aut ſimplices aut remediis imbutae, emplaſtra linteo aut corio illinita, ſplenia variae figurae et magnitudinis, faſciae multiplices ſimplices et compoſitae, ferulae, laquei, filamenta, puluinaria, loramenta aliaque pro ſcopo adaptata, quae omnia pura, nitida eſſe, et cum ſimplicitate indicationi ſatisfacere debent.

IX. Omnis tractatio artificioſa aegroti, quae aut nuda manu, aut medicamentis, inſtrumentis machinisue armata, vel faſciis denique et deligationibus varie paratis, pro ſanitate, quoad fieri poteſt, reſtituenda tuendaue, inſtituitur, audit *Operatio chirurgica.*

X. Ampla et ardua operationum prouincia in vnoquoque morborum genere diuerſiſſima artifici

ficia comprehendens, non doctrina ac ſtudio indefeſſo ſolis, ſed ſedula ſimul exercitatione *addiſcitur*, vegetas *corporis ſenſuumque vires animique conſtantiam ac firmitatem poſcit*, naturae nimirum dona, haud arte ſola ac ſtudio acquirenda.

XI. Verum enim vero non ſufficit diuerſorum auxiliorum externorum (II) efficaciam in auertendis et auferendis morbis probe noſſe eorumque applicationem rite didiciſſe: ſcire etiam oportet, quomodo eadem in corpus humanum agant, qualemque relationem ad cauſas morborum habeant. Vnde patet *veri nominis Chirurgum* illum ſolum ſalutandum eſſe, qui curationum externarum peritus et probe gnarus, harum quoque relationem ad ipſos morbos eorumque cauſas ex principiis, quantum fieri poteſt, certis deductam determinare valet. Quum vero operationes chirurgicae in vniuerſum haud commode in certum ordinem redigi et iuxta hunc pertractari queant, *morbos*, qui curationem externam admittunt, ipſos *contemplari*, et ſingulis deinde *Chirurgiam* opportunam *ſubiungere* praeſtat.

XII. Morbi in ſolis corporibus vitalitate praeditis adeſſe poſſunt. Absque vitalitate, vti in regno

mine-

minerali, nullus morbus. In regno vegetabili, vita organica prædito, ſoli morbi organici obſervantur. Cum vero regno animali præter dotes vitæ organicæ, vitalitatem quoque animalem largitus ſit Creator, patet animalia in vniverſum pluribus morbis et indole et ſpecie et complicatione diverſiſſimis eſſe obnoxios. Totum quidem regnum animale dotibus atque proprietatibus vitæ animalis majori minorive gradu gaudet, paucis tamen animalia, feræ præcipue, morbis ſunt obnoxii, quos inſtinctus animalis, quem illis largitus eſt Creator quo homo plane deſtitutus eſt, ad maximam partem avertit. Homo vero ſub organiſatione omnium animantium perfectiſſima, in ſcala animali in ſublimi faſtigio conſtitutus; cui loco inſtinctus, dotes intellectuales, ſcintillam illam divinitátis, et libertatem actionum magis extenſam dedit ſummus creator, quibus ſpecies humana de uno latere ad ſidera usque attollitur, de altero innumeris morbis indole et complicatione diverſiſſimis opportunitas conceditur.

XIII. *Morbus* in vninerſum *dicitur* ille corporis humani viui ſtatus, in quo non omnes actiones homini propriae, legibus integritatis naturalis corporis

re-

respondent. Quae qvidem actionum laesio maior, minor, varie differt gradu, modo, numero, extensione, duratione; quemadmodum differentia haec multiplex characteres largitur, quibus morbi ab aliis dignoscuntur. Talem notitiam status morbosi docet Pathologia.

XIV. Vitia praeter consuetum naturae ordinem in corpore humano viuo orta, quaeque ocyus serius per se nullam in actiones et functiones laesionem inducunt, *Deformitates* aut *Turpitudines* potius quam morbi dicuntur, et si auxilio externo auferri possunt, omnino in Chirurgiae prouinciam rediguntur.

XV. *Causae morbi* dicuntur in genere omnia illa, ex quibus coniunctis morbus totus surgit.

Causae morborum sunt

*a*) *praedisponentes*;

*b*) *occasionales*.

*c*) *internae*;

*d*) *externae*; prout occasio in penetralibus corporis gignitur, vel extus ad corpus ipsum propagatur.

XVI.

XVI. Quilibet morbus ſua habet *ſymptomata*, vel neceſſaria, *ſtabilia*, *manifeſta*, ſemper eadem, quae et praeſentem morbum declarant, et, quum ex natura eius profluant inque diuerſis morbis ideo diuerſa ſint, hunc ab omni alio diſtinguunt, vel *minus ſtabilia* ac *conſtantia*. Symptomata inde in ſcholis diſtingui ſolent in

*a*) *Symptomata cauſarum:*

*b*) *Symptomati morbi:*

*c*) *Symptomata ſymptomatum:*

*d*) *neceſſaria et conſtantia*,

*e*) *contingentia et temporaria.*

XVII. Futura *Prognoſi* in morbo perſpicimus et ominamur. Prognoſticon hocce conditur ex

*a*) obſeruationibus caſtis, compluribus, in ſimili caſu factis et reuiſis, conſtantibus, exacte cognitis ſimul et perſpectis natura ac indole morbi.

*b*) viribus vitae praeſentibus perpenſis et comparatis cum cauſis et ſymptomatibus morbi praegreſſis, praeſentibus atque futuris.

*c*) praegreſſa ratione vitae aegroti, corporis habitu

habitu firmo vel debili, aetate, ſexu, climate, ſub quo degitur.

His rite perpenſis ex arte concludere licet, quid in morbo ſecuturum ſit, ſi nihil noui, quod mutet aegri ſtatum, accedat. Semper circumſpectum et cautum tamen decet eſſe Chirurgnm in praeſagiendis morborum euentibus, ne aut nimia promittat, aut paruam rem attollat, quo plus praeſtitiſſe videatur.

XVIII. *Curatio morbi* eſt reſtitutio actionum et functionum hoc laeſarum in integritatem naturalem. Haec perficitur

1) *vitalitatis actione, ſic dictis viribus naturae medicatricibus,*

   *a*) vi naturae conſolidante, qua diviſa reuniuntur vti in vulneribus, vlceribus, fracturis.

   *b*) vi naturae ſuppuratoria, quae cruda, obſtructa, acria, aliena, gangraenoſa, carioſa ſeparat; interdum perdita reſtituit.

   *c*) vi naturae abſorbente, vti in hydrope, ecchymoſi aliisque tumoribus.

   *d*) vi naturae excernente, per cutem, renes, inteſtina, fonticulos, metaſtaſes, tumores cri-

criticos.

*e*) vi vitali incitata, vti in febri.

*f*) vi vitali ſuppreſſa per haemorrhagias, excretiones varias.

2) *artis auxiliis.*

viribus naturae ſuccurrendo, easdem nimias reprimendo, aberrantes redigendo, obices his obiectos auferendo, nouasne vias, vbi neceſſitas vrget, parando, omnia manus, inſtrumentorum, remidiorum ope.

XIX. *Sanatio* eſt

*a*) *poſſibilis vel impoſſibilis.*

*b*) *perfecta* ſ. *imperfecta.*

*c*) *radicalis* ſ. *palliatiua.*

*d*) *cita vel lenta* unde morbi diſtinguuntur in acutos et chronicos.

XX. Quum curationes morborum haud raro operationes (IX) requirant, diſcrimen vitae minantes, nunquam temere talem *operationem inſtituat* Chirurgus, antequam de neceſſitate, poſſibilitate atque vtilitate eius, de viribus aegroti operationi paribus, et veriſimilitate fauſti ſucceſſus convictus ſit, morbi indole, cauſis, ſymptomatibus ſimul in antecedum rite perpenſis. Praeterea ad operationem

grauem

grauem quamcunque ſeſe accingens curabit diligentiſſime

*a*) praeparationem corporis et mentis aegroti conuenientem.

*b*) adiutores, quantum fieri poteſt, inſtructiſſimos, expertos, operationibus adſuetos.

*c*) apparatum inſtrumentorum et deligationis neceſſarium, ad euentum quemque probabilem aptatum, quo omnia parata, et ad manus ſint.

*d*) locum ac *ſitum* aegroto atque Chirurgo commodiſſimum.

*e*) operationem ipſam, quae cum confidentia perficiatur et celeritate ſecura, modo parcatur ſimul aegroto, quantum per circumſtantias licet.

Operatione finita deligetur juſte et conuenienter aeger, qui tali adiumento indiget; occurratur ſtrenue deinde ſymptomatibus praeſentibus atque futuris pro genio morbi et indole horum, ad perfectam morbi curationem vsque.

XXI. Morborum *cauſae* in genere ſpectatae vel (*a*) in ſolidis vel (*b*) in fluidis humani corporis partibus haerent, quum corpus humanum, ſi con-

contrectabilem materiem ſpectes, in ſicco et humido exquiſite mixtis conſtet. Notandum tamen cauſas morborum maxime in partibus ſolidis majori vitalitate præditis ſedem habere, easque haud graviter affici quin fluida ſimul patiantur. Quænam cauſa morbifica vitalitatem partium ſolidarum, et fluidarum vel incitat vel deprimit vel deniqve abnormem reddit aut in toto organismo animali aut in loco primum adfecto, aut denique in diſtantiori. Morbi in hoc reſpectu dividuntur in morbos

1) *idiopathicos*

2) *ſymptomaticos* et denique,

3) *ſympathicos.*

XXII. Cauſae morbificae vel in vniuerſa ſolida aut fluida eorumque vitalitatem, vel in ſingulas tantummodo partes horum agunt. Quare morbi, ſolidorum haud ſecus ac humorum, deſtinguuntur.

*a*) in *vniuerſales* et

*b*) *ſingulares.* Poſteriores etiam *locales* ſ. *topici* dici ſolent.

XXIII. Morbi humorum vniuerſales qua tales *curantur.*

*a*) vel

*a*) vel *alteratione* humorum peccantium,

*b*) vel *euacuatione*, *deriuatione* et *reuulſione.*

XXIV. *Alteratio* raro auxiliis externis ſolis efficitur directe, quare morbi humorum vniuerſales, iuxta hanc indicationem ſpectati, omnino non ad obiecta chirurgiae (I) pertinent.

XXV. Humorum contra haec morboſe peccantium *euacuatio*, *deriuatio* atque *reuulſio* egent auxilio externo multiplici. Morbi itaque humorum vniuerſales hoc reſpectu quoad maximam partem Chirurgiae prouinciam ingrediantur, neceſſe eſt.

XXVI. Ad *morbos ſolidi humani vniuerſales* curandos requiritur, vt vel

*a*) *rigiditatis*, vel

*b*) *Laxitatis* exceſſus tollatur. Quæ proprietates tamen corporum haud organiſmo animali præditorum in corpore animali vivo vix unquam ſolæ occurrunt, et ſemper adfectione vitalitatis organorum junctæ ſunt, inde in vtroque caſu juſta hujus ratio habeatur.

XXVII. Quum hi exceſſus (XXVI.) vario auxilio externo tolli queant, ſequitur: morbos ſolidorum

rum vniuerſales maxima ex parte curationem chirurgicam omnino exigere.

XXVIII. *Morbi humorum locales* non ſolum ab ipſis fluidis peccantibus, verum etiam a vitiata ſimul ſolidi continentis atque vitalitatis conditione originem trahunt.

XXIX. *Solidorum morbi locales* contingunt, quotiescunque pars organica quoad integritatem functionis ſuae laeditur.

XXX. *Integritas functionis* laeditur

*a*) *cauſſa incitante*, quae gignit dolores, ſpasmos, inflammationes.

*b*) *ſolutione continui*, quae in vulneribus, apoſtematibus, vlceribus ac fracturis cernitur.

*c*) ab orificiis vel *luminibus* partium continentium peruiarum *dilatatis*, *anguſtatis* vel *occluſis* penitus, cientibus tumores frigidos varios, marcores, retentiones, reſolutiones, corruptiones ac ſuffocationes.

*d*) a *ſitu* partium naturali *mutato*, vti in hernia, prolapſu, deuiatione, luxatione, diaſtaſi.

*e*) *con-*

e) *conformatione praeternaturali,* qualis occurrit, in cohaerentia praeternaturali, abundantia vitiofa, ac defectu praeternaturali.

XXXI. Integritas functionum in partibus organicis, a plerisque (XXX.) enumeratis laefa, restituitur efficacisfime auxiliis externis: morbi itaque folidorum locales (XXIX.) praecipue auxilia chirurgiae (I.) pofcunt.

XXXII. *Chirurgiae limes* pertinet vfque quo necesfitas curationibus externis fubueniendi morbis furgit (I). Omnis itaque morbus partium continentium vel cententarum, quae corpus humanum vivum conftituunt, vniuerfalis vel fpecialis, qui curationem externam exigit, vel fimpliciter admittit, fiftit *Obiectum Chirurgiae.* Inde vaftisfimus patet chirurgiae ambitus, elucetque dignitas fumma.

XXXIII. Syftema chirurgicum condituri ad tradendas curationes morborum externas (II.), iuftas (IX.), adoptamus *ordinem generalem* a caufis nocentibus quæ morbum inducunt defumtum (XXX.): Ituri dein in *tractationem fingulorum* morborum, mox definitiones horum dabimus, differentias curfusque confuetos notabimus; iterum in principia,

cau-

caufas et fymptomata horum inquiremus ferio, determinaturi ex his diagnofes prognofesque fidas; demum Chirurgiam fingulis his congruentem ac rationem medendi optimam in graui auctoritate propriaque et repetita experientia noftra fida fundatam exponere tentabimus.

XXXIV. Sufficiat inde nominaffe folum morbos vniuerfales, qui folida corporis humani vivi aut fluida occupant eorumque vitalitatem turbant, et qui præcipue remedia interna fub regimine debito pofcunt, haud tamen remidia chirurgica generalia excludunt; a generalibus inde ad localium morborum fpecialem pertractionem ituri, qui chirurgiæ ope præcipue fanantur, præmiffis in anticesfum Chirurgia remediorum generalium externorum, quæ in omnibus morbis, vix ullo excepto, adhiberi folent.

---

PARS

# PARS PRIOR.

## MORBORVM VNIVERSALIVM CHIRVRGIA.

XXXV.

Quum morbus toti corpori inhaerens in partibus, quae id conſtituunt, ſedem habeat, fit neceſſum; morbus in vniuerſum aut *ſolidas* occupabit humani corporis partes, aut *fluidas* his contentas, aut *totam oeconomiam atque organismum animalem* atque vitalitatem ſimul excitat vel deprimit vel abnormem reddit. Morborum vniuerſalium tractatio inde in binis ſectionibus proponenda venit: in priori *ſolidorum*, in altera *fluidorum* adfectiones morboſas ſimplices, generales, quae curationem externam admittunt, conſiderabimus.

XXXVI. Notetur inde, *mutuum, arctiſſimumque* in ſtatu morboſo, haud ſecus ac ſano, inter partes corporis humani ſolidas fluidasque obſervari vbique *conſortium*, vi cujus in ſtatu morboſo vna mox ab altera laeſa afficitur, quemadmodum in ſtatu ſano vna ſnppetias fert alteri. Fit inde, vt partes ſolidae in genere nunquam graui malo afficiantur, quin fluidae ſimul patiantur et vice verſa; nec adeoque vllus vnquam in praxi cernatur morbus, cujus genius ſimpliciſſimus nil mixti habeat.

# CLASSIS I.

## MORBI SOLIDORVM VNIVERSALES.

### XXXVII.

Partes ſolidae, qua tales, duplici potiſſimum vitio morboſo exponuntur, aut (*a*) *laxitati* nempe nimiae, aut (*b*) nimiae *rigiditati*, cujus duplicis vitii naturam et curationem in ſequentibus enodabimus. Notandum itidem heic, nunquam dari ſimplices iſtiusmodi morbos partium ſolidarum, qua talium, quin potius facultates ſolidi viui mox ſimul inde turbentur varieque afficiantur: Quare medela chirurgica huic malo opponenda juxta hanc complicationem nunquam non adornetur, neceſſe eſt.

## ORDO I.

### SOLIDORVM DEBILITAS ET LAXITAS NIMIA EARVMQUE REMEDIA.

### XXXVIII.

Partes ſolidae corporis humani viui omnes, ac fibrae has conſtituentes, ſanae, integrae, gaudent gradu

gradu *cohaesionis naturalis* certo, et ad varium vsum, cui pars quæque destinatur, determinato: Per specificam hanc compagem aptatur pars singula ad munia sanitatis diuersa obeunda, quemadmodum flexibilitas et elasticitas partium pendet vnice ex hac cohaesione, diuersimode per naturam ipsam modificata, in ossibus v. c. cartilagine, tendine, vasis, visceribus, membranis, cet. Nec sibi constat cohaesio haec partium naturalis semper in eodem subiecto, nec vbique in omnibus: sed *differt* pro varia aetate, sexu, temperamento, genere vitae et conditione reliquarum partium: gradus itaque cohaerentiæ partium naturalis, iustus, relatiuus est in omni subiecto.

XXXIX. Partes solidæ corporis animalis omnes, qua tales absque virium vitalium connubio hoc commune habent cum corporibus mortuis, ut generalibus naturæ legibus decompositionis et attractionis sint obnoxii. Partibus vero solidis corporis humani vivi facultates vitales largitus est creator, quorum connubio efficitur, ut partes solidæ omnes, quovis momento partes alienas recipiant atque perdant, et omnes functiones, in corpore animali vivo, sano, debito ordine succedant; dotes nomirum adeo artificiose complicatas ut admirari eas quidem, haud explicare valuit ingenium humanum. Debilitas atque laxitas morbosa

 solidi

ſolidi vivi inde tam vitalitatis vitio aliquali quam morbo ſimplici cohæſionis naturalis deberi videtur.

XXXX. Fibrarum cohaeſio *defectu* peccat, quoties vis uaturalis, vel paulo maior, cohaerentiam partium infringere valet.

XXXXI. Fibra dicitur *laxa*, quando facilius iuſto recurſui impar diſtrahitur; inde a Pathologis vocatur fibra

*a*) *flaccida* in partibus mollibus, ſi vi minore vltra modum ſe extendi aut dilatari patitur.

*b*) *iners* in partibus natura elaſticis, quae diſtracta non in ſtatum priſtinum reſilit vi, ſeu niſu inſito.

*c*) *flexilis*, in partibus oſſeis, quae amiſſa ſtabilitate potentiis diſtorquentibus aut prementibus facilius iuſto cedit, nec formam ſuam ſat tuetnr.

XXXXII. Fibra dicitur *debilis*, cuius niſus in cohaerentiam adeo exiguus eſt, ut a leuiori vi rupta plane diuidatur. Hoc vitii genus diuidit ſchola Pathologorum in

*a*) *tenerum*, gracile, in mollibus partibus, quarum fibrae iuſto exiliores diſtractae citius, quam par eſt, rumpuntur.

*b*) *tabidum*, in partibus mollibus, quae a corruptis, quos continent, ſuccis macera-

rat_ae,

ratae, aut aqueis, oleofis, mucilaginofis, diu fotae, aut ab acribus erofae contabefcunt et friabiles redditae omnem tenacitatem amittunt.

c) *fiffile* in partibus natura tenacioribus, quae ob contextum ficciorem extenfionis minus capaces findnntur.

d) *fragile* in offibus, quorum compages glutine et pingui orbata, minuta cohaerentiae firmitate ad leues motus frangitur.

XXXXIII. Omnis laxitatis (XXXXI) ac debilitatis (XXXXII) *principium* in vniuerfum latet in imminutione cohaerentiae ftaminum ipforumque elementorum corpus conftituentium tanta, vt ad tollendum impulfus et refiftentiae aequilibrium fufficiat.

XXXXIV. Cohaefio elementorum immediate *imminuitur* et fibrillarum firmitas *laeditur*;

a) quoties moleculae terreae, quae bafin partium folidarum conftituunt, vel inopia peccant, vel contactibus iufto paucioribus nec fat arctis iunguntur.

b) quoties fuccorum, aquae, muci, pinguedinis, glutinis prae folidis copia nimia vel labes adeft.

XXXXV.

XXXXV. Ad *cauſas procatarctitas* laxitatis et debilitatis morbóſae pertinent,

*a*) connata aut regimine acquiſita fibrarum exilitas.

*b*) omnia, quae digeſtioni alimentorum iuſtae obicem ponunt conſtantem, debitamque ſucci nutritii adſimilationem turbant. His otium iners iure adnumerari meretur.

*c*) acria varia ad partes ſolidas vehiculo fluidorum adpulſa, particulas aqueas ad ſe trahendo et retinendo, plogiſton ſoluendo, gluten intermedium per naturam ſuam alcalinam attenuando, acidumue indole ſua terreſtri abſorbente auferendo.

*d*) fibrillarum nimia ac violenta vltra tonum a qualicunque cauſa tenſio diuturna.

XXXXVI. Quae quidem cauſae (XXXXV.)

*a*) in totum corpus agentes inducunt laxitatem aut debilitatem *vniuerſalem*,

*b*) in partem autem corporis, *partialem.*

XXXXVII. Neceſſarius et immediatus *effectus* talis vitii (XXXXI. XXXXII.) eſt imminuta elaſticitas ac firmitas fibrarum, quae ſolida reddit debilia et inertia, ſufflaminat motus naturales, internos; gignit cruditates varias, congeſtiones, ſtagnationes, corruptiones, diſtenſiones, rupturas, dislocationes, ſca-

ſcaturiginemque aerumnarum quarumcunque corporis perennem.

XLVIII. Ex ſtructura et indole corporis humani viui liquet, notabilem debilitatis et laxitatis gradum in corpore viuo haud exiſtere poſſe, quin facultas vitalis iuſta ſimul patiatur.

XLIX. Matura laxitatis ac debilitatis nimiae *diagnoſis* haud facile eruitur; ſingulis enim hominibus diuerſa eſt laxi ſtrictique temperies, cuius exceſſus adeoque ſemper eſt reſpectiuus. Cutis tamen tenuitas, rubor faciei, vaſorum transparentia ſuſpicionem tenerae debilitatis mouent, vti defectus elaſticitatis laxitatem indicat. Lento deinde gradu hoc vitium irrepit. Confirmatam autem laxitatem aperte declarant effectus (XLVII.) ſenſibiles, diſtincti, et ad reſiſtentiae determinatae notabile decrementum aucti.

L. Debilitatis ac laxitatis morboſae *prognoſis* ſemper ambigua eſt, plerumque minus laeta admittit auguria. Pendet autem maxime ex difficultate cauſae (XLIII.) tollendae maiori vel minori.

LI. Morboſa laxitas abſtracte ſumta vel nullam admittit, vel operoſam ſaltem exigit *curationem.* Requirit enim haec, vt integra elementorum cohaerentia (XXXVI.) atque fibrillarum firmitas, elaſticitas ac reſiſtentia reſtituantur, ac facul-

cultatibus ſolidi viui ſuccurratur ſimul. Vtrumque praeſtat interdum methodus medendi

a) tum ad remouendam cauſſam procatarcticam,

b) tum ad reparandam ſtaminum cohaeſionem et intenſionem, accommodata.

Prior indicatio maxime conuenienti regimine ac remediis internis obtinetur. Poſteriori ſcopo ſequentia potiſſimum auxiliorum externorum genera inſeruiunt. *Frictio*, *Compreſſio*, *Frigidi actualis adplicatio externa ad corpus*, *Electricitas*, *Magnetismus et denique Muſica;* quæ omnia ſub Chirurgia remediorum generalium exponentur.

## ORDO II.

### RIGIDITAS SOLIDORVM NIMIA EIVSQVE CVRATIO.

LII.

Fibrarum *rigiditas* cuiuis indiuiduo pro ratione aetatis, ſexus, temperamenti, vitae generis, et cuiuis parti pro vario, cui inſeruit, vſu propria, *exceſſu peccat* aut morboſa audit, quoties motus partium naturalis renixum illarum vincere nequit.

LIII. Rigiditatis huius *principium* conſtituit fibrillarum minimarum ipſorumque elementorum cohaerentia tanta, quae obſtat flexioni et elongationi

ni naturali, liberae, fibrarum partiumque ex his compoſitarum.

LIV. Cohaerentia elementorum *morboſe augetur*:

*a*) quoties elementum terreum praeeminet reliquis partibus fibrae conſtitutiuis, nimisque compactum eſt.

*b*) quoties humores, aqua, oleum, mucus, gluten, occupaturi interſtitia molecularum terreſtrium baſes fibrarum conſtituentium, defectu peccant vel labe.

LV. Pro diuerſa conſiſtentia naturali partium ſolidarum, quas rigiditas morboſa (LII.) occupat, varios admittit gradus, diſtinctos terminis technicis a ſchola pathologorum adoptatis:

*a*) *partium ſolidarum molliorum* firmitas nimia audit *Tenacitas*, quoties nexus fibrarum ſtrictior, ſolutu difficilior, aegre diſtrahendus, qualis v. c. in carnibus animalium ſeniorum, obſeruatur; Fibra dicitur *dura*, quando a gradu cohaerentiae dictis maiori oritur degeneratio partis ſolidae mollis in duritiem lapideam, oſſeam, cartilaginoſam.

*b*) *partium ſolidarum, natura duriorum*, vitium, quo impetui fortiori omnino non cedentes, cito et vna rumpuntur, ex

nimia

nimia materiae ſolidae compactione ortum, vocatur *Fragilitas*, quae in partibus osſeis, ad illam vitri durioris ſurgens conſtituit *fragilitatem vitream oſſium*, licet partes ſolidae molles ipſae vix a degeneratione morboſa ſimili plane immunes iudicentur.

LVI. *Cauſis* rigiditatis morboſae occaſionalibus adnumerari poſſunt

*a*) vita ſub coelo valde calido ſicco, tranſpiratio tanta, vt auolent partes aquoſae nimium muitae humorum.

*b*) exercitia et labores corporis vehementes continui. Sic v. c. operarii laboribus manualibus grauibus adſueti reportant volas manuum duras, colloſas, rigidas, difficulter mobiles, dum otioſorum a labore ſimili immunium molles ſint, tenerae et flexiles.

*c*) diaeta ſicca imprimis ſalina.

*d*) ſenium, dum aetate creſcat fibrarum robur, omnesque fibrae verſus ſenectutem decrepitam rigeſcant.

*e*) compreſſio quaeque vaſa arctans, comprimens, functiones fibrarum motricium laedens, motum fluidorum inhibens atque adeo coagulo eorundem fauens.

LVII.

LVII. Quales cauſae

*a*) in corpus totum agentes inducunt *rigiditatem morboſam vniuerſalem*,

*b*) in ſingulam modo partem eiusdem *partialem.*

LVIII. Rigiditatis morboſae *effectus neceſſarius* ac *immediatus* eſt aucta elaſticitas; vaſorum flexilitas minor, coarctatio, abbreuiatio, degeneratio, renixus violentior, fibrae motrices ad motus muſculares inhabiles, cellularum diminutio, decrementum adipis, ligamentorum, tendinum, ac membranarum contractio, degeneratio, neruorum affectiones variae. Hi effectus primarii *conſecutiuos* alios inducunt, puta: impedimenta multa ac varia adſimilationis, motus, ſecretionis, excretionis humorum, nutritionis, virium motricium et ſenſitiuarum, deſinentia tandem in *mortem naturalem* ſiue *ſenilem.*

LIX. Vti laxitatis (XLVII.), ita quoque rigiditatis morboſae incipientis, *diagnoſis* difficillime eruitur; confirmatam hanc monſtrant effectus ſenſibiles diſtincti (XLIV.) dicti.

LX. Rigiditatis *Prognoſis* incerta ſemper et ambigua eſt, varia, pro ablatione cauſae magis vel minus difficili. In determinata rigiditate futuri effectus praeſagiuntur, ex comparatione cauſae (LVI.) cognitae, gradus ac durationis morbi cum conditionibus corporis reliquis.

LXI. Difficillima rigiditatis morbosae *curatio exigit*, vt laxetur cohaerentia elementorum nimia, atque adeo imminuantur firmitas, elasticitas atque renitentia fibrarum, nimiae. Qui scopus maxime obtinetur studio

*a*) ad caussam natae rigiditatis occasionalem (LVI.) tollendam, et

*b*) flexilitatem agilitatemque fibrarum pristinam reparandam restituendamque composito atque directo.

LXII. *Prior indicatio* regimine conuenienti, euitatione nociuorum ac remediis internis idoneis pro parte obtinetur. *Posteriori* potissimum sequentia remediorum externorum genera inseruiunt; *Unctio oleosa blanda; Fotus aquosus mucilaginosus tepidus; Cataplasna ac emplastrum emolliens; Balneum tepidum et balneum vaporis;* quorum omnium delectus, opportunitas, cautelæ atque adhibendi ratio sub remediorum generalium Chirurgia exponentur.

---

CLASSIS

# CLASSIS II.
## MORBI HVMORVM VNIVERSALES.

### LXIII.

Vniuerſa fluida corporis humani viui haud ſecus ac ſolida (XXXVI.) diuerſis ſanitatis muniis pro vario vſu, cui deſtinantur, ita adaptata ſunt, vt vix mutationes ſubeant notabiles, quin morbus exiſtat fluidorum, *abſolutus*, absque reſpectu ad ſolida, aut *relatiuus* reſpectu ſolidorum atque vitalitatis ſimul habito. Partibus enim ſolidis cum fluidis hoc cummune eſt, ut virium vitalium ope quovis momento partes conſtituentes perdant aliasque recipiant.

LXIV. Morbi humorum vniuerſales ſimplices *abſoluti* ex *copia* aut *qualitate* fluidorum praeternaturali deriuandi, commode iuxta duplicem hunc conſpectum ponuntur, licet vel maxime haud diffitendum ſit conſentire et intime adeo cum fluidis contentis conſpirare ſolida continentia, vt fluidis nulla grauis labes veniat, quin ex hac ſolida ſimul afficiantur, morbusque ſurgat genii mixti.

LXV. *Fluida animalia* in vniverſum ſumta, omnia partinm ſolidarum principia, cohæſione ac indole

indole diverſiſſima, continent, quovis momento per canalem alimentarem, reſorbtionem cutaneam atque pulmonalem accepta, quæ pro ſuſtentatione ac reſtitutione totius oeconomiæ animalis mirando artificio ad naturæ cognationis et attractionis leges *adhibentur*, reliqua vero utpote inutilia vel nociva per varia emunctoria *eciciuntur*.

LXVI. Vires vitales maxime quidem in partibus ſolidis reſident, et in corpore animali vivo maxime diſtinctos effectus edunt; negari tamen haud poteſt, fluida inorganica mortua in corpore animali recepta, vitalitatem aliqualem recipere in ſanguine, ſero, lympha, pure, ſemine cet: conſpicuam.

## ORDO I.

### QVANTITAS HVMORVM PRAETERNATVRALIS ET CHIRVRGIAE PRAESIDIA HVC SPECTANTIA.

---

### LXVII.

Humorum *iuſta copia* maximam corporis partem conſtituens haud facile in ſingulo ſubiecto determinari poteſt, quum ætas, ſexus, temperamentum ac partium ſolidarum conditio, inſignem in ſtatu perfecte ſano heic faciant differentiam. Debita inde humorum copia et ad ſolida proportio in quouis indiuiduo ſemper ſunt relatiuae, nec niſi mo-

men-

mentoſa harum aberratio morbum infert. Copia humorum, in genere ſpectata, duplici modo, *exceſſu* ſcilicet vel *defectu*, peccare poteſt.

LXVIII. Copia humorum peccat *exceſſu*, quoties eorum moles, absque vllo qualitatis vitio, ad ſolidarum partium proportionem tanta eſt, vt functiones inde turbentur; qui ſtatus polychymiae nomine ſalutatur.

LXIX. In ſtatu polychymico corporis humani varii quidem humores copia nimia peccare poſſunt, plerumque attamen abundantiam ſanguinis, i. e. liquidi principalis, nimiam, vitioſam, inuoluit, auditque hic ſtatus *Plethora.*

LXX. *Plethora* adeſt

*a*) *abſoluta*, vbi moles totius maſſae ſanguineae maior eſt, quam quae a volumine vaſorum ſanguiſerorum capi poſſit, quin dilatentur et diſtendantur vaſa pro latice hoc vitali nimio continendo.

*b*) *reſpectiua*, v. ad ſpatium, quando canales ſanguiferi adſtringuntur, aut alii oblitterantur, deſtruvntur, illaeſis reliquis.

*c*) *ſpuria*, v. ad volumen, quoties ſanguis absque aucta maſſa expanſus maius ſpatium occupat.

Hae ſpecies plethorae non modo omnes ſimul in eodem ſubiecto adeſſe poſſunt, ſed etiam cum qualitate humorum vitioſa coniungi.

LXXI.

LXXI. *Praediſponunt ad plethoram*

*a)* *abſolutam*, vitae genus lautum, otioſum, ſomnus nimius, animus ſecurus, quae omnia fauent elaborationi chyli et ſanguinis abundantioris, quam qui ad nutritionem et excretiones corporis debitas ſufficeret.

*b)* *reſpectiuam*, animi affectus varii, frigus, ſenectus, rigiditas ſolidorum morboſa (LII.)

*c)* *ſpuriam*, gradus caloris corporei auctus ab aëre, igne, balneo, cibo, potu, medicamentis, venenis, febri, exercitio violentiori, pathemate animi; fulcrum ablatum; ſubita preſſionis cuiusdam adſuetae imminutio; frictio aliaque irritantia, humorum fluxum ad ſingulam partem deriuantia.

LXXII. *Effectus* polychymiae ac plethorae momentoſae eſſe poſſunt vaſorum nimia tenſio, varia functionum circulationis, ſecretionis et excretionis vitia, cruditas, ſtagnatio, congeſtio, ruptura, effuſio, corruptio, omnis generis morborum localium ſuo loco exponendorum origo.

LXXIII. Incipientis plethorae *matura diagnoſis* haud facile eruitur, determinatam indicant cauſae praegreſſae (LXXI.) dictae, cutis rubedo praecipue in locis, vbi vaſa facilius tranſparent; venae in-

inflatae turgidae; pulfus fortis, plenus, compreffus, durus; calor a quauis leui caufa valde auctus; fegnities ad exercitia corporis; oculi lacrymantes; fomnolentia, effectus (LXXII.) dicti.

LXXIV. Qui effectus haud difficulter *praeuidentur*, fi perfpecta vitii (LXXI.) caufa, vehementiæ gradus, ac duratio cum ceteris corporis conditionibus comparantur.

LXXV. Praeter regimen ac remedia interna, varia dantur *auxilia externa* ad fanguinem vel alium quemque humorem fuperfluum e corpore eliminandum idonea, quae adeoque partim ad fcopum dictum (LXVIII.) partim in localium morborum curationibus adhibentur, et inde remedia generalia falutari folent. Patebit inde ea medendi ratio qua fanguis, lac, lympha et ferum, mucus, faliva, urina, purulenta, foeces alvinæ aliaque ad artis regulas detrahi poffunt. Notandum tamen ex omni euacuatione chirurgica humorum e corpore humano viuo, praeter generalem diminutionem maffae liquidae, ac ea quae inde fequuntur, furgere duplicem adhuc effectum generalem, *reuulfionem* fcilicet, qua fluida a partibus remotioribus trahuntur, ac *deriuationem*, qua vafa, euacuationis loco vicina, contentis reliquis orbata liberantur. Vterque effectus eiusque gra-

dus non modo a quantitate liquidi educti, ſed ab irritatione ſimul cum evacuatione iuncta, liquida ad evacuationis locum alliciente, attrahente, pendent et æſtimantur.

LXXVI. *Humorum copia*, in genere ſpectatorum, *defectu* peccans, curationem externam haud admittit, niſi ea auxilia externa, qua robur ſolidorum augendo ad elaborationem chyli opitulantur, vti et nutrientia ac attenuantia non ingeſta per os, ſed ſub forma balnei, clysmatis, injectionis cum corpore cummunicata huc trahere velimus.

## ORDO II.

## QVALITAS FLVIDORVM VITIATA.

### LXXVII.

Humorum *qualitas* multiplici quidem modo laedi poteſt: vitia autem ex hoc nata omnia concernunt

a) *fluorem* humorum vitioſum atque adeo cohaerentiam partium humores conſtituentium praeternaturalem noxiam.

b) *acrimoniam* morboſam.

LXXVIII.

LXXVIII. Particularum humores conſtituentium noxia *cohaerentia* admittit duas *ſpecies*, ſcilicet

*a*) *cohaerentiam excedentem*, vnde ſpiſſitudo, tenacitas humorum; et

*b*) *deficientem*, ex qua tenuitas, diſſolutio.

Vtrumque hoc vitium aut uniuerſos corporis humores, aut ſingularem, occupat, in corpus totum, aut partem ſingulam ejus, modo infeſtum.

LXXIX. Humorum *acrimonia*, foecunda morborum complurium mixtorum mater, dicitur degeneratio, qua humores pares fiunt ſoluendo cohaeſionem ſolidorum continentium, inferendo dolores partibus ſenſilibus, ac ſolicitando irritabiles contractione praeternaturali; quibus adnumerari poſſunt multa atque varia morborum ſeminia, indole diverſiſſima, per canalem alimentarem, reſorbtionem cutaneam vel pulmonalem recepta, quæ totæ oeconomiæ corporis et vitalitati organicæ atque animali communicari poſſunt.

LXXX. Quorum quidem *curatio* licet maxima ex parte remediis internis abſoluitur, attamen ſubleuatur interdum eximie ab auxiliis chirurgicis variis generalibus, quæ partim in remediorum generalium Chirurgia, partim in morborum localium pertractatione exponentur; quibus omnibus

*a*) ſuccuritur ſolidis ad correctionem fluidorum contentorum moliendam.

*b*) aufertur copia humorum prauorum.

*c*) corrigentia humoribus male mixtis aut deprauatis admiſcentur.

*d*) acrimoniae inquilinae humorum extrahuntur aut alibi deriuantur.

---

CLASSIS

# CLASSIS III.

## ALII MORBI GENERALES ET LOCALES INTERNI.

### LXXXI.

In totâ morborum internorum ſerie, quibus genus humorum eſt obnoxium, plurimi vitalitatem organicam afficiunt, vel animalem, vel vtramque ſimul turbant, aut in toto corpore, aut in ſingula *eius* parte. Functio aliqualis læſa vel turbata inde omnium morborum ſymptoma primarium conſtituit, unde ſingulus morbus ab aliis diſtinguitur, prout vel vitalitas incitata vel ſuppreſſa fuerit, prout variæ functiones, naturales, vitales, animales, ſexuales quæ inſerviunt nutritioni, ſanguificationi, circulationi, reſpirationi, calori animali reſorbtioni, ſecretioni excretioni, ſenſibus, irritabilitati et ſenſilitati cet: maiori vel minori gradu turbatæ imoniuntur. Ingentem horum morborum copiam in claſſes et ordines, genera et ſpecies redigere tentarunt Pathologi, ob complicationes morborum varias, arduum ſane opus atque difficile. Hos morbos internos varios per-

pertractare haud permittit instituti nostri ratio, cum eorum curatio remediis internis sub regimine congruo absolvatur, nec Chirurgiæ provinciam ingrediatur, nisi vsum remediorum generalium, quæ ad sanandos morbos internos haud parvum addunt symbolum, huic trahere velimus. Horum inde remediorum Chirurgiam mox hic subjungere æquum duximus, deinde ad morbos locales progressuri qui ad maximam partem Chirurgiæ auxiliis sanantur.

---

REMEDIA

# REMEDIA CHIRURGICA GENERALIA.

## LXXXII.

Remedia *generalia* nobis ſunt illa, quæ in plurimis morbis, tam internis quam externis, adhibentur, et eorum effectu delectu atque opportunitate rite cognitis, haud parum ad ſanandos plurimos morbos conferre poſſunt. Chirurgus praxi ſe accingens notitia horum remediorum, et methodi ad quam ſecundum artis regulas cum dexteritate ac nitide applicantur, carere haud poteſt, licet nonnullorum adminiſtratio ſæpe tironibus aliisque adjuuantibus minus expertis relinquatur. Horum remediorum Chirurgiam unico conſpectu hic ſubjungere æquum duximus, deinde ad morborum localium tractationem progreſſuri.

*a*) *Frictio*,

*b*) *Compreſſio*,

*c*) *Frigidi auctualis adplicatio externa ad corpus*,

*d*) *Unctio oleoſa*, *Fotus*

*e*) *Cu-*

e) *Cataplasma ac emplaſtrum emolliens,*
f) *Balneum tepidum,*
g) *Balneum vaporis,*
h) *Venæ ſectio,*
i) *Arteriotomia,*
k) *Scarificatio,*
l) *Sanguiſugium,*
m) *Veſicatorium,*
n) *Font culus,*
o) *Setaceum,*
p) *Errhinum,*
q) *Sialagogum externum,*
r) *Suctio,*
ſ) *Clysma,*
t) *Suppoſitorium,*
u) *Injectio,*
v) *Electricitas,*
x) *Galvanismus,*
y) *Magnetismus,*
z) *Muſica, ac denique*
aa) *Chirurgia infuſoria ac transfuſoria.*

## *Frictio.*

LXXXIII. *Frictio eſt* antiquiſſima, ſimplicisſima ac efficaciſſima, veteribus celebris, a recentioribus neglecta nimis, medendi ratio externa, peragenda notiſſimo manus vel inſtrumenti idonei

idonei attritu ad partes molles externas corporis, inducente preſſionem et relaxationem fricatae partis alternas.

LXXXIV. Haec pro vario ſcopo, gradu ac modo, quem indicatio requirit, vel manu inermi, nuda, vel armata chirotheca, ſindone aut panno aſpero ſeu ſcopula, vel denique panno calido, imbuto remediis aromaticis, ſtimulantibus, aliisue ad indicationem reſpondentibus, *inſtituitur*, et leui manu ad conſpicuum vsque partis fricatae ruborem et intumeſcentiam continuatur, reiteraturque ſaepius; ad quem ſcopum leuis ferularum vſus quoque conducit.

LXXXV. *Effectus* talis frictionis in ſuperficie corporis rite adminiſtratae *generales* ſunt:

*a*) ſolidi ſimplicis *commotio*,

*b*) viui *irritatio.*

LXXXVI. *Effectus ſpeciales*, qui frictionem iuſte inſtitutam conſequuntur, ſunt:

*a*) *circuitus ſanguinis acceleratur* verſus partem fricatam, primo venoſi, deinde arterioſi, denique in corde ac toto corpore contenti, pulſu ac calore animali auctis.

*b*) frictio *ſtimulat irritabilitatem* corporis viui vniuerſam; impertit ſyſtemati muſculoſo fortitudinem miram, agilitatemque.

que. Quare aduerſus affectus debilitatis varios, ſyncopen, ſuffocationes, paralyſin, marcorem, rachitidem, ad neonatos debiles, optimo cum ſucceſſu, eadem adhibetur.

c) *neruos* corporis ad ſuas functiones *incitat* frictio, cuius vis ſalutaris ab extremitatibus neruoſis fricatis ad ipſos truncos vsque propagatur, quemadmodum eadem, a truncis in vicinia loci fricati poſitis et a fricatu excitatis, ad ramos quosque extremos diſtribuitur. Vnde frictiones aſſiduae morbis neruorum complurimis, doloribus variis, odontalgiae, otalgiae, guttae ſerenae, hemicraniae, maniae, colicae, ſpasmis et conuulſionibus, febribus intermittentibus cet. conducunt maxime.

d) *tranſpiratio* inſenſibilis frictione *promouetur*, inde in multis morbis a tranſpiratione ſuppreſſa, remedium praebet, longe praeſtantiſſimum.

e) frictio abdominis opitulatur *nutritioni*, incitando ventriculum et inteſtina ad actiones digerentes chylopoieticas, flatus ejiciendo, exonerando aluum.

f) humores *ſtagnantes* et *effuſos diſcutit* frictio, quare eadem perquam vtilis eſt ad

ad obſtructiones lacteas, oedema, contuſiones, ecchymoſes, tumoresque frigidos quosque, quatenus vires reſorbentes ſubleuat et auget.

LXXXVII. Omnes hos effectus ad firmandam *ſtaminum cohaeſionem* ac *fibrarum reſiſtentiam* egregie conſpirare per ſe patet; inde apud Chinae incolas frictiones, diuerſae agitationes, corporis mira cum dexteritate apud eos inſtitntae ac variae diſtenſiones articulorum ad auertendos et curandos morbos merito celebres habentur, vti quoque in otio inerti adſuetis locum alius exercitii corporis tenere poteſt.

LXXXVIII. Abunde per ſe patet, *remedia externa*, qualia ſunt fumi balſamici, ſpirituoſa, vinoſa, ſalina, ſaponacea, oleoſa deſtillata vel expreſſa, aquoſa calida vel frigida etc. quibus corpus fricatur, vim frictionis ipſius, confortantem imprimis, *augere*, *minuere*, varieque *immutare* poſſe. Quemadmodum *frictione medicata* eum ſolum in finem vtitur interdum medicus, vt hac detur locus reſorptioni faciliori talium remediorum: ſic v. c. fricatur interdum corpus opio, mercurio etc.

LXXXIX. Frictio *praecipitanter*, *inordinate* vel *violenter* inſtituta, aut incaute adhibita excoria-

riationes, fibrarum ac vaſorum rupturam, effuſiones humorum, febrem inflammatoriam, ipſam gangraenam ac in vniuerſum maiorem laxitatem in partes inducere valet.

XC. *Caueatur* itaque a frictione partium inflammatarum, turgidarum et valde tenſarum: *abſit* a ſubiectis plethoricis, irritabilioribus, laborantibus febri acuta vel lenta: *adminiſtretur* contra haec ſedulo, aſſidue, et quovis ad minimum mane, nova et diuturna ſatis, ſubiectis debilibus, laxo corporis habitu inſtructis, vitae ſedentariae, otioſae deditis, fruentibus diaeta viſcida ſub coelo humido et frigido: his namque vti et affectibus morboſis complurimis, iisque grauiſſimis, opem ſpondet eximiam, miram ſaepe, frictio iuſta.

## Compreſſio.

XCI. Compreſſio in vniuerſum *eſt* operatio priori vix ſecuuda, qua partes ſolidae et molles corporis humani, earumque particulae, ſtrictius ad ſe inuicem arctantur vi quadam externa.

XCII. Quae pro vario ſcopo, quem indicatio requirit, diuerſo modo ac gradu *inſtituitur*

*a*) *veſtimentis* partes corporis arctius complectentibus.

*b*) *faſciis* idoneis iuxta artis praecepta deuinctis.

c) aut

*c*) aut machinamentis et loramentis variis, ad compreſſionem ſpecialis partis pro indicatione adaptatis.

XCIII. Omnis compreſſio a nimia laxitate ſolidorum indicata in vniuerſum moderata, lenis ac *talis eſſe debet*, vt motus animales et vitales ad ſanitatem neceſſarios non ſufflaminet.

XCIV. Compreſſionis in parte molli organica quaqua inſtitutae *effectus generalis* eſt diminutio euidens voluminis, quod pars compreſſa occupabat, atque adeo fibrarum et lamellarum hanc conſtituentium coactio propinquior.

XCV. Compreſſionis externae *effectus ſpecialis* quoad partes compreſſas diuerſus obſeruatur.

*a*) compreſſio iuſta, quae nunquam arcte adeo ſtringatur, vt cauitates internas pervias occludat penitus, vaſa ſanguifera, primo venoſa, deinde arterioſa anguſtat, eorumque contra liquida diſtenta renixum ſubleuat et auget, ſanguinem adeoque verſus partes a locis compreſſis remotiores derivat, et cogit. Quare ad profluuia ſanguinis naturalia inhibita reuocanda facit interdum. Compreſſio contra haec iuſto fortior, vel inordinata impedit tranſitum ſanguinis per vaſa, quae demum a preſſione diuturna conſtricta in ſpeciem ligamentorum coaleſcunt.

*b*) Calor

*b*) Calor animalis et transpiratio insensibilis a compressione vestimentis arctioribus aut fasciis inducta, pro indole horum diuersa, variis modis mutantur, augentur, supprimuntur.

*c*) Folliculi membranae cellulosae a compressione modica angustantur, confortantur, et ad vires elasticas naturales, insitas, edendas excicantur: cellulosae compressio fortior persistens parit coalitionem cellularum plenariam.

*d*) vasa resorbentia ad liquida in cellulas effusa reuehenda incitantur à compressione externa iusta (XCIII.)

*e*) neruorum tensio moderata compressione minuitur, sensibilitas eorum, vti quoque musculorum irritabilitas obtunditur, et inde dolores et spasmi multis in morbis mitigantur; nimia compressio vires vitales suffocat.

*f*) viscera inprimis abdominalia debita compressione cinguli ope mire roborantur.

g) in multis morbis localibus a debilitate singulae partis oriundis ad specialem indicationem conducit compressio.

XCVI. Inde compressio in multis ac variis morbis a debilitate aliisue causis similibus ortis *remedium praestat* longe efficacissimum. In anasarca,

ſarca, aſcite, hydrocephalo, hemicrania, haemorrhagiis variis, aneurismate, herniis, excreſcentiis variis, dilatatione ſacci lacrymalis, prolapſu vario, fluxu ſanguinis retento, aliisque bene multis, ad indicationes ſuo loco exponendas compreſſio adhibetur.

XCVII. Inprimis *faſciae circulares* extremitatibus, de digitorum vnguibus ad truncum vsque ad arctioris tegumenti ſimilitudinem iniectae, in multis earum morbis a debilitate ſolidorum, congeſtione et obſtructione fluidorum remedium praebent efficaciſſimum.

XCVIII. Qui compreſſione ad ſcopum ſalutarem dictum (LXXXIII) vtitur, id ſemper curet, vt moderata aequabilis et per gradus ſiat eadem. Oportet autem eum, qui partem corporis faſcia circulari inuoluit, ad encheureſin exercitatiſſimum et regularem artis probe gnarum eſſe, atque attentiſſimum, vtrum faſcia injicienda madida ſit, an ſicca, quum haec poſt circumuolutionem a quacunque cauſa humectata mox ſua ſponte longe arctius conſtringatur.

XCIX. Compreſſio excedens, nimia, parit mala plurima, diuerſiſſima, qualia ſunt:

a) in *parte compreſſa*, impeditus influxus ſanguinis arterioſi, reditus venoſi, interceptio virtutis neruoſae, nutritionis, incrementi; diatheſis inflammatoria, corruptela

ruptela putrida, coalitus, ſolidique degeneratio.

*b*) in *reliquis partibus dolor,* oedema, inflammatio, ſtupor, gangraena, paralyſis, anxietas, haemoptyſis, mictus cruentus, abortus, aploplexia, varia conformationis, ſitus, nexus vitia.

## *Balneum frigidum.*

C. Effuſio ſiue adſperſio aquae gelidae ſuper corpus *ſiſtit* rationem medendi tertiam ab inſtinctu animali ipſo indicatam primitus, celeberrimam antiquitus, vi ſua prophylactica non minus quam curatione, nec alteri vlli ſecundam in cohaerentia fibrarum firmanda, aut debilitate ac laxitate ſolidi viui tollendis.

CI. Multiplicem hanc *efficaciam* aquae gelidae *demonſtrat* Theoria frigoris phyſica, confirmat experientia medico-chirurgica omnis aevi. Ex demonſtratis phyſicis conſtat, frigus diminuere volumen vniuscuiuscunqne corporis, hinc cogere particulas corporis huic expoſiti, ad contactum intimiorem, ſeu quod idem eſt, augere cohaerentiam corporum, et ex hac pendens robur phyſicum eorundem. Aqua frigida inde pro gradu frigoris, quo pollet, auget cohaerentiam phyſicam partium ſolidarum organicarum, quae hac irrigantur; diminuit fluiditatem humorum contentorum ſolidis quae ab ad-

adſperſa frigida madent. Deinde quoniam, experientia phyſica teſte, calor ſpecificus aquae magnus eſt, et aqua frigida ad imperfectiores conductores caloris pertinet, neceſſum eſt, vt in ſtatu animali viuo, ſub quo fomites caloris animalis vigent, balneatio aquoſa frigida impediat tranſitum liberum materiae calorificae per ſuperficiem externam corporis frigida irroratam. Materia calorifica in corpore contenta vt repellatur neceſſe eſt a peripheria cutanea, interiora verſus, atque in his accumuletur. Hinc calor animalis internus atque fluiditas humorum reliquorum augetur. Haud negandum tamen, ſubitam irritationem ſuperficiei corporis animalis a contactu aquae gelidae, dictum effectum notabiliter minuere.

CII. Adſperſio aquae gelidae fit

a) *vniuerſalis*, (*Balneum aquoſum frigidum vniuerſale*), quando ſuperficies corporis vniuerſa perfunditur ſimul aqua gelida.

b) *partialis*, (*Balneum aquoſum frigidum locale*), quoties eadem ad ſingulas corporis partes externas deriuatur.

CIII. Balneum aquoſum frigidum *vniuerſale inſtituitur* variis modis: aut etenim aqua frigida, ſitulo aquario excepta, ſuper corpus nudatum effunditur ſubito: aut aquae cribro decuſſae in corpus depluendi copia datur; aut in balneum deſcenditur; aut, quis praeuio capite in aquam prae-

cipitatur; aut denique corpus in eandem mergitur, ope aliena: id modo attendatur, vt effusio aquae ſuper corpus quaequae ſubita ſit et momentanea.

CIV. Ad balnea aquoſa frigida *localia* pertinent: ſtillicidium, quo guttae aqueae iuges per epiſtomium ductae ex certa altitudine in partem coporis cadunt; capitiluuium; oculi balneum; pedi - et maniluuium; embrocationes frigidae, applicationes liquidi gelidi ſindone, linteo madido, filtro, ſpodgia, veſica inſtituendae, nec non impoſitio glaciei et denique frictiones glaciales.

CV. *Vtimur* ad balneum frigidum aut aqua gelida, aut dulci, pura, fontana, fluuiatili, aut marina, aut medicata, martiali, ſaponacea, ſulphurata, ſpirituoſa, ſalina, aut pro applicatione locali liquido ſtillante ſpirituoſo volatili, e. g. Naphta vitrioli, ſpiritu vini rectificatiſſimo, ſpiritu ſalis ammoniaci cet. Horum efficacia non pendet a ſolo gradu frigoris quam poſſident applicata, ſed maxime a diminutione caloris animalis, propter ingentem copiam materiae calorificae, quam corpori detractam ſibi ſumunt, formam vaporoſam induentes. Aër frigidus, arena, humus, ad balnei ſpeciem quoque inſeruiunt.

CVI. Aqua gelida iudicatur ad *balneum frigidum* apta, quae ad thermometrum examinata calorem monſtrat, gradum inter trigeſimum ſe-

cundum

cundum seu congelationis punctum et sexagesimum quintum scalae Fahrenheitianae medium: dum e contrario *balneo subfrigido* inseruit aqua egelidata, quae gradum caloris inter sexagesimum quintum et octogesimum quintum dicti thermometri medium tenet.

CVII. Balneum frigidum rite administratum *effectus* edit notabiles et varios, egregie attamen ad scopos dictos (C.) conspirantes, et a frigore, irritatione, pressione ac concussione, quae patitur corpus aquam gelidam excipiens, oriundos. Qui quidem effectus omnes diligentius perspecti, offerunt duo quasi stadia, interualla, siue momenta, distinguenda probe et examinanda caute.

CVIII. *Stadium primum* immediate ab ipso aquae gelidae contactu incipit et exigua mora post defluxum eiusdem terminatur. Mox sub hoc

a) *superficies corporis* orbata parte quadam caloris animalis, a frigore torrentis super corpus effusi absorpta patitur refrigerationem subitam, pallet, tremit, contrahitur, et cutis evadit anserina, ob spasmum periphericum a stimulo inductum.

b) inde *intra* corpus ipsum densantur fluida in parte frigida irrorata, calor animalis internus augetur (CI.) et ex hac pendentes fluiditas atque expansio humorum,

morum, contrahuntur ſolida ſimplicia, irritantur viua: ſtringuntur itaque canales extremi, ſupprimitur perſpiratio cutanea, regurgitant in vaſa maiora humores, augetur reſiſtentia cordis remittentis quaſi pro tempore ictus, accumulantur ſanguine viſcera bibula, maxime encephalum et pulmones. Haec viciſſitudinum turba repentina ſurgit, velox eſt et vehemens, accommodatque ſeſe maxime ad velocitatem ſubitam, qua irrigua aquarum in corpus impingunt et ab eodem decidunt, nec non ad gradus frigoris, preſſionis atque adeo concuſſus corporis diuerſos ab aqua ex alto in ſubiectum corpus cadente; ad temperiem denique et ſtatum magis vel minus plethoricum, ſenſilem, irritabilem ſubiecti quod balneationi ſubjicitur. Liquet itaque, quantum augendae ſlaminum ſolida conſtituentium cohaerentia faueant effectus huius ſtadii primi.

CIX. Stadium hocce primum (XCVIII.) breuiſſimae eſt durationis, nec protrahitur longe vltra defluxum aquae frigidae ipſius, quae corpus humectauerat. Irrigatione aquoſa gelida finita ſenſim *alterum ſtadium* oboritur. Namque cauſa refrigerii cutanei et ex hoc pendentis ſtricturae ſuper-

perficialis ſublata, fomites caloris animalis priſtini ſuperſtites reddnnt ſuperficiei cutaneae temperaturam naturalem a frigore balnei ſublatam, et aucta, ſub ſtadio primo, materia calorifica in partibus internis remotis, diffunditur per totum corpus, ad extremam vsque cutem, ſic vt haec iam caleat rubeatque, plus quam naturaliter, tranſpiratio inhibita reſtituatur, humores per totum corpus circulent liberi, fluiditatemque et volumen naturale recuperent; quemadmodum partes nobiliores internae, a congeſtis ante humoribus nimiis liberatae, functionibus ſuis naturalibus ſanis iterum fiunt pares. Viuis inde nouo energia accedit. Spiritus vitales a copioſiore ſanguinis in encephalon influxu vberius reparati, aucta vaſorum actione adiuti, percurrunt et reficiunt totum corpus, perſpiratio et quaeuis alia ſecretio ſuppreſſa iterum viget, ſpasmi ſoluuntur, alacritas et vigor totius corporis reſuſcitatur. Omnes hi effectus, vehementiae gradu praegreſſis reſpondent. Salutaris huius remedii effectus augebitur, ſi corpus e balneo frigido egreſſi rite vbique perfricetur et exercitium corporis modicum ſequatur.

CX. Ex effectibus expoſitis ſequitur, balneum frigidum eſſe remedium palmarium non modo contra laxitatem ſolidi ſimplicis, ſed etiam debilitatem viui, morboſque fluidorum complicatos, adeo-

que

que valere eximie adverſus morbos innumeros, grauiſſimos, ex vitio vtroque oriundos *vi* tam *curativa*, quam maxime *prophylactica.*

*a*) *Scopo curatiuo* vtimur eodem in morbis glandularum, inprimis a vitio ſyſtematis reſorbentis ortis, in morbis cutaneis variis, ſcabie v. c. et lepra, in ſcorbuto, rachitide, paſſione hyſterica, morbis vterinis, doloribus variis, conuulſionibus et ſpasmis, tetano, praecipue paralyſi, febre putrida: quin imo compertum eſt, frictiones glaciales ſalutiferas fuiſſe in ipſa peſte.

*b*) *ſcopo prophylactico*, ceu roborans validiſſimum, prodeſt mirum quantum aetati ſexuique cuique, infantulis tenellis ipſis haud exceptis, praecipue ſi mox poſt egreſſum e balneo frictio ſimul adhibetur, qua, praeter reliqua ſuperius enumerata beneficia, mundatur cutis, deterguntur ſordes.

CXI. Equidem *contactus ſubitus*, *ſimultaneus* et *momentaneus* aquae gelidae large ſufficit effectibus ſalutaribus dictis producendis. Conſequitur eundem mox rapidior ſanguinis ad encephalum curſus nulla arte auertendus: attamen ſuſpectus licet iniuria multis, non ſimpliciter innocuum ſed ſaluberrimum potius effectum edens mod-

modo cerebrum ipſum labis expers ſit, nec ſanguis copia peccet nimia.

CXII. Contra haec iure meritoque *ſuſpicamur* multa de aquatione vniuerſali lenta, aut diutius iuſto protracta, quippe quae laxitatem potius et debilitatem gignit, datque locum congeſtionibus internis, diſſolutionibus, obſtructionibus, affectionibus neruoſis, aliisque malis haud ſane numero paucis.

CXIII. *Abſtineatur* in vniuerſum ab efficaciſſima hacce medela,

*a*) quamdiu notabiliter viget perſpiratio cutanea, vix vnquam impune ſubito turbanda.

*b*) quoties extrema adeſt viſceris cuiusdam labes.

*c*) quoties ſanguis copia peccat nimia, vel in violentas congeſtiones procliuis eſt.

Suadent denique prudentia et turbae ſyſtematis neruoſi agilioris praecauendae, vt ſubiecta ſenſiliora, timidiſſima, lente, paulatim et per gradus ad vſum balnei frigidi ducantur. Praeſtat a balneo ſubfrigido (XCVI.) incipere, et corpus contra impetum aquarum nimium induſio laneo munire. Occurunt ſinguli, qui, in vniuerſum nec balneum frigidum nec frigidiusculum ferunt, in quibus ad balnea tepida interdum refugere cogimur. Notandum denique eos, qui poſt egreſ-

ſum

ſum e balneo frigido diutius frigent, in quibus gradus caloris naturalis haud breui reſtituitur, vix cum vtilitatis ſpecie hoc remedio vti.

CXIV. Balneum frigidum locale et in ſpecie embrocha ſtillicidium, nec non aqua gelida ex gutturnio in partem corporis effuſa, non ſolo frigore roborat, ſed agit vi ex frigore, velocitate et impulſu compoſita. In genere, quo minor ſit circumferentia partis corporis, quae balneo frigido locali irrigatur, eo debiliores erunt effectus (XCVIII. XCIX.) dicti, eoque diutius lauationi frigidae ipſi inſiſtere licet impune. In vſu ſtillicidii, ob ingratam ſenſationem locum interdum mutare, aut illam linteo interpoſito minuere cogimur.

CXV. Accumulationes congeſti ſanguinis noxias ad vaſa interiora partis cuiusdam ab irrigatione cuiusdem frigida externa, nullos fieri neque oriri, quin potius ob conſenſum neruorum in tota parte minui, ſanguinis circulum et ad remotas moveri, theoria ſuadet; et experientia multiplex in aploplexiis, commotionibus cerebri, ophthalmiis, herniis, teſtium morbis aliisque comprobat.

CXVI. Balneum frigidum locale in partibus, quas aluit, ſingulis vim edit roborantem, confortantem, ſtimulantem, ſedantem et reſoluentem eximiam: conducit adeoque egregie efficaciſſima haecce medela morbis localibus innumeris,

ſladio

ſtadio inflammatorio primo, vulneribus variis praecipue capitis, confuſſionibus ejusque ſequelis, tumoribus frigidis variis, herniis multisque aliis ſub cautelis vberius deinde exponendis, adhibita.

CXVII. Abſit tamen vt ab omni periculo vacet frigida ſingulae corporis parti inconſiderate et nimis diu admota; ſemper exactiſſima habenda erit ratio ad effectus ſequentes, comparatos cum cauſa et indole morbi contra quem hoc remedio vtimur. Inflammationes grauiſſimae, rheumatismus, arthridis, eruptiones cutaneae, maxime circumſpectum frigidae vſum poſcunt, cum materia morbifica facile ad nobiliores pàrtes repelli poſſit. Maximus frigoris gradus exſtinctionem virium vitalium inducere poteſt; glaciem diu impoſitam gangraenam induxiſſe ipſi obſeruauimus.

CXVIII. Aquas medicatas a natura vel arte tali virtute imprægnatas, vires huius remedii pro re nata varie augere et mutare poſſe, per ſe patet. Salia ſub ſolutione in liquido qvodam, notabilem materiæ calorificæ quantitatem ſolvunt.

## *V n c t i o.*

CXIX. Vnctio *eſt* perfrictio lenis, blanda ſuperficiei cutaneae medicamento externo oleoſo, tepido, adminiſtranda manu vel nuda vel obducta panno.

CXX.

CXX. *Materiam vnctoriam* relaxantem *largiuntur* partim olea vegetabilia expreſſa, recentia, blanda, ſimplicia vel medicata, v. c. oleum olivarum, amygdalarum, lini, chamomillae, liliorum, verbaſci, partim olea animalia recentia, vti butyrum recens inſalſum, axungia, pinguedo, adeps, ſeuum.

CXXI. Vnctionis *effectus generalis* eſt partium, ad quas attingere poteſt materia vnguinoſa externe applicata, aucta lubricitas, flexilitas et minuta elaſticitas: vnde renixus vaſorum fractus et largior humorum affluxus vna cum emolumentis a frictione leui deriuandis ſequuntur. In multis adeoque morbis ab externa rigiditate prodeſſe poteſt vnctio. Caeterum effectum relaxantem vnctionem pro diuerſitate remediorum oleoſis (CXIX) dictis iunctorum augeri, minui et mutari poſſe, imo ſtimulantem, reſoluentem, confortantem, pro vario ſimul frictionis gradu adhibito, interdum ſequi, per ſe patet.

CXXII. *Cauendum* quoque: ne pinguia adhibenda raucedinem contraxerint, vetuſtate, calore, aut ex admixtis alienis, nec larga nimis manu invngantur, dum corrupta raucedine quaecque, virtute relaxante depoſita, irritant, occluſisque poris cutaneis, ruborem cutis, excoriationes ac eruptiones cutaneas varias producere valent.

*Fotus.*

## Fotus.

CXXIII. Fotus relaxans *eſt* liquor aquoſus, mucilaginoſus, tepidus beneficio lintei, filtri, ſpongiae vel veſicae externe ad corpus applicatus.

CXXIV. Huic *Materiam* dant aqua tepida, mediorum relaxantium omnium potentiſſimum, decocta tepida herbarum aut ſeminum mucilagine larga praeditorum, vti althea, malua, parietaria, ſemina lini, cydoniorum, farinae variae, aut quoque gummata inſipida.

CXXV. Modus fotum relaxantem adminiſtrandi eſt, ſi linteum vel pannus laneus, iuxta magnitudinem conuenientem pluries plicatus, liquido tepido immerſus, ab eodem penetratus, humore ſuperfluo expreſſo, ſuper partem corporis fouendam extendatur tepidus, laeuis.

## Cataplasma.

CXXVI. Cataplasma *eſt* medicamentum externum topicum ſub conſiſtentia pultis tepide ad corpus applicandum.

CXXVII. Cataplasma *paratur*

*a*) aut coctione vegetabilium (CXXIV.) radicum, herbarum, ſeminum, florum, fructuum conciſorum aut contuſorum cum aqua vel lacte ad pultis conſiſtentiam coctorum;

*b*) aut

*b*) aut absque coctione, ſuperfundendo vegetabilibus dictis liquida tepida ad conſiſtentiam pultis dandam ſufficientia.

CXXVIII. *Gradus caloris* ad fotum et cataplasma emolliens conueniens nunquam maior ſit, quam qui dorſum manus aut genam, quibus tentandi ergo imponitur, nec vrat, nec aegroto ipſi vlla ardoris ingrati, moleſti, incommoda creet. Linteis ſiccis, calidis pro calore ſuo diutius ſeruando obtegatur; ſaepius reiteretur, ne frigus ſuccedens effectus calori contrarios edat; cauendum denique vt nec grauitate nimia noceat, nec ob nimiam humectationem moleſtum fiat.

CXXIX. Cataplasma *nudae cuti* aut imponitur immediata, aut *inuolutum linteo;* prior modus maiori vi relaxante gaudet, poſterior ob maiorem munditiem magis placet.

CXXX. Fotus vt et cataplasmatis emollientis effectus generalis eſt

*a*) ab humido calore ſpeciem balnei vaporis creante, ac propria vi emolliente praedito, fibrae rigidae relaxatio, tenſae tenacis debilitas, durae emollitio, ſiccae humectatio, humorum in vaſa relaxata derivatio, aucta partis tranſpiratio, materiae calorificae corporis, deriuatio.

*b*) re-

*b)* resorptio partis aquosae, inde in parte fota humorum aliqualis attenuatio, obstructi resolutio.

Vnde in variis morbis a rigiditate, multisque aliis, in quibus localis relaxatio indicatur, conducunt.

CXXXI. Simili, licet infirmiori, vt relaxante gaudent *emplastra saponacea*, *gummosa* corio s. linteo illinita et abrasis crinibus singulae parti imposita.

## *Balneum tepidum.*

CXXXIII. Ad minuendam rigiditatem corporis animalis ac inducendam flexilitatem fibrarum aliasque varias indicationes obtinendas eximie valet aqua tepida, quae super corporis superficiem effusa, vel immediato contactu in eandem agens, *Balneum tepidum appellari* solet.

CXXXIII. Balneum tepidum *est*

*a)* *vniuersale*, si totum corpus, aut dimidia saltem eius pars, aquae tepidae simul immittitur;

*b)* *partiale*, vbi singulae modo partes eidem committuntur.

CXXXIV. Pro balneo tepido *vniuersali* administrando repletur vas ligneum idoneum aqua, simplici vel medicata, tepida, cui mox homo nudus immergitur ad collum, hypochondria, vmbilicum vsque. Vltimum *Semicupium* audit. In par-

*partiali* ſolae ſingulae partes affectae, manus, pedes, digiti, cet. vrinantur.

CXXXV. Balneum tepidum *paratur* ex tepefacta aqua aut pura, dulci, aut medicata, ſaponacea, ſulphurata, viribus herbarum, radicum, ſeminum emollientium (CXXV.), muco ſ. gelatina animali impraegnata, aut denique ex humore lacteo tepido.

CXXXVI. Gradus *caloris* balneo tepido conveniens ad temperaturam indiuidui relativus eſt; in vniuerſum tepor balnei intranti gratam perceptionem, neque frigoris, neque caloris moleſti ſenſum excitare debet. Haec teporis temperatura plerumque reſpondet gradui caloris inter octageſimum quintum et nonageſimum quintum medio thermometri Fahrenheitiani. Maior caloris gradus naturalem humani corporis calorem excedens vi relaxante caret; ſed irritat, et ob effectus vehementiores vix vnquam conducit, ac merito ſuſpectus habetur.

CXXXVII. *Tempus commorationis* in balneo tepido pro aegroti conſtitutione ac indicatione curativa variat, a quadrante horae ad duas horas extendi poteſt, et pro re nata reiterari, ſimul ſollicite cauendo, vt tempore balneationis toto idem caloris gradus ſeruetur. Debilitas ac ſyncope in balneo calido interdum obuiae, quas non-

nonnulli cingulo abdominali auertere tentarunt, ſuperuenientes citam e balneo ſublationem ſuadent.

CXXXVIII. Sub balneatione tepida ipſa et mox poſt egreſſum e balneo caute *vitetur* aëris frigidi acceſſus, dum ex repentina tranſpirationis ſuppreſſione grauiſſima oriri poſſint mala. Egreſſus balneo tepido fricetur linteis calidis ſiccis, obtegatur veſtimentis calefactis, collocetur in cubili conſeruetque tranſpirationem potu aquoſo tepido.

CXXXIX. *Effectus generales* balnei tepidi rite adminiſtrati, gradu caloris ad temperiem individui modificato, minime cum effectibus balnei calidi confundendi, ſequentes laudantur;

*a*) cutem humectat, a ſordibus liberat et leniter tumefacit,

*b*) tranſpirationem cutaneam pro gradu caloris diuerſimode auget, haud vero ſudorem excitat,

*c*) minuit celeritatem pulſus et reſpirationis, ad ſomnum diſponit.

*d*) calorem corporis minuit febrilem, nimium.

*e*) gratum in toto corpore excitat ſenſum, vires ſubito reſtaurat, ſtimulos varios infringit.

*f*) pori inhalantes abſorbent aquam, diluentem humores, obtundentem acrimonias.

nias. Reſorptionem in balneo tepido horae ſpatio ad quatuor libras adſcendere poſſe compertum eſt.

g) dolores ſedat, ſpasmum cutaneum ſoluit, ac ſenſilitatem neruorum cutaneorum, imo, ob conſenſum, intus in corpore reconditorum minuit.

Balnea e contra calida, naturalem corporis humani calorem multo ſuperantia, remediis heroicis merito adnumerantur. Augent haec calorem animalem, eleuant pulſum arteriarum, citant circuitum humorum, ſanguinemque velocitate aucta, ad peripheriam corporis, cerebrum, pulmones propellunt, expandunt humores; reſpiratio acceleratur, corpus ſudore perfunditur, ſequitur denique ad gradum caloris, in ſubiectis praecipue ſenſibilioribus vertigo, ſyncope, apoplexia interdum letalis. Balneum tamen calidum, forſan ob cutis irritationem in variolis confluentibus et inflammatione cerebri proficuum fuiſſe legimus. Inſtar veſicatorii tunc agere videtur.

CXL. Omnes hos effectus balnei tepidi rite adminiſtrati non modo contra rigiditatem ſolidi ſimplicis, ſed viui quoque, morbosque compoſitos varios eximie *prodeſſe* per ſe patet. Merito inde laudatur vſus balnei tepidi in habitu corporis rigido, ſtricto, ſicco; in morbis variis a tranſpiratione ſuppreſſa; in eruptionibus cutaneis acri-

moniam

moniam obtundendo, diluendo et per ſudorem eliciendo; in doloribus ac ſpasmis variis tam internis quam externis, paralyſi, atrophia, contracturis, maxime ſi frictionum (LXXXIII.) virtus huic balneationi ſuperadditur. Quantum mundities corporis, balneo tepido ſeruanda, ad tuendam ſanitatem valeat, notum eſt: Longe maior tamen eſt illius vſus in multis variisque morbis, pro auferendis ſordibus cutis, vnde morbus haud raro exacerbatur. Corpori animali ſano vis ineſſe videtur, pro arcenda et repellenda immunditie, inde homines, vti alia animalia, ſub ſtatu ſano, ſuperficiem habent nitidam, puram, haud a ſola frictioue deducendam, dum e contrario, aegrotorum cutis absque vllo cum ſordibus contactu, ſaepe impnra, ſordida deprehenditur.

CXLI. Abſtineatur contra haec in genere a balneatione tepida omni,

*a*) quoties humores copia peccant nimia, aut ſubiectum in violentas congeſtiones aut haemorrhagias qualescunque procliue eſt.

*b*) quoties habitus debilis laxus ad morbos hydropicos diſpoſitus, viſcerum ſuppuratio ſ. major labes aut febris lenta vel oedema adſint.

CXLII. Determinaturus itaque *vſum* balnei tepidi *iuſtum* chirurgus conſummatiſſimus ſit, dia-

gnosis prognoseosqua morborum probe gnarus, atque ad gradum effectus, sub insessu, post egressum e balneo, nec non sequelas reliquas quasque attentissimus.

CXLIII. Balnea tepida *localia*, pediluuia, maniluuia, seu vrinationes aliae quaecunque singulae cuiusdam partis corporis in aquam tepidam, aut stillicidia tepida simili vi relaxante, deriuante, revellente et, additis remediis, resoluente gaudent, vt monuimus. Cautelas dictas quoque pro his suadendis non negligendas esse, experientia suadet.

## Balneum vaporis.

CXLIV. *Balneum vaporis* (vaporosum), remediorum externorum, relaxantium, omnium potentissimum, *est* irroratio denudati corporis a vapore aquoso tepido, cuius calor naturalem corporis caloris gradum superare debet, ad superficum corporis arte deriuato.

CXLV. Audit

*a*) *vniuersale*, si superficies corporis maxima simul vapori exponitur.

*b*) *locale*, ad partem singulam corporis determinatum.

CXLVI. Balneo vaporosa parando *inseruiunt* liquores (CXXIV.) dicti, ope ignis in vapores soluti.

CXLVII.

CXLVII. Duplex praecipue innotuit *modus administrandi* balneum vaporis aegrotis :

*a*) aut etenim aeger includitur vapor ario, quod bene claufum repletur vaporibus tepidis collectis et furgentibus per tubum vaporarii fundum penetrantem, ex aqua bullienti, thermali, calida, aut calefacta ab exftinctione ferri candentis, in eandem immiffi.

*b*) aut corpus aegroti totum, praeter caput, committitur fellae fudatoriae, cuius probe claufae et obturatae cauum vapore dicto, per tubum, parti fellae inferiori adfixum, transmiffo repletur.

Vltimus modus priori iure praefertur, partim quatenus caput ad refpirationem contra vapores tuetur, partim quatenus hoc vapor ipfe gradusque caloris pro indicatione commodius temperari, augeri ac minui poffunt.

CXLVIII. Balneum vaporis *effectus* funt fimiles iis, quos (CXXXIX.) in balnei calidi pertractatione monuimus, gradu tamen his fuperiores: quare tempus commorationis in eodem ad vires aegroti et indicationes accommodandum; a fex minutis primis temporis vix vnquam ad dimidiam horam protrahatur, et cautelae (CXLI.) dictae fcrupulofiffime fcrutandae funt.

CXLIX. *Balneum vaporis locale* vario modo ad ſingulas quasque corporis partes admoueri poteſt, immiſſione membri in receptaculum vapore repletum, in feces, in animalia nuper mactata; vaporis calidi exceptione, inſeſſu, inſpiratione ope infundibuli, aeolipilae: quorum omnium delectus, opportunitas et cautelae in localium morborum hiſtoria fuſius exponentur.

## *Venaeſectio.*

CL. Venaeſectio *eſt* vetuſtiſſima tam prophylactice quam curatiue vtiliſſima et omnium frequentiſſima operatio chirurgica, qua vena quaedam ſingula opportuna inciditur, ſanguinisque tanta copia detrahitur, quanta ad obtinendam indicationem ſufficit.

CLI. Quanquam haecce operatio (CL.) toto die ab omnibus ipſisque tyronibus chirurgiae facili negotio inſtituatur, negari tamen haud poteſt, elegantioribus et quidem ſaepe ſatis arduis operationibus chirurgicis adnumerandam eſſe, nec niſi raro iuxta regulas genuinae artis accurate inſtitui venaeſectionem, quippe quae *requirit* chirurgum, non operationis ipſius modo gnarum et ambidextrum, ſed manu quoque agili et tenera, nec tremula vnquam, acie oculorum acri et anima intrepida praeditum.

CLII.

CLII. Venaesectionis *effectus immediati* et *perpetui* sunt

*a*) massae sanguineae imminutio.

*b*) depletio venae incisae arteriarumque huic respondentium.

*c*) adfluentia sanguinis ad has arterias relatiue aucta.

CLIII. Vnde iterum multiplices profluunt *effectus mediati;* quippe, massa sanguinis imminuta,

*a*) moles et resistentia mouendorum ad vasa minuitur.

*b*) cordis stimulus circulique impetus frangitur.

*c*) tensio vasorum neruorumque vicinorum minuitur.

*d*) sanguis fit rarior et respectiue attenuatur.

*e*) depletio venae sociaeque arteriae humores in ipsis accumulatos euacuat, ex vasis vicinis deriuat, circulum localem liberiorem reddit.

*f*) aucto sanguinis in atterias ad sectam venam pertinentes adfluxu, minori copia ille aliorsum fertur.

g) virium vitalium vigor in vniuersum infringitur.

CLIV. Omnis itaque sanguinis e vena incisa missio est

*a*) *euacua-*

a) *euacuatoria*, quatenus partem vaſorum ſanguiferorum deplet.

b) *ſpoliatoria*, quatenus humorum maſſam in genere, et cruoris quantitatem in ſpecie, minuit.

c) *deriuatoria*, quatenus vaſa vicina liberat, quae venaeſectio localis quoque ſalutatur.

d) *reuulſoria* demum, quatenus impetum humorum circulantium aliunde auocat.

CLV. Notandum tamen huius deriuationis efficaciam in vaſis remotioribus vix aut p rum ſaltem notabilem eſſe, eamque, vti quoque reuulſionem, vix vltra ſanguinis effluentis cohibitionem extendi; ſuadet interea ars tentare protractionem horum effectuum (CXLIV. c. d.) indicatorum miſſione ſanguinis parca et repetita ſaepius intra breue tempus, adhibitis ſimul relaxantibus et leniter ſtimulantibus.

CLVI. Ad diuerſos hos effectus (CLII. CLIII.) et ad obtinendas varias easque magni momenti indicationes vtiliſſimas, in multis ac variis morbis a plethora, inflammatione, congeſtione, obſtructione, ſpasmo, febri, ſcopo prophylactico et curatiuo adhibetur, et *praeſentiſſimis* ac *praeſtantiſſimis auxiliis* externis iure meritoque adnumeratur venaeſectio.

CLVII.

CLVII. Non tamen dissimuletur, *effectus* dictos vix ac ne vix quidem esse *vbique aequales*, nec aeque notabiles. Pro diuersa venae a corde distantia et capacitate, incisionis magnitudine, riuuli prosilientis velocitate, partium vicinarum conditione, copia sanguinis emissi, ætate ac viribus aegroti, orgasmo sanguinis, et debilitate venaesectionem insecuta, differt illorum gradus: in omnes itaque has conditiones inquirat scrupulosissime aestimaturus effectus venaesectionis cuiusque veros. Nunquam inde temere absque indicatione sufficienti suscipiat Chirurgus hanc operationem ob abusum haud raro nociuam.

CLVIII. Ad communem sanguinis missionem prae reliquis opportunae sequentes *habentur venae:*

- *a*) *capitis:* frontalis, angularis, ranina.
- *b*) *colli:* vena iugularis externa, colli media.
- *c*) *brachii:* cephalica, basilica, mediana cephalica, mediana basilica, mediana magna, vena cubitalis, radialis.
- *d*) *manus:* saluatella, cephalica.
- *e*) *membri virilis:* vena dorsalis penis.
- *f*) *pedis:* saphena interna, saphena externa, suralis.

CLIX. In omni venaesectione instituenda *attendatur* ad

*a*) *ap-*

a) *apparatum* necessarium,

b) *situm* aegroti atque chirurgi commodum,

c) *electionem venae* opportunae incidendae,

d) *injectionem fasciae* cohibiturae circuitum sanguinis per venam incidendam,

e) *incisionem* ipsam,

f) *eductionem* sanguinis,

g) debitam denique *deligationem* vulneris.

CLX. *Apparatum chirurgicum* pro venaesectione constituunt fascia lanea, textilis, mollis, vlnam longa, duos pollices lata: phlebotomum, s. lanceola chirurgica pro venaesectione, gracilis, nec nimis larga nec tenuis, nitida, acutissima, quae, manu dexteri chirurgi tractata, omnino multum praestat phlebotomo notissimo, elatere instructo: spleniolae qnadratae: fascia linea, vlnam circiter longa, duos pollices lata: paterae ideoneae pro sanguine excipiendo: spongia mollis pura cum aqua calida: candelae duae accensae, quoties noctu vel in opacis locorum venaesectio desideratur instituenda.

CLXI. *Situs* eius, cuius vena secanda est, in vniuersum talis esse debet, vt radii lucis nec manu, nec instrumento chirurgi, nec alio corpore, a loco incidendo arceantur. Situm *erectum* postulant vires vegetae phlebotomandi, et indicatio syncopes ex inanitione salutaris; *horizontalem* suadent meticulositas subiecti, debilitas,

sen-

ſenſibilitas magna, aut indicatio pro largo ſanguine detrahendo absque metu retardationis a debilitate nimia, cita, inſecutura.

CLXII. Situ idoneo determinato progreditur phlebotomator ad *explorandas* venas membri denudati: ſubiacens proxime ad has arteria vicina detegitur pulſu: tendo aut expanſio aponeurotica motu muſculari membri: os duritie palpabili: cellulоſa tela, venam circumdans, mobilitate venae ipſius maiori, minori. Venas abſconditas frictio inſtituta, ſpongia, aqua tepida madida, impoſita loco incidendo, aut membri denique ipſius balneatio tepida localis cummuniter vsque adeo eleuare ſolent, vt viſu vel tactu diſtinguantur.

CLXIII. *Vinculum laneum* molle deinde parva de loco incidendo diſtantia inter cor et venam incidendam binis factis ductibus injicitur, nodoque mobili paullo firmius conſtringitur, vt impedito ſanguinis refluxu venae intumeſcant, et magis fiant conſpicuae. Fortior compreſſio arterias ſimul conſtringens hoc effectu caret: in pinguibus fortior, in macilentis lenior conſtrictio conducit.

CLXIV. Linteamentis tunc impoſitis, ne veſtimenta vel lectum aegroti ſanguine madidentur, et membro, in quo ſecanda eſt vena, ita inuerſo, vt ſaltus cruoris prorumpentis, nec chirurgum nec aegrotum inquinet, chirurgus pedibus ſtans, ſeu

terram

terram genu tangens, aut, quod malunt alii, sedens, vna manu, non armata, prehendit membrum, figit pressione pollicis in distantia digiti transuersi circiter et dimidii a loco incidendo, venam tundendam, quo minus haec in cellulosa circumdante volubilis, sese sub operatione illinc subducat, et mox scalpellum anceps, quod pollice et indice manus alterius tenet, reliquis tribus digitis interea in membro phlebotomandi quiescentibus, prouide per integumenta in cauum venae turgidae oblique a parte exteriore *intundit*, manuque stabili eleuatum momento perpendiculariter retrahit, quo incisio obliqua ampliet satis vulnusculum inflictum. Octans pollicis sufficit plerumque pro longitudine talis vulneris; indicata autem euacuatio sanguinis venosi rapidior, solità suadet incisionem maiorem. Paraturi sanguini exitum e vena per phlebotomum elatere donatum, instrumentum lamina scindente eleuata, elatereque tenso, super venam tundendam modo descripto fixam, inter digitos tentum cuti imponunt, moxque per lenem pressionem instrumenti soluto elatere huius ope laminam per integumenta in cauum venae turgidae impellunt. Huius instrumenti vsum haud plane rejiciendum esse frequetissimae sanguinis missiones, saepe ab inertibus plane ac rudioribus hominibus Phlebotomo elastico peractae suadent, et infaustae venaesectionis sequelae

quelae longe rariores, vbi phlebotomo elastico vtimur, comparatae cum illis regionibus, vbi venae sola lanceola inciduntur. A chirurgo dextero et experto (CLI.) tamen operatio, longe elegantior ac securior lanceolae ope perficitur.

CLXV. Prorumpens *sanguis* pateris paratis simpliciter *excipitur*, modo caueatur, vt ne situs membri, cuius vena aperta est, sub detractione sanguinis mutetur, nec obliqua ac indirecta integumentorum positio fluxum sanguinis interrumpat. Lentior effluxus sanguinis motu vario musculari membri, frictione, ac vinculi iniecti aliquali solutione acceleratur.

CLXVI. Debita quantitate sanguinis educta vinculum (CLXIII.) membro iniectum soluitur, vena tusa pollice ac indice chirurgi infra et supra vulnusculum impositis ad sanguifluxum sistendum comprimitur, guttae sanguinis per membrum sparsae, et praecipue inter labia vulneris haerentes, spongia aqua tepida madida absterguntur, *labia* vulneris accurate iuxta sese *adducuntur*, et ope emplastri adhaesiui, super linteum aut simpliciter extensi, aut, quod praestat, ita vt pars lintei, quae vulnusculum attingit, nuda sit et ab emplastro immunis, in hoc situ *retinentur*. *Splenio-lum* siccum *superimponitur*, crassius in obesis, tenuius in macilentis; spleniolum liquido quocunque humectatum ob insequentem siccitatem ac du-

ritiem

ritiem irritare solet; denique apparatus totus *fascia circulari* modice adstricta *firmatur.*

CLXVII. Rite peracta venaesectione vulnusculum in homine sano breui *conglutinari* et, vt dicunt, ad primam indicationem *sanari* solet. In febribus tamen acutis, vti in morbis chronicis, vel latente acrimonia humorum qualicunque, interdum absque vlla chirurgi culpa metastases molestae ad vulnus venae sectae migrant aut ex eadem surgunt.

CLXVIII. Omnium frequentissima *venaesectio in flexura cubiti* instituitur: videtur autem selectus huius loci consuetudini potius, quam structurae partium commodae, adscribendus, dum venae per hunc articulum repentes plerumque loco contiguae sunt arteriis, tendinibus, aponeurosi, neruisue. Pro sectione hac eligitur ex venis, quarum situs heic in diuersis subiectis mire variat, maxime opportuna, siue quae nec nimis mobilis est, nec, vbi dantur arteriae, tendini, aponeurosi aut neruo incumbit. Talis, iniecto ad mediam aut paulo inferiorem ossis humeri partem vinculo, inciditur iuxta regulas artis. Mediana basilica arteriae brachiali incumbere solet; mediana cephalica autem tendini musculi bicipitis. Cephalica in plerisque tutior et a nexu ambiguo partium subiectarum remotior invenitur, licet interdum a neruo subcutaneo externo stipetur,

imo

imo circumdetur. In obeſis, quorum venae pleraeque tactum fugiunt et viſum, tunditur vena commoda in parte antibrachii quacunque detecta. Brachium infantis impatientioris, cuius vena ſecanda eſt, commode ſub operatione ad antibrachium adulti alligatur et ab eodem ſuſtinetur.

CLXIX. Pro vena *manus* rite ſecanda vinculum commode medio antibrachio injicitur et, vbi neceſſitas cogit, ſimul maniluuio tepido vtimur, quo turgeant venae, vel ccphalica inter metacarpum ac pollicem decurrens, vel ſalvatella iuxta dorſum manus repens: opportunior harum inciditur et, detracto ſanguine indicato, ſplenio et faſcia circulari munitur.

CLXX. Vinculo ſupra malleolos iniecto ac vtroque pede in aquam tepidam immiſſo, *vena pedis* opportuna quaque in conſpectum veniens, nec immediate oſſibus aut tendinibus incumbens pro *veuaeſectione pedis* incidi poteſt. Ad dijudicandam exacte copiam et qualitatem ſanguinis emiſſi praeſtat, vbi per circumſtantias licet, pedem mox ab inciſione facta non amplius pediluuio committere, ſed ſanguinem effluentem pateris idoneis excipere; euacuatione debita facta ſiſtitur fluxus, abſtergitur pes, et vulnuſculum ſplenio cum faſcia circulari deligatur.

CLXXI. Inter venas *adlatera colli* incidendas ramus poſterior venae iugularis externae vt pluri-

mum

mum maxime opportunus inuenitur. Vt accumuletur ſanguis in vena hac incidenda ipſaque turgeſcat, eandem infra locum incidendum comprimit fortiter pollice manus vnius chirurgus: vbi autem haec compreſſio ſimplex ſcopo non facit ſatis, ſplenium craſſe duplicatum imponitur lateri colli, in quo venaeſectio fiet, et adprimitur arcte ope faſciae contentiuae oblique iniectae ita, vt ex latere incidendo ſupra articulationem humeri tranſeat oblique infra axillam lateris oppoſiti. Ni apparatus compreſſiuus hic ex vno latere ſuffecerit pro diſtendendis venis ſanguine accumulato, ſimilis apparatus ob nexnm venarum mox decuſſatim ad alterum colli latus applicatur. Similis compreſſio machina propria huic ſcopo adaptata inſtitui poteſt. Vena incidenda, demum turgida, pollice vnius manus chirurgi figitur, dum altera manu ſcalpellum haud timide per integumenta craſſiora, ipſumque ſubiectum muſculum platysma myoideum in cauum venae ducitur, ipſaque vena inciſione prae conſueta reliquarum venaeſectionum maiori finditur. Detracto ſufficienti ſanguine, cuius radius per chartam luſoriam inflexam commode in patellam dirigitur, et apparatu compreſſorio ſoluto, ſanguinis fluxus glomere lintei carpti et empiaſtro adhaeſiuo vulneri ſuperimpoſito, vt plurimum facili negotio ſupprimitur, raro ſplenio ac faſcia circulari opus eſt. Reuulſionis

ſionis cauſa facta hac ſanguinis detractione pediluuium aut veneaſectio ad talos ſimul adhibita conducit.

CLXXII. Venae faciei frontalis nimirum ac augularis vti quoque ranina incidi omnino ad dictam methodum poſſunt, ob minorem vero earum diametrum raro ſufficientem ſanguinis copiam effundunt, inde in caſibus, vbi indicata videtur talis venaeſectio, plus opis de arteriotomia temporali ac hirudinibus merito exſpectatur.

CLXXIII. Vena dorſalis penis tumida in morbis huius membri inflammatoriis eximio cum vſu ſecari poteſt; cauendum tamen: ne ferrum ad iuxta poſitos neruos vel arterias penetret, nec membrum poſt detractum ſanguinem faſcia nimis arcta, ſtringatur.

CLXXIV. Sanguis ex vena corporis animalis viui inciſa effluens mentitur quidem ſe homogeneus; exceptus autem et quietis ac aëris frigidioris ope frigeſcens coagulatur ac breui *ſecedit* in *ſerum* et *craſſamentum*. Craſſamentum ſ. inſula conſtat ex lympha coagulata, quae dat tenacitatem, ac interdum cruſtam inflammatoriam dictam format; et ex parte priori ſpecifice grauiori, quae colorem rubrum largitur; ſerum vero conſtituunt ſimilis lympha coagulabilis et pars aquoſa, quae ſalia ſoluta tenet.

CLXXV.

CLXXV. Separationem hanc (CLXXIV.) *non ſubit* ſanguis, ſi, quamprimum e vena miſſus fuerit, ſtatim exponatur gradui frigoris, quo aqua congelatur, aut ad hunc proxime accedenti, ſed in maſſam vniformem coit: Nec ſecedunt partes hae ſanguinis venoſi excepti pateris ſiccis, calidis et ſeruati in loco calidiori, namque adglutinatio ſuperficiei ad ſuperficiem internam vaſis continentis obſtat receſſui partium futuro.

CLXXVI. Harum partium copia, proportio mutua, tenacitas, lentus aut citus ſeceſſus, cohaerentia, color, cruſta denique craſſamento inſidens in miſſo ſanguine probe obſeruatae et collatae cum genio morbi, indicatione ſanguinis mittendi, effectu detractionem ſanguinis ſecuto, quoad vires, pulſum ac mutationes corporis reliquas, ad *nouas ducunt indicationes* infra ſuo loco in pertracttatione morborum localium fuſius exponendas.

CLXXVII. Venaeſectio varias *noxas* inferre poteſt, aut vitio chirurgi operantis adſcribendas, aut aliunde orituras, quarum ſingularum tractatio diffuſa quidem ad morborum localium hiſtoriam pertinet, quas tamen, commoditatis diſcentium ergo, collectas, ſaluo ſyſtematis ordine, deſcriptioni huius operationis, chirurgicarum omnium communiſſimae, ſubiungere et ſeorſim ſiſtere liceat. Sunt autem grauiſſimae harum: ecchymoſis,

ſis, arteriae, vaſis lymphatici, nerui, tendinis, perioſtei, oſſis laeſio, phlegmone, inflammatio interna venae inciſae, fruſtulum inſtrumenti ſecantis deciduum in vulneri relictum, miasma vulneri inſitum phlebotomo non nitide ſatis ante deterſo, ſyncope.

## *Ecchymoſis.*

CLXXVIII. Ecchymoſis eſt ſanguinis venoſi in telam celluloſam vicinam effuſio.

CLXXIX. Ecchymoſis venaeſectionem inſecutura *dignoſcitur* tumore

*a*) rotundo, eleuato, *circumſcripto*, qui *Thrombus* audit;

*b*) *diffuſo*, *illimitato*, planiori, (ecchymoſis ſtricte talis); in vicinia vulnuſculi venaeſectione inflicti, ſponte oborto, cuti ab initio concolori, iudolenti, deinde variegato colore nigricante, caeruleo, flauo.

CLXXX. Ecchymoſis a venaeſectione *oritur*

*a*) immediate poſt inciſionem venae,

*b*) ſub effluxu ſanguinis proſilientis, aut denique

*c*) vulnere deligato.

CLXXXI. Huius vitii *cauſſae* eſſe poſſunt

 *a*) ſitus

*a*) ſitus membri mutatus durante ſanguinis e vena profluuio.

*b*) inciſio integumentorum nimis parua, aut directio obliqua inciſionis cutaneae ad vulnuſculum inflictum venae.

*c*) praeciſura vel laeſio parietis poſterioris venae.

*d*) exercitatio praematura aut vehemens membri, ex quo ſanguis detractus eſt.

CLXXXII. Ecchymoſis leuis ſuperueniens effluxui ſanguinis ex vena inciſa, *exigit* citam vinculi ſolutionem; articulo deinde repoſito ad ſitum, quo tenebatur ſub ipſa inciſione, detractionem ſanguinis repetere licet poſt iniectum iterum lege artis vinculum. Ecchymoſis contra haec tanta, quae vel inhibet effluxum ſanguinis de vena inciſa ruentis omnem, vel radium tenuem filiformem modo transmittit, exigit non citam tantum vinculi ſolutionem, ſed neceſſario deſinendum a detractione vberiore ſanguinis trans tumorem, dilatationem tutam vulneris venae inflicti vix ac ne vix admiſſurum: potius tundatur, vbi caſus praeſens deſiderat, alia vena opportuna.

CLXXXIII. In *curatione* ad gradum mali eſt reſpiciendum: etenim

*a*) in ecchymoſi leuiori (quid quod ſat graui interdum) reſorptio cruoris ſub cute diffuſi vel perficitur ſolis viribus naturae

ſibi

sibi relictae, vel curatur remediis externis discutientibus, adstringentibus (e. g. splenio, aceto, solutione salis ammoniaci aquasa diluta, aut liquore spirituoso madido) et frictione leni.

*b*) grauius malum, vbi nempe notabilis tumor subsistit, nec, quod rarius, remediis dictis (a) cedit, et effusus sanguis irritatione sua dolores et inflammationes creat, locorum maxime stimuli impatientiorum, incisionem tempestiuam poscit: nec emollientia aduersus hoc malum valent, quoniam tumor purum sanguinem continens nunquam ritam suppurationem admittit teste experientia, vulnus adeoque hoc vlceris simplicis instar tractandum.

## *Laesio arteriae.*

CLXXXIV. *Laesiones arteriarum* ab operatione venaesectionis incauta *effectus* sortiuntur pro gradu laesionis et directione vulneris diuersos: Licet omnes inuoluant integritatem canalis arteriosi totius, vel singularium tunicarum hunc constituentium solutam violentia instrumenti secantis externa, atque adeo vulnus parietem arteriosum totum vel partem eiusdem penetrans.

 CLXXXV.

CLXXXV. Quoad *gradum* laesionis vulnus penetrat aut

*a*) *tunicas* arteriam constituentes *omnes*, vnde

*aa*) torrens sanguinis arteriosi per incisionem prosiliens rapidus.

*bb*) vel effusio sanguinis arteriosi per telam cellulosam vicinam, inducens tumorem illimitatum vel circumscriptum, totidem aneurismatis spurii species.

*cc*) aut denique alitur cummunio immediata praeternaturalis venam inter et arteriam sociam, desinens interdum in aneurisma varicosum, aut

*b*) *externas* tantum, quo irruenti sanguini arterioso resistendo impar facta tunica arteriosa interna, per exteriores incisas protusa lente expanditur, et speciem aneurismatis mixti format.

CLXXXVI. Sanguis ex arteria incisa *libere profluit*, quoties directio vulneris arteriosi penetrantis respondet directioni vulnerum inflictorum cuti et partibus inter hanc et arteriam incisam mediis.

CLXXXVII. *Dignoscitur* a profluuio violentiori sanguinis purpurei cito coagulabilis et saltu radii cruenti cum systole arteriae contemporali; dum

dum autem liquet, hunc ſaltum quoad magnam partem imitaturum radium ſanguinis venoſi eiecti ex vena inciſa, cui arteria immediate ſubjacet; compreſſio venae ſupra et infra inciſionem ſanguifluxum nec ſiſtens neque minuens, vti et compreſſio arteriae in loco vicino inter cor et inciſionem ſaltum inhibens, dant ſigna arteriae laeſae infallibilia.

CLXXXVIII. Status hic curetur

*a*) certa tutaque ſanguinis arterioſi profilientis inhibitione.

*b*) perfecta vulnuſculi arteriae inflicti conglutinatione ſubleuanda.

CLXXXIC. Ad hasce indicationes obtinendas *conducunt*

*a*) detractio ſanguinis per inciſionem factam ad animi deliquium vsque, quo franguntur ſimul vires vitales ſanguinis impetum ſuffulciturae.

*b*) in hoc aegroti ſtatu arteria laeſa flexo prius articulo comprimitur ſpleniis duris craſſis per gradus ſemper amplioribus apice ſingulae arteriae parti innitentibus, quae aut propria parua machina cortortili huic ſcopo adaptata aut faſcia longa firma haud nimis lata caute conſtricta firmantur.

*c*) tota

c) tota tunc extremitas inde ab apice digitorum inuoluitur fascia circulari leniter constricta, cui subiectum sit splenium oblongum pollicis circa crassitiei ad tractum arterias laesae, pro impetu sanguinis versus partem laesam moderando, et solicite caueatur, vt ne situs membri mutetur, nec apparatus deligationis soluatur, sed relinquatur intactus vsque ad conglutinationem perfectam arteriae laesae, nisi symptomata vrgeant, fascia sua sponte laxetur aut haemorrhagia recrudescat.

d) regimen frigidum, diaeta tenuis, quies corporis et venaesectiones pro re nata repetitae adhibeantur.

e) haemorrhagiae reditus, aut effusio sanguinis in cellulosam, aut inflammatio superveniens, poscunt apparatum deligationis mutandum et methodum suo loco exponendam.

CXC. Sequitur venaesectionem incaute institutam *effusio illimitata sanguinis arteriosi* in telam cellulosam, quoties directio incisionis cutanea non respondet accurate directioni vulneris arteriam penetrantis, non admodum exigui.

CXCI. Sistit *diagnosin* huius (LXXXV bb.), tumor circum incisionem subito exortus, in initio

mollis,

mollis, decolor, pulſans, cito deinde increſcens, dureſcens, in aequalitatem ſe diſtendens, ob partium diſtenſionem dolens, iam leuiſſime aut plane non pulſans, colorem liuidum caeruleum nigricantem induens.

CXCII. *Effectus* huius laeſionis *primitiui* ſunt tumoris augmentum ac cita diffuſio, moles enim ſanguinis ex vulnerata arteria continuo flumine elabentis, cum per externum vulnus ob eius obliquitatem ſufficienter euacuari nequeat, et obortus tumor effluxum inhibeat, in textum celluloſum effuſa jugiter augetur, donec integumenta amplius cedere nequeant, vel haemorrhagia aliqua ex cauſa coërceatur.

CXCIII. Accumulati in telà celluloſa cruoris *effectus conſecutiui* ſunt triplices: cruoris nimirum effuſi moles

*a*) partes corporis ſenſiles diſtendit, dolores creat, inflammationes parit.

*b*) reſiſtentia cutis reagens contra volumen tumoris mediante hoc parit compreſſionem partium mollium, vnde motus muſcularis debilitas, abolitio, circuitus ſanguinis impedimentum vel ſuppreſſio, caloris vitalis exſtinctio.

*c*) putreſcit effuſus ſanguis, inde gangraena, ſphacelus, reſorptio et quae ea ſequuntur.

CXCIV.

CXCIV. Laesionis huius *prognosis* ex gradu vehementiae et duratione morbi collatis cum conditionibus corporis reliquis et effectibus consecutiuis perspectis, colligitur.

CXCV. Incrementum mali *auertitur*

*a*) compressione arteriae laesae tempestiua, antequam cruor effusus in molem nimiam increuerit.

*b*) detractione sanguinis cita, larga ad deliquium animi vsque ex alia vena idonea incidenda.

CXCVI. Mali iam praesentis *curatio* exigit, vt tententur

*a*) circumuolutio membri totius dicta: irrigatio fasciarum continentium a liquore spirituoso adstringente, v. c. aqua vulneraria Thedeniana, nec non reliqua (CLXXXIX.) allata.

*b*) resorptione nondum horum ope succedente, et imminentibus symptomatibus consecutiuis (CXCIII.), sistatur, post vulnus externum lege artis dilatatum, profluuium sanguinis arteriosi compressione immediata arteriae laesae, aut ligatura ad methodum suo loco exponendam, quemadmodum sanguis effusus a tela cellulosa incisione cutis idonea detrahatur.

CXCVII.

CXCVII. Recentiorum nonnulli, refragantibus licet theoria et experientia, *improbarunt* compressionem arteriae vulneratae et *inuolutionem membri* supra commendatas, quatenns haec deligatio judicetur intercepere ex parte circuitum sanguinis venosi: ast lenis haec venarum compressio non compensatur tantum abunde per diminutionem influxus sanguinis arteriosi eodem artificio praestitam, sed auertit simul oedéma membri fatale, quod comprimit fortiter vicina quaeque vasa, maiora, minora et minima, imo calorem animalem ipsum diminuit et tandem exstinguit.

CXCVIII. Sanguinis arteriosi post venaesectionem *effusio limitata* oritur, vbi sanguis arteriosus e paruo vulnere, hinc minori impetu egressus

*a*) coagulo iuxta vulnus arteriae nato ipsum huius vulnus obturat.

*b*) aut tunica arteriae cellulosa limitatus tumorem oblongum format.

*c*) aut coagulo lamellatim dispofito subrotundam eminentiam inducit.

Dum autem haec vitia sunt totidem species aneurismatis spurii limitati, et haec haud secus ac aneurisma varicosum non poscunt medelam praecipitem, specialem horum expositionem ad caput de aneurismate differimus.

Lym-

## *Lymphatici vasis laesio.*

CXCIX. Vasculum lymphaticum sub venaesectione laesum esse *indicat* diuturnum stillicidium lymphaticum coalitionem vulneris impediens.

CC. Laesio haecce, rarior in brachio, frequentior in pede, venaesectionis sequela, aliqualem *diuersitatem* admittit, prout nempe vasculi lymphatici

*a*) vel totalis abscissio,

*b*) vel partialis laesio adfuerit,

ex sola difficultate sanationis distinguenda.

CCI. Quae totali abscissioni paratur *medicina*, in compressione simplicissima et deligatione sicca, vel, vbi haec minus suffecerint, in applicatione medicamenti adstringentis, spirituosi, saturnini consistit.

CCII. Partialis dissolutio huic therapiae haud cedens, caustica, vel tutius incisionem totalemque vasis abscissionem et succedentem deinde compressionem congruam, *poscit:* alii de promotione suppurationis, ope cataplasmatis emollientis et vnguenti digestiui, citiorem sanationem sperant.

## *Nerui laesio.*

CCIII. *Laesio partialis* siue *punctura neruuli*, aut *abscissio* eiusdem totalis, dignoscenda a grauitate symptomatum, accidere potest sub venaesectione,

tione, aut vitio chirurgi incidentis venam transuerſe, aut profunde nimis, ſic vt laedatur paries poſterior venae, aut absque eius culpa, dum ſurculi nervoſi, nullo ſenſus acumine detegendi, interdum venas ambiunt.

CCIV. *Effectus primarius* huius laeſionis eſt ſenſus doloris acutiſſimi ac inſoliti ſub venaeſectione ad tractum nerui ſe extendens, qui in homine ſano nec valde irritabili ſaepe ceſſat breui, atque conſolidationem vulnuſculi absque vlla complicatione admittit.

CCV. *Effectus ſecundarii* talis laeſionis eſſe poſſunt tumor inflammatorius, ac durities labiorum vulneris, dolor punctorius increſcens, deinde ardens ad ſummum ſaepe gradum auctus, humoris tenuis, acris, e vulnere ſtillicidium, rubor per membrum laeſum late diffuſus, immanis totius membri tumor, febris intenſiſſima, delirium, ſpasmi, conuulſiones, mors.

CCVI. Quae ſymptomata plerumque mox ab indole morbi cognita *auertere* licet larga ſanguinis per inciſionem factam, vel ex alia vena opportuna detractione, repetenda pro re nata; quiete membri abſoluta; indefeſſa partis fomentatione frigida, acida, ſaturnina; regimine frigido; diaeta tenui parca; inuolutione totius membri (CLXXXIX.) ad artem inſtituta.

CCVII.

CCVII. Symptomata *grauiora* si iam adsint, adplicationes hirudinum repetitas, ad vulnusculi labia tumida; liberalem opii vsum internum et externum; inunctiones vnguinosas blandissimas *poscunt*. Instillatio olei therebintinae s. balsami peruuiani in vulnusculum multis laudata vix ad sedem mali vsque penetrare posse videtur, nisi sedes mali valde superficialis, vel vulnus in antecessum dilatatum sit.

CCVIII. *Summus* symptomatum *gradus desiderat* incisionem intrepidam, profundam satis, modo parcentem, quoad fieri potest, arteriis ac neruis maioribus vicinis: haec, si scopus attingitur, partesque tensae rite diuisae fuerint, citum leuamen eo ipso momento affert. Nonnulli caustico imposito symptomata sedarunt. Nisi hoc succedat miserrimum in amputatione partis refugium superest, et ne hanc quidem semper ad malum grauissimum tollendum suffecisse experientia tristis docuit.

## *Tendinis, periostei s. ossis laesio.*

CCIX. Tendines, aponeuroses, periosteum ipsaque ossa laedi possunt a chirurgo venam pedis inprovide secante: laesiones harum partium in genere quidem nulla symptomata grauia inducunt, interdum tamen pariunt symptomata neruosis satis

simi

ſimilia, et tunc ad (CCVI.) dictam methodum tractanda. Anceps ſtatus (CCII.) interdum tendinis aut aponeuroſeos maxime inflammatae, decoloris, intercifionem et ad tarſum inciſionem ad os vsque prudenter protractam poſcit; quae omnia in chirurgia vulnerum accuratius pertractanda.

## *Tunicae venae internae inflammatio.*

CCX. Obſervatum eſt a recentioribus tunicam venae ſectae internam interdum ſubire inflammationem grauem, ad cor ipſum vsquo propagatam, ſuppuratam interdum intermiſcuiſſe materiam purulentam ſanguini, ſaepe letiferam. Qui ſtátus tamen omnibus rite perpenſis effectus potius, quam cauſa ſymptomatum enumeratorum (CCII.) ſaepiſſime dicendus, vſu tempeſtiuo ac ſtrenuo methodi commendatae (CCVI.) auertatur atque curetur, omnibus viribus occurrendo inflammationi ac ſymptomatibus neruoſis ad methodum ſuo loco exponendam. Compreſſione ad ſuperiorem venae partem, progreſſui ſuppurationis, cohaeſionem parietum inducendo, obſtare, compertum eſt.

## *Phlegmone et abſceſſus poſt venaeſectionem.*

CCXI. Absque vllo chirurgi vitio, aut laeſione partis alienae vllius, oritur interdum in vena ſecta phlegmone, ſequiturque abſceſſus vel

in-

inflammatorius simplex, vel metastaticus, vel criticus symptomatibus solitis suo loco dicendis stipatus. Contingunt haec interdum in febribus acutis et lentis, rarius in subiectis nullo alio morbo laborantibus: Dijudicentur itaque atque sanentur saepius iuxta indolem morbi specialis, qui adest.

## *Aliena per venaesectionem cum corpore communicata.*

CCXII. Per phlebotomum negligentia chirurgi non detersum, impurum, quo plures venae sectae, aut abscessus miasmate inductus incisus, virus variolosum insitum et sic porro, possunt ex vno subiecto in aliud transferri acrimoniae variae, e. g. miasma variolosum, scabiosum, venereum, vix, nisi interiectis aliquot a venaesectione diebus, suspicandae ab inflammatione vulneris, stria dolente, subrubra, tumida, vasorum lymphaticorum tractum sequente, ac tumore glandularum axillarium s. inguinalium et succedentibus deinde symptomatibus morbo insito propriis, quae medelam poscunt genio eiusdem accommodatam.

CCXIII. Pars phlebotomi, vt plurimum elatere praediti, sub venaesectione ad tarsum in ossis superficiem penetrans et huic insixa haerens, nisi mox ope forcipis paruae extrahi possit, vlcus

vi-

vt plurimum parit, quod frustulum relictum suppuratione solutum educit: idem interdum ab impetu sanguinis per vulnus fluentis trahitur et ejicitur.

## *Syncope.*

CCXIV. *Syncope* interdum comes venaesectionis in meticulosis, aut quibus maior sanguinis copia detracta est, in vniuersum haud momentosa esse solet, in nonnullis morbis, vti hernia incarcerata, luxatione, inflammatione, salutaris esse potest, lentiori eductione sanguinis praeuertitur et situ aegroti horizontali, ac excitantibus lenibus variis facile cedit.

## *Arteriotomia.*

CCXV. Arteriotomia *est* incisio arteriae opportunae pro mittendo sanguini instituta.

CCXVI. *Effectus* huius generatim similes sunt iis, quos ad venaesectionem notauimus licet, ceteris paribus, gradu maiores: Non attamen negandum, grauiorem effectum euacuantem, deriuantem, reuellentem, maioris arteriae incisae vix compensare periculum et incommoda, quibus talis arteriae laesio hominem exponit.

CCXVII. Arteriae itaque ad hanc sanguinis missionem prae reliquis *opportunae* et tutiores, sunt rami arteriae temporalis, quippe qui facile

et

et tuto verſus os ſubiectum comprimuntur: quare inciſio horum merito in variis capitis atque oculorum adfectibus laudatur. Seligant, praeter has, qui cupiunt, ad arteriotomiam tutam arterias iuxta latera digitorum decurrentes.

CCXVIII. Arteriotomia temporalis ſequenti modo *inſtituitur:* Aegroto in ſedili collocato ac capite in latus oppoſitum inclinato, rite explorat chirurgus arterias pulſantes, et nec nimis magnam nec tenuem interuallo vnius ad minimum pollicis a radice proceſſus zygomatici *eligat.* Mox modo ſuperius de venaeſectione praeſcripto arteria ſcalpello oblique inciditur, aut, dum hoc ob exiguum lumen canaliculi arterioſi valde difficile ſit, tranſcinditur tota: ſanguinis fluxus compreſſione arteriae ſupra inciſionem digito facta acceleratur.

CCXIX. Debita ſanguinis quantitate detracta rite abſterſo ſanguine, labiisque vulneris adductis, *ſanguifluxus* glomere lintei carpti ſolido, emplaſtri adhaeſiui ope firmato vt plurimum facile negotio *ſupprimitur;* raro ſpleniis ac faſcia circulari opus eſt.

CCXX. Arteria maioris luminis, aut non perfecte tranſciſſa, aut ſimul iuſto profundius verſus aurem ſecta, interdum haemorrhagiam parit, difficulter ſiſtendam, ſaepius recrudeſcentem, et

hinc

hinc valde moleſtam, cui licet triplici modo occurrere, ſcilicet.

*a*) *compreſſione* fortiori a ſpleniis duris graduatis impoſitis, firmandis faſcia idonea, aut, quod praeſtat, turculari paruo, quali ad aneurisma ſpurium in flexum cubiti comprimendum vtimur (CLXXXIX.), vel ope elateris: quae compreſſio, incommoda quamvis, omnino diu ſatis eſt continuanda.

*b*) *diſſectione* totali transuerſa arteriae, qua facta ſanatio exſpectatur tutior ac citior a compreſſione leniori.

*c*) *ligatura* arteriae laeſae dilatato in anteceſſum vulnere, inſtituenda ad methodum ſuo loco explicandam: haec omnium tutiſſime ſiſtit haemorrhagias arterioſas.

## *Scarificatio.*

CCXXI. Scarificatio, antiquiſſimum medendi genus, *eſt* crebra tegumentorum communium in loco indicato inciſio, quae ad educendum vaſorum minorum ſanguinem vel laticem in tela celluloſa effuſum, aut lanceola chirurgica aut peculiari inſtrumento ſcarificatorio vel alio demum modo peragitur.

CCXXII. Scarificatio *inſtituitur* in ſumma cute interdum profundior ad cellulofam penetrans, *lanceola* chirurgica, qua integumenta incidenda diuiduntur pluribus plagis. Haec medendi ratio vtiliter adminiſtratur in grauiſſima coniunctiuae inflammatione, oedemate, gangrena aliisque morbis, ſuo loco fuſius dicendis.

CCXXIII. Vſitatior et magis commodus ſcarificandi modus, *machina ſcarificatoria* peragitur, in qua plures vulgo ſedecim ſcalpelli reconditi, qui protruſi ad certum ac determinatum profunditatis gradum dirigi poſſunt, elatere mouentur. Hocce inſtrumentum, eleuatis ſcalpellis, cuti imponitur incidendae, tenſumque intus abditum elater depreſſo ſtilo confeſtim ita ſoluitur, vt ſcalpella vi proſilientia vno ictu totidem vulnuſcula parua cutis ſuperficiei infligant.

CCXXIV. Tali ſcarificatione quum non niſi vaſa cutanea capillaria laeduntur, ſanguinis effluxus mire augeri poteſt, cute in anteceſſum aqua tepida fota, et ante ſcarificationem loco cutis incidendo per cucurbitam impoſitam eleuato. Facta ſcarificatione cruenta cucurbita denuo ad alliciendum ſanguinem imponitur; quae operatio pluribus in locis pro indicatione reiteratur.

CCXXV. Aër contentus cucurbitis, figurae et magnitudinis diuerſarum, pro diuerſitate partium corporis humani, ad quas adhibentur, ex-

pellitur

pellitur flamma candelae accenſae, cui ſuperimponuntur, vel ſpiritu vini cucurbitis inuerſis commiſſo et flamma chartae vrentis accenſo: calidae et ſic ab aëre vacuae cucurbitae mox cuti impoſitae, eidem firmiter adhaerent, et ope aëris extus prementis ſanguinem a locis ſcarificatis exſugunt.

CCXXVI. Absque ſcarificatione praeuia cucurbitae cuti integrae applicari poſſunt ad leniorem absque euacuatione deriuationem ac ſolidi viui irritationem aliqualem efficiendam. Hae *cucurbitae ſiccae* ſ. *ventoſae* ſalutari ſolent.

CCXXVII. Scarificatio ſatis copioſum ſanguinem educens communes cum venaeſectione habet *effectus*; efficacius tamen ex vaſculis vicinis ſanguinem deriuat, quam iſta, inde in multis ac variis morbis capitis, oculorum, aurium, colli, pectoris et abdominis, in paralyſi, doloribus variis, inflammationibus profundis, vulneribus venenatis, eruptionibus variis cutaneis, acrimonia locali educenda &c. inſignem vſum praeſtat, in vniuerſum tamen quantum fieri poteſt in vicinitate loci adfecti adhibeatur. In ſubiectis obeſis, quorum venae difficulter detegendae vel omnino latent, ſcarificationes frequenter repetitae locum venaeſectionis tenere valent.

CCXXVIII. Sufficiente ad indicationem quantitate ſanguinis educta, vulnuſcula ſeuo recenti ſ.

cremore lactis illinito, absque vllo incommodo *ſanari* ſolent.

CCXXIX. Scarificationem in genere admittunt *loca* integumentorum communium corporis quaeque mollia ſatis, nec vaſis ſanguiferis maioribus aut neruis notabilioribus vicina nimis, quo rumque figura externa baſi cucurbitarum conuenit. Selectum loci ſpecialis, numerum ſcarificationum ac cucurbitarum, vti quoque copiam ſanguinis educendi determinant morbi indoles, vires aegroti ac deriuationis efficaciſſimae neceſſitas.

## *Sanguiſugium.*

CCXXX. Sanguiſugium *eſt* eductio ſanguinis ex vaſculis cutaneis per ſuctionem hirudinum adplicatarum.

CCXXXI. Ad ſanguinem educendum *eligantur* hirudines medicinales, capite tenui turbinato, ad dorſum octo ſtriis ſubflauis virideſcentibus, punctis nigricantibus indeterminatis praeditae, ventre nigro, maculisque ſubflauis variegatae, tempore vernali calido ex aquis puris ſabuloſis exſumptae. Aliae ſpecies aut ex aquis impuris paludoſis captae et adhibitae dolorem ac inſequentem tumorem ac inflammationem in locis ſuctis efficiunt.

CCXXXII. Quum hirudines vix impuram cutem adgrediantur, haec in anteceſſum probe a ſor-

ſordibus *mundetur*: quo facto hirudo per aliquot minuta prima temporis extra aquam ſeruata, linteo puro, aut charta luſoria in cylindrum inflexa, inuoluta, aut vitro paruo incluſa, capite ad locum cutis pungendum *admota*, ope trium valuularum ſemilunarium dentatarum vulnuſculum triangulare eidem infligit ſanguinemque *exſugit.* Sanguine ſaturata aut ſponte decidit, non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo, ſin minus, adſperſo ſale ſeu cinere ſ. puluere tabaci cogitur; minime vero violenter auferatur.

CCXXXIII. Sanguinis *effluxus* ſoluta hirudine per plures horas interdum ſubſiſtit, lotu tepido, aut, quod melius, ſi locus concedat, cucurbita admota *promouetur.* Profluuium ſanguinis *nimium* ex laeſione arteriolae vel tenuitate ſanguinis nimia vel a violenta hirudinis detractione, impoſito agarico leuique compreſſione *ſupprimitur.*

CCXXXIV. Sanguiſugii *effectus* non tantum coincidunt cum illis ſcarificationis ſed illos vtilitate ſuperant. Commodiſſimum certe, quid quod vnicum ſaepiſſime eſt auxilium in variis adfectibus, qui localem ſanguinis miſſionem poſcunt, reliquos autem modos hactenus recenſitos excludunt. Sanguiſugium inde remediis efficaciſſimis chirurgicis iure adnumerari meretur.

CCXXXV. Inter multos ac varios morbos, in quibus ſanguiſugii *vſus* partim venerandae antiquitati,

tati,

tati, partim noſtris temporibus certa experientia *comprobatus* eſt, enumerare liceat *inflammationes* omnes, quae ſanguinis miſſiones locales poſcunt, vti pleuritis, phrenitis, ophthalmia, angina, linguae inflammatio, panaritium, iſchuria, dyſuria, teneſmus, haemorrhoides inflammatoriae criticae, et ſymptomaticae minores; dolores varii, cuiusmodi ſunt cephalalgia, odontalgia, otalgia, dentitio infantum difficilis, arthritis, podagra; morbos epidemicos putridos, cum violenta congeſtione ad caput venaeſectionem excludentes; infantum morbos ac eruptiones cutaneas, vbi venae haud detegendae, ſanguinis miſſiones poſcentes; ſcabiem, herpetes cet. in localium morborum chirurgia vberius explicandas.

CCXXXVI. Hirudinum applicandarum *numerum* et *locum* cutis ſeligendum determinant morbi genius, vires aegroti ac indicatio euacuationis et deriuationis hoc auxilio praeſtandae. In vniuerſum, quantum circumſtantiae permittunt, quam proxime ad locum affectum applicentur hirudines: ceterum non diffitendum eſt incautum hirudinum vſum et loco et copia ſanguinis emiſſi nocere poſſe. Si ab incauta hirudinum applicatione ſingula vel deglutita vel alia orificia naturalia ingreſſa fuerit, mox aſſumta vel injecta ſolutione ſalis culinaris vel decocti nicotianae necandaerit.

*Ve-*

# *Veſicatorium.*

CCXXXVII. Veſicatorium *eſt* medicamentum adplicatum parti ſingulae externae corporis, praeditum acrimonia peculiari, quae cuticulam ſubiectam in veſiculas eleuare valet.

CCXXXVIII. Irritantem *materiam* huic communiſſime ſuppeditant. Meloe veſicatorius, L. Lytta Veſicatoria F. cantharides officinales, caeruleo virides, foetentes, ſiccatae, nec eroſae: vis cutem hominis viui irritandi, vrendi ineſt omnibus partibus huius inſecti, trunco tamen maior, alis, capiti, pedibus minor.

CCXXXIX. Portio harum cantharidum pulueriſatarum indicationi accommodata *miſcetur* emplaſtro idoneo vel cerato vel fermento panis; maſſa ſuper alutam vel linteum, magnitudinis pro irritabilitate ſubiecti ac genio morbi variae, extenſa *imponitur* nudae ac integrae epidermidi, abraſis antea caute absque laeſione cutis crinibus ſiue capillis, frictoque loco, et faſcia contentiua firmatur. Similem effectum praeſtat eſſentia cantharidum ope lintei carpti vel lintei, parti cuidam corporis ſaepius adplicata.

CCXL. Elapſis pro diuerſitate ſubiecti et morbi octo vel duodecim horis vel pro re nata pluribus; epidermis, quae tunc in *bullas* levata invenitur, niſi in anteceſſum rupta fuerit, ad partem

tem inferiorem forſice *inciditur* et humor, qui intus coiit, *emittitur.* *Imponitur* ſuper cutem ſic exaſperatam vnguentum v. c. baſilicum ſ. balſamum vniuerſale linteo illitum, cui ſi largior effluxus aut inſequens ſuppuratio indicantur, paucillum pulueris cantharidum addi poteſt, vel quod ſaepiſſime praeferendum erit, cataplasma emolliens imponitur. Effluxum hunc ſeroſum ab eleccricitate quoque augeri compertum eſt. Si promtiſſimus effectus indicatus eſt, vel viae vrinariae adfectio adfuerit, paſta ex pulvere ſeminum ſinapi, vel ex puluere Zingiberis ſub quo ſpiritus vini aduſtus eſt imponi poterit loco cantharidum. Inter omnia veſicantia, nullum tamen promtiorem effectum edit, quam *aqua fervida*, cuius remedii praeſtantia propriis quoque obſeruatis comprobata eſt. In caſu ubi promtiſſimo incitamento opus eſt, ſequen s encheïreſis nobis in vſu eſt. Loco corporis cuius veſicatio deſideratur corium craſſum tanto oriſicio præditum quantum ſpatium ambitus veſicatorii occupare debet nudæ cuti adprimitur, cui loco tunc aqua fervida ſuper infunditur, quo facto mox veſicæ ſequuntur.

CCXLI. Medicamenti huius rite applicati *effectum externum* dictum praecedit et comitatur partis veſicatorio tectae inflammatio, quae paucis plerumque ab impoſitione veſicatorii horis contingere ſolet. Veſiculis lympha ſeroque turgidis,

ortis

ortis infringitur irritatio, quae recrudeſcit, vbi illae vel arte inciſae, vel ſponte disruptae contentum humorem effundunt ipſamque cutem denudatam relinquunt. Eidem corporis parti iterum adplicatum veſicatorium irritationem perpetuam reddit, et vlceris artificialis ſpeciem creat.

CCXLII. Vnde facile perſpicitur *internus* ejusdem auxilii *effectus.* Quippe acrimoniae hujus ſtimulus

*a)* validam ſolidi viui irritationem,

*b)* ſanguinis majorem adfluxum,

*c)* lymphae ſeriue effuſionem excitat.

CCXLIII. Praeter hoſce veſicatorii effectus immediatos alii quoque *mediati* ſunt dicendi. Quo intenſior eſt irritatio, quo ſenſilius ſubiectum, eo grauiorem *ſymptomatum febrilium* ſyndromen adducit neruorum conſenſus cum irritatione euaneſcentem, recrudeſcentem. Deinde *alia irritatio,* praeter naturam, vt ajunt, orta ante veſicatorium applicatum, occupans locum jam veſicante extus tectum, vel vicinum huic, *tollitur* vel *minuitur* a ſtimulo veſicantis impoſiti.

CCXLIV. Notandum tamen dictorum (CCXLI, CCXLII, CCXLIII.) effectuum, mediatorum ſaltem, gradum, pro diuerſo ſenſilitatis et irritabilitatis ſtatu, genio et genere morbi, ſitu partis veſicatorio tectae, numero et adminiſtratione varia veſicantium eſſe *diuerſiſſimum.*

CCXLV.

CCXLV. Ex dictis patet multiplex et praeſtantiſſima huius auxilii *virtus*

*a*) *excitans*,

*b*) *ſedans*,

*c*) *deriuans*,

*d*) *euacuans* in variis morbis, e. g. inflammationibus internis, doloribus variis, morbis putridis ſoporoſis, exantematibus quae diſparuerunt retropulſis, haemorrhagiis ſymptomaticis, febribus lentis nervoſis, ſpasmis a ſtimulo, apoplexia ſeroſa, aſthmate, vulneribus venenatis, vlceribus manantibus exſiccatis, cet. quae veſicantium vires eximiae clarius ex hiſtoria morborum localium patebunt. Quid, quod veſicatorium in ipſa febri gangraenam comitante ſalutarem effectnm praeſtitit. Veſicatoria jugiter in eodem loco renouata vtilitatem ſpondent cum illa vlcerum artificialium, mox exponendorem, pari paſſu ambulantem. Saepe transſpiratio quoque a veſicatorio augetur vel inducitur. Praeterea veſicantia caloris principium ſtimulo ſuo eliciendo et ſecretione vaporoſa figendo agere videntur.

CCXLVI. Aptitudo *loci*, pro imponendo veſicatorio ſeligendi, ex indicatione ſtimuli, genio morbi

morbi et tractu neruorum cuique loco proprio, ex neurologia diſcendo, aeſtimetur. Quo vicinius neruo ſub cute latenti ſuperimponitur veſicatorium, tanto efficacius ſtimulat irritatque: quare merito celebrantur ſtimulus et irritatio veſicantium appliacatorum ad tempora, ad ſupercilia, inter aurem ac proceſſum maſtoideum, ad condylum internum humeri, caput ſibulae, dorſum pedis &c. prae reliquis, quibus teguntur partes externae corporis remotiores a neruis. Porro ſuadet vſus in applicatione veſicantium reſpicere ad conſenſum neruorum, abdominis v. c. cum cerebralibus, mammariorum cum vterinis et ſic porro, experientia caſta comprobatum. Denique conſtat per experientiam ſcopum deriuandi, euacuandi atque ſedandi tutiſſime ſemper obtineri a veſicantibus admotis quam proxime et immediate ad locum affectum; licet heic quoque reuulſioni quid dandum eſſe vix quisquam inſiciabitur.

CCXLVII. In genere *caueatur*, vt ne parti oedematoſae, vel inflammatione cutanea laeſae, epidermide orbatae, vel in putreſcentiam proniori temere ſuperimponatur veſicatorium, neque violenta epidermidis a veſicante praeuio, ablatae, laxatae detractione crudelior et periculoſa producatur irritatio. Praeſtat etiam, vbi diuturniore ſtimulo opus eſt, continua plurium veſicantium ſucceſſiuorum ſerie, quam vnico identidem renoua-

to

to vti. Febris ardens denique absque vllá locali congeftione aut dolore fixo, ftranguria, dyfuria, exulcerationes veficae ac fingularis fubjecti fenfibilitas fuadent circumfpectionem in vfu veficantium determinando fummam.

CCXLVIII. Effectibus *incommodis*, aut, primo intuitu, *nociuis* veficantium, ceteroquin recte indicatorum et rite adminiftratorum, plerumque non opus eft opponere medicinam a communi tractatione morbi primitiui diuerfam. Vix ac ne vix quidem vltra irritationem localem fopitam durare fuevit *febris* confenfualis, cuius noxas virtutes veficantium laudatae abunde compenfant. Quid quod contingunt interdum circumftantiae, quae praeprimis indicant actionem cordis atque vaforum ftimulandam incitandamque veficatoriis. Adfectioni autem *viarum vrinariarum* moleftae, folitae, occurritur tum camphora aut opio ipfis emplaftris veficatoriis addito, aut remediis internis a morbo primitiuo indicatis, tum maxime potu demulcente, copiofo, camphorato; grauiori vero viarum vrinariarum affectioni efficaciter opponitur opium.

CCXLIX. Vi analoga gaudet *daphnes gnidii, mezeraci cortex*, recens efficacior, et ficcatus, aqua vel aceto mollitus, qui fuperficiei corporis idoneae impofitus, facieque interna cutim tangens femel

ſemel aut bis de die renouatur ad deſideratam vsque ſufficientem excoriationem cutis et ſtillicidium ſeroſo-lymphaticum. Indicationi vbi ſatisfactum eſt, locus vlceratus munitur cerato. Diverſiſſimus interea eſt huius auxilii effectus, dum in nonnullis copioſiſſimum effluxum ſeroſo-lymphaticum operatur, in aliis ingentem inflammationem ac tumorem totius membri, in aliis eruptionem cutaneam totius corporis, cuti aliorum eſcharam inurit gangraenoſam. Nonnulli denique hunc corticem gerunt plane incolumes: plerique autem intra paucos dies excoriationem cutis et deinde fluxum ſeroſo-lymphaticum ab hoc experiuntur.

CCL. Vim veſicantium deriuantem, ſedantem, excitantem, licet plerumque gradu minorem, aemulantur alia applicata externa, *rubefacientia* dicta, vti radix armoracia, cantharidibus in vi ſtimulante vix cedens, imo eosdem interdum ſuperans; radix ranunculi, cepae, allium, ſemina ſinapeos et piperis contuſa, ſpecies caſeorum plures, fermentum panis cet. Haec nudae cuti impoſita valent affluxum humorum ad locum ſubjectum augere et ruborem inducere: eadem, quando accuuntur, cuticulam ſubjectam in veſiculas eleuant, non amplius rubefacientia, ſed veſicantia, merito ſalutanda.

Fon-

# Fonticulus.

CCLI. Fonticulus *eſt* vlcus ſimplex tegumentis communibus in loco opportuno arte inductum et continuatum.

CCLII. Idoneus in genere ad ſonticulum in corpore humano viuo excitandum *locus* habetur, vbicunque cutis muſculorum maiorum interſtitia tegit, repleta ſubtus panniculo adipoſo multo, et a transitu neruorum vaſorumque notabilium decurſu libera. Fonticulus ſolet excitari in loco brachii inter muſculum deltoideum ac bicipitem medio, aut ſuper inferiorem deltoidei partem. In femore ſnpra genu in loco depreſſiori inter muſculum vaſtum internum atque gracilem. In crure vero infra genu inter muſculum ſoleum ac gaſtrocnemium internum. Applicatur quoque in additamento futurae temporalis, in nucha, dorſo, lumbis, interſtitiis intercoſtalibus, planta pedis: circumſpecte agendum eſt cum excitatione fonticuli ſuper fontanellam anteriorem capitis.

CCLIII. Fonticulus *excitatur*

*a*) aut inciſione,

*b*) aut veſicatorio,

*c*) aut medicamento cauſtico,

*d*) aut denique cauterio.

CCLIV.

CCLIV. *Incifio*, expeditiſſimus quidem, licet forſan non vbique commodiſſimus, fonticulum excitandi modus ſimpliciſſimam deſiderat encheireſin ſequentem: locus cutis idoneus, ſelectus, plicatur et cultro chirurgico diuiditur ſufficienter, vsque quo vulnus fiat piſi, fabae, aut mali aurantii immaturi minoris, capax: ope talis corporis peregrini in vulnere immiſſi, aut digeſtiuorum ſimul, vbi neceſſaria iudicantur, vulnus in vlcus artificiale mutatur. Inciſio longitudinalis cutis id incommodi ſecum fert, vt focus vlceris artificialis futuri ſaepius verſus inferiora ſponte ampliatus, deſcendat et ſuam ſedem mutet: adhibetur autem minus commode ad loca vicina oſſibus et in ſubiectis valde macilentis.]

CCLV. Ad cutem a *veſicatorio* paruo excoriatam detracta epidermide apprimitur globulus paruus irritans, vel corpus peregrinum (CCLIV.) ope faſciae arctius circumſtrictae, et cutis ſuppuratione ſoluta vlcus offert haemiſphaericum ad fonticulum ſat capax et idoneum.

CCLVI. Fonticulus excitatur *medicamento cauſtico*, dum lapis infernalis, alcali vel aliud cauſticum per emplaſtrum perforatum transmiſſum cuti humectatae nudae imponitur, et alio emplaſtro adhaeſiuo ſuperius tegitur. Eſchara inde poſt plures horas in cute formata fouetur remedio pingui,

gui, emolliente, digeſtiuo; donec ſoluta vlcus ſiſtat pro recipiendo globulo commodum.

CCLVII. Fonticulus denique excitatur *cauterio*, ſi ope ferri candentis aut coni, ex moxa ſ. lanugine ſ. filo lineo cannabino parati, lenta combuſtione eſchara ad conuenientem magnitudinem et profunditatem caute cuti inuritur. Haec deinde emollita ac ſoluta vlcus relinquit idoneum, deſideratum.

CCLVIII. Vlcus pro fonticulo *maius* formatur et *conſeruatur* per immiſſam fabam, dum minoribus conuenit piſum integrum, imo fonticulis in locis oſſibus, tendinibus muſculis, vicinis, aut ſubiectis emaciatis admodum, excitatis ſufficit piſum dimidium aut lens. Haec vlceri commiſſa corpora, a humore, quem attrahunt, turgentia premunt parietes vlceris vndique, et vlcus in cavernoſum mutant. *Suppuratio* fonticuli iuſto *minor augetur*, ſtimulo mali aurantii immaturi, globulorumue ex radice ireos florentinae, gentianae rubrae, aut emplaſtro veſicatorio confectorum et vlceri commiſſorum. Globulus, piſum &c. fonticulo immiſſum mutetur indies: vlcus mundetur, renouatum tegatur emplaſtro adhaeſiuo, aut tabellula chartacea, cerata: apparatus firmetur ſplenio complicato et faſcia circulari ſeu loramento, idoneis. *Suppuratio* fonticuli *nimia* inhibetur ablatione ſtimuli incluſi et deligatione cum ſimplici

linteo

linteo carpto, ſicco. Fonticulum tegumine plumbeo munire plenum aleae opus ex teſtimonio experientiae eſſe legimus.

CCLIX. Fonticuli *nuper* excitati *effectus externi* ſunt poſt incifionem cutis dolorificam et cruentam, ſeu cruſtam inuſtam, inflammatio, tumor ac denique ſuppuratio; *interni* parum differunt ab iis, quos veſicatorium inducit.

CCLX. Vlceris producti et rite ſe habentis *effectus externus praecipuus* eſt ſuppuratio adeoque iugis et moderata humoris purulenti euacuatio; *interni* autem ſunt modica irritatio et lymphae ſeriue ex partibus vicinis deriuatio; fortaſſe etiam pus alibi reſorptum in tale vlcus iterum deponitur. Fonticulum inde cauſtico excitatum aut maiori irritatione ſuſtentatum quoad effectum deriuantem et euacuantem ab initio excitationis ei per inciſionem producto praeferendum eſſe per ſe patet.

CCLXI. Difficilius in genere *ſuſtinetur ſuppuratio* fonticuli in ſubiectis macilentioribus. Fonticuli habituales ſenum *exareſcentes* ominantur mala, nec absque diſcrimine conſolidantur. Specialiora circa fonticulos ſuppurantes notanda poſthac ex theoria vlcerum vberius patebunt.

## Setaceum.

CCLXII. Setaceum *eſt* vlcus ſinuoſum artificiale duplici orificio externo praeditum, productum et ſuſtentatum ſtimulo ſuppuratorio corporis peregrini idonei in canali vlcerario incluſi.

CCLXIII. Ad ſetaceum ſuppuratorium alendum *idonea* ſunt *loca* ſubcutanea quaeque continentia panniculum adipoſum canalis vlcerarii capacem, Nucha prae reliqua ſuperficie corporis auctoritate conſuetudinis potius quam rationis ad hoc praeferri ſueuit.

CCLXIV. Setaceum commodiſſime *applicatur* ſequenti modo: cutis loci idonei ſelecti vna cum panniculo adipoſo ſubiecto eleuatur, quoad fieri poteſt, plicatur, tenditur fortiter digitis vel tenaculo, et interim ad radicem plicaturae pertunditur acu complanata in vno extremo lanceolata ancipiti, in altero obtuſa et perforata: acus per mediam cellulоſam ſubiecttam directa educitur in latere oppoſito iuxta alteram radicem cutis plicatae. Traiectum in acu ante puncturam linum molle, ex vtroque margine longitudinali quaſi plumarium, per extracta fila longitudinalia extrema factum, aut funiculus ex filis lineis, goſſypinis, bombycinis, ſeu ex radicibus thymeleae, eſulae hellebori nigri, mezeraei confectus. Linum hoc ſiue funiculus acui adfixus ſequitur acum pene-

trantem

trantem et in vulnere relinquitur. Defectu acus lanceolatae, acutae, idonea, punctura instituitur scalpello largiori, qua facta mox absque cutis laxatione acus obtusa linum illud trahens per viam paratam trajicitur. In genere circa vtramque hanc puncturam notetur, vt nec directione profundiori partes corporis trans cellulosam cutaneam sitas laedat, nec superficialior juxta cutim causetur citam solutionem ipsius cutis a suppuratione insequenti. Veteres ferro candente parabant viam setaceo cum specie vtilitatis.

CCLXV. Parte lini vulnus replente per suppurationem vulneris, quae biduo plerumque contingere solet, soluta, linum posthac, pro gradu suppurationis semel vel bis in die, per vlcus lente trahitur ita, vt vlcus subeat noua pars lini pura et a sordibus libera, et infecta pure abscinditur. Pars noua lini committenda vlceri commode ante singulam ductionem obducitur vnguento digestiuo vel alio ad vlcus exasperandum idoneo. Trajecto per vlcus fere toto lino, aliud recens huic adfigendum.

CCLXVI. Vlceris hujus, cum recens excitati, tum adulti *effectus* illis, qui ex fonticulo fluunt, satis sunt similes; ob majorem tamen vlcerationis ambitum et valde dolorificam irritationem quotidie renouatam, istos gradu superant.

Inde in ſubjectis debilioribus et ſenſibilioribus circumſpecte cum ſetaceis ſemper agendum erit.

CCLXVII. In genere *notandum* vlcera artificialia minime corrigere craſin fluidorum vitioſam, eliciendo humores peccantes ſolos, ſed ſimpliciter praeſtare effectus euacuatorios, deriuantes et excitantes, proficuos in variis morbis localibus partis cujusdam adfectae, in cujus vicinia proxima ſemper, quantum res concedit, excitanda ſunt ſetacea. Specialiora de his haud ſecus ac ſpeciebus ſetaceorum minime ſcopo ſuppuratorio, ſed alio, in viis lacrymalibus, vlceribus ſinuoſis, carie oſſium aliisque morbis adhibendorum ex chirurgia vlcerum aliorumque morborum localium inferius exponenda patebunt.

## *Errhinum.*

CCLXVIII. Errhinum ſ. ptarmicum *eſt* medicamentum externum, quod naribus attractum majorem pituitae copiam ex colatoriis membranae pituitariae prolicit.

CCLXIX. Ea, quae ad hanc euacuationem *diſponunt*, ſunt aqua tepida, vel lac, vel decocta emollientia, vel eorum vapor tepidus inſpiratione attracta, vel per infundibulum ad naſi cauum delata.

CCLXX.

CCLXX. Errhini *materies* maxime desumitur ex vegetabilibus aromaticis acribus in puluerem redactis, liquido idoneo extractis vel accensis et in auras sub specie fumi sparsis. Merentur attamen salia volatilia quoque adnumerari errhinis.

CCLXXI. Errhina *vegetabilia* largiuntur herbae aromaticae, quales sunt: majorana, saluia, serpillum, thimus, valeriana, flores lauendulae, anthos, liliorum conuallium, in substantia pulveris, vel infuso propinatae, aut harum, vti etiam gummi resinorum aromaticorum combustorum fumus. Errhina *fortiora* ministrant asarum, nigella, nicotiana cet.; alia *fortissima:* elleborus albus, euphorbium.

CCLXXII. Praeter *effectum externum* euacuantem dictum saepe, sternutationem quoque inducere solet errhinum nares et sinus mucosos efficacius expurgantem.

CCLXXIII. Effectus interni sunt neruorum nasalium irritatio, canalium muciferorum depletio, auctus humorum ad interna nasi adfluxus et a partibus vicinis deriuatio. Sternutatio corpus succutiendo non solum hos effectus auget, verum alias quoque excretiones adjuuat, genusque neruosum excitat.

CCLXXIV. Vnde facile perspicitur errhini virtus *euacuans*, *deriuans*, *excitans* in variis morbis, maxime capitis, eximia. Notandum attamen

men maxima cum circumſpectione propinanda eſſe errhina ſortiora, quo minus haec ſequens irritatio violentior congeſtiones nimias aut phlogoſin membranae pituitariae et inde natam diminutionem muci excernendi pariat.

## *Sialagogum externum.*

CCLXXV. Sialagogum externum *eſt* medicamentum, quod maſticatione vel alio modo in ore vel extus ad organa ſaliualia applicatum majorem ſaliuae ac muci excretionem per organa ſaliualia ciet.

CCLXXVI. Copioſiorem hanc excretionem (CCLXXV.) *promouent*, quotquot faucibus et ori interno detergendis inſeruiunt, quorſum pertinent collutiones oris et faucium, ſimplices, aut ope ſpongiae deterſiuae; nec non gargarismata, parata ex aqua calida aut decoctis emollientibus, quae tenacitatem muci diluunt, ſoluunt, clauſtra reſerant, ſaliuae ac muco liberiorem exitum parant.

CCLXXVII. Vegetabilia *acria aromatica maſticata*, effectus edunt, fructus promittunt, aemulos et analogos illis errhini non ſternutatorii. Vſus ſedulus *ſpongiae* ſtilo flexili oſſis ſepiae adfixae in *detergendis faucibus* eximie valet aduerſus affectus morboſos multos et varios, pituitoſos,

locales

locales capitis, oculorum, faucium, glandularum maxillarium, ſaliualium, tracheæ, ob euacuationem muci copioſiſſimam, quam cauſantur. Mercurius externe adplicatus vel infrictus ori interno, ſaliuationem movens ſialagogis externis adnumerari poteſt.

## *Suctio.*

CCLXXVIII. Inter ſuctiones ſibi communiſſimum locum vindicat Lactiſugium, hoc *eſt* extractio artificialis lactis e mamma muliebri.

CCLXXIX. Lac humanum commodiſſime e mamma trahitur ſuctione *alumni*, aut *adulti* ad hanc adſueti, attamen vegeti, ſani, nec foetore oris neque carie dentium moleſtati, ore probe ante ſuctionem eluto, minus commode ſuctione catelli. Extrahitur porro lac humanum *ventoſis* papillis mammarum adfixis, *inſtrumento* lactiſugo *e reſina elaſtica* parato, vel *vitro* idoneo munito ſtilo ad ſugendum commodo, aut denique complicatiori *antlia lactiſuga* Steinii, quorum omnium inſtrumentorum delectus, tractatio fabrica et pretium verum ex dicendis ſuo loco inferius determinabuntur. Quemadmodum ipſae hae ſuctiones, haud ſecus ac illa euacuandi methodus, qua liquidum profunde in corpore latens embolo ſyrin-

gis

gis exantlare licet, in chirurgia aliorum morborum plene defcribentur.

CCLXXX. Lactifugio hoc artificiali *opus eft*, quotiescunque lac muliebre vel propter denegatam lactationem infantis, vel propter depreffam aut laefam papillam, vel propter propriam fpiffitudinem e mammis profluere nequit. Namque ex lacte in mammis ftagnante varia eaque graviffima mala, inflammatio, fuppuratio, induratio, metaftafis aliaque vberius pertractanda oriri poffunt.

## *Clysma.*

CCLXXXI. Clysma f. enema *eft* medicamentum fluidum inteftinis ope fiphonis ano immiffi injiciendum.

CCLXXXII. Quod quidem auxilii *genus* quoad *materiem*, *modum adminiftrandi*, *effectus* et *vfum* multiplex eft atque diuerfiffimum. Dantur clysmata

a) *euacuantia*,

b) *relaxantia*,

c) *adftringentia*,

d) *expandentia*,

e) *fedantia*,

f) *refrigerantia*,

g) *excitantia*,

h) *nutrientia*,

i) *me-*

i) *medicamentum* ori haud ingerendum *vehentia*;

Hoc loco eam praecipue clysmatum ſpeciem exponimus, quae ſcopo primas vias euacuandi adhibetur.

CCLXXXIII. Clysmati *materiam* idoneam largiuntur in genere varia fluida, aqua, lac, juscula carnis, decocta reſoluentia, emollientia, ſtimulantia, adſtringentia, acetum, oleum, ſaccharo, ſali, melli, ſapon, aſſae foetidae, opio, ſquillae, cortici peruuiano, therebintinae, vitello oui aliisque nupta; fumus tabacinus, aër, quin ipſe aër fixus, euolutus. Horum omnium delectus, convenientia, reiteratio ex indicationibus ſpecialibus pendent. Ad clysma euacuans plerumque aqua ſ. decoctum emolliens leniter ſtimulans, cum oleo, ſapone, melle ſ. laxantibus mixtum *adhibetur*.

CCLXXXIV. *Inſtrumenta*, quibus ad materiam clysmatis ſelectam in inteſtina eſſundendam vtimur, ſunt:

a) *veſica* diuerſae magnitudinis vitulina, ſuilla ſ. bubula, ſuperius et inferius aperta, ad vnum veſicae foramen firmatur diligentiſſime ſiſtula vel tubus oſſeus vel ligneus haud nimis exilis, ita vt foramen exactiſſime claudat, nec juxta parietes ſuos externos guttam liquidi veſicae committendi transmittat.

Quod

Quod si tubus epiſtomio inſtructus ſit, hoc clauditur, antequam per foramen ſuperius in veſica infunditur materia clysmatica: ſin minus, mox ſupra inſertionem tubi ligatur veſica, quo liquidum iufundendum retineat pro deſiderio chirurgi: veſica repleta clauditur foramen ſuperius ſtrictura arcta fili cannabini.

b) *ſyrinx* ſ. *ſipho* capax materiae ad enema deſideratae, tubo et embolo idoneis ornata. Hujus ope longe promptius longeque fortius adeoque et longe altius liquidum in inteſtina projici poſſe per ſe patet. Sub vtriusque inſtrumenti vſu cauendum, vt ne quantitas aëris nimia vna cum liquido in inteſtinis injiciatur.

c) ad enema ex fumo tabacino inteſtinis injiciendum plurima inſtrumenta idonea inventa ſunt atque conſtructa, quorum vſus alio loco deſcribetur.

CCLXXXV. Recepturus enema commodiſſime *locatur* horizontaliter in latere dextro cubans, ne pars coli a mole reliquorum inteſtinorum ſuperincumbentium comprimatur. Chirurgus tunc diductis natibus, fiſtulam inſtrumenti oleo illitam lente ac prouide per anum juxta tractum curuum oſſis ſacri, alte in inteſtinum rectum *promouet.* In-

Introductio haec ſuccedit melior et tutior ſiſtula craſſiori prae tenuiori, quae offendit facilior ad rugas inteſtinales, cryptas muciparas, et interdum forſan tumores haemorrhoidales internos: ſubducta ſurſum ex ano ſiſtula, epiſtomium, vbi adeſt (CCLXXXIV a.) aperitur, vel injectum inferius vinculum ſoluitur et fluidum a compreſſa manibus veſica per ſiſtulam in cauum inteſtini *exprimitur*, aut intropulſione emboli ſyringae aequabili in inteſtinum vi injicitur. Inſtrumento euacuato ſiſtula lente et prouide retrahitur. Ope ſyringae tubo curuato inſtructae et ad hos vſus fabrefactae quisque ſibi ipſi ſat commode enema absque auxilio alieno injicere poteſt.

CCLXXXVI. Enemate rite injecto, qui illud recepit, jubetur in lecto quieſcere, donec medicamentum injectum exitum quaſi moliatur aut effectus ſuccedat. Clysmati medicato haud euacuanti aliud euacuans praemitti ſolet, quo euacuatione facta injectum medicatum diutius ab inteſtinis retineatur.

CCLXXXVII. Gradus *caloris* enematis injiciendi in vniuerſum talis eſſe debet, vt veſica aut ſyringa impleta absque ſenſu caloris vel frigoris ingrato genae imponi queat, inteſtina enim tum a frigore tum maxime a calore grauiſſime affici poſſunt. Dantur tamen caſus, in quibus enemata frigida maxime in morbis inteſtini recti lo-

calibus

calibus a debilitate aut in morbis a ſtupore vniuerſali ſtipatis mira vi gaudent.

CCLXXXVIII. Liquidi *copia* clysmate injiciendi pro aetate aegroti ac indicatione variat; communiſſime ab vnciis duabus ad libram medicam vtitur: inteſtina retinent copiam minorem diutius majori, quare conuenit parciori fluido ad enemata medicata vti.

CCLXXXIX. *Effectus* enematis injecti *externus* eſt faecum inteſtinalium variarumque materiarum ipſis admiſtarum excluſio.

CCXC. *Effectus internus* enematis injecti

*a*) *euacuatorii*, qua talis, triplex eſt, ſc.
  *aa*) dilutio, emollitio materiae excrementitiae, deterſio inteſtini.
  *bb*) incitatio virium per inteſtinum rectum expultricium.
  *cc*) affluxus ſucci enterici largior.

*b*) *pro diuerſa indicatione* (CCLXXXII) *compoſiti.*
  *aa*) viſcerum abdominalium fotus, relaxatio, cet.
  *bb*) humorum cum vi medicata reſorpta impraegnatio.
  *cc*) dilutio humorum.
  *dd*) nutritio corporis.

*ee*) ir-

*ee*) irritatio neruorum, aliique effectus ex materia enematis ſpecialiter petendi.

ex quibus effectibus iterum egregia profluunt alia beneficia, nempe humorum reuulſio, deriuatio, orgasmi, ſpasmi, doloris cet. mitigatio et alia bene multa. Vnde elucefcit ſumma huius remedii contra plurimos alios morbos praeſtantia. Clysmata reſoluentia, pluries quotidie repetita, in multis morbis chronicis abdominis, ab infarctu inprimis viſcerum, ſatis diu continuata profuiſſe conſtat per experimenta noſtro aeuo inſtituta: licet non inficiabitur, frequentiſſimum talem clysmatum, tepidorum praecipue vſum ob ſequentem relaxationem ac debilitatem inteſtini recti ac ſanguinis ad vicina vaſa haemorrhoidalia confluxum nimium varias easque ſat graues inferre poſſe noxas.

## *Suppoſitorium.*

CCXCI. Suppoſitorium *eſt* conulus medicatus variae magnitudinis, qui oleo illinitus ano immittitur. Ad duplicem *ſcopum* inſeruit, nempe

*a*) *ad aluum ducendam*, praeparaturque tum e ſapone, fruſtulo candelae ſebaceae, melle inſpiſſato, ſale ſ. aliis laxantibus commixto. Hoc in anum intro-

troductum lubricando vias ac vires expultrices excitando aluum laxat.

*b*) *in morbis intestini recti localibus*, suo loco exponendis, adhibetur ad alios fines aliterque compositum.

## *Injectio.*

CCXCII. Injectio *est* medicamenti liquidi in caua *naturalia*, vias lacrymales, nasum, aures, os, vretham, vaginam et anum, vel *praeternaturalia*, vulnera ac vlcera varia, prudens ac cauta immissio ope syringis aut alius instrumenti idonei facta.

CCXCIII. Haec quoad materiam, effectus et vsus, multiplex est; attamen ad auxilia euacuantia pertinet, quatenus coagulum sanguinis, mucum, lac, pus aliaque, de quibus suo loco dicitur, educit. Ea injectionis ratio, qua medicamenta varia ad loca remotiora feruntur, suo loco pertractabitur.

## *Electricitas.*

CCXCIV. Experientia vindicat *fluido electrico elasticitatem* insignem atque *vim stimulantem* solida organica viua magnam. Ob duplicem hanc dotem vis electrica praestat corpori animali viuo effectus graues,

graues, praecipue contra morbofam fibrae laxitatem fenfilitatem et irritabilitatem valituros, et iure meritoque vindicat locum inter remedia chirurgica enumerata.

CCXCV. Duplex eft materia electrica cum corpore animali viuo communicabilis, alteram *pofitiuam* dicunt, alteram *negatiuam*.

*a*) per frictionem vitri politi obtinetur *prima*;

*b*) *negatiuam* largiuntur corpora refinofa, fulphur aliaque quocumque corpore fricata, vel vitrum politum pelle felina tritum, aut vitrum arena exafperatum.

CCXCVI. Corpora quaecumque inorganica et organica poffunt fieri *electrica per fe* (*Electricitas originaria*) frictione calore aut fufione; alia *non per fe* electrica, *conductores electrici* (*Electricitas communicata*), per communicationem Electricitatis originariae a corporibus electricatis.

CCXCVII. Partes corporis animalis viui, praeter crines, pilos et fericum, plerumque nullam monftrant electricitatem originariam manifeftam. Homo viuus infulatus a frictione fit electricus. Sed *electricitas* fic dicta *animalis*, quae poft experimenta Galuaniana nuper inclaruit, nondum euidenter huiusque euicta eft, quin videtur quibusdam, potiore cum iure deducenda et ex-

pli-

plicanda, a varia virtute conductrice excitatorum metallicorum quibus ad hanc prouocandum vtimur.

CCXCVIII. *Apparatum* pro electrizatione medica constituunt:

*a*) machina electrica instructa globo, cylindro, aut disco vitreo polito, versatili, cuius diameter ad minimum nouem digitos longitudine aequat, nec non conductore primario. Ad vsum medico-chirurgicum prae reliquis accommodata videtur machina electrica portatilis Dn. Nairne et Blond.

*b*) *lagena lugdunensis* cuius integumenta metallica externa efficiunt dimidium pedem quadratum siue pollices LXXII quadratos, et ornata electrometro Domini de Lane. Ad varios vsus et citam opem chirurgicam sese commendat lagena portatilis Dni Cavallo.

*c*) scabellum insulatum, hoc est scabellum ex pice vel resina confectum, aut potius ligneum fulcris vitreis sat longis et firmis instructum, cui imponenda sunt corpora a contactu reliquorum, et communicatione cum reliquis conducentibus vndequaque arcenda et remouenda.

*d*) directores varii inter quos articulati Nairniani merito iudicantur commodissimi.

Cuius

Cuius quidem apparatus totius descriptione accuratiori supersedemus tanto lubentius, quum exstent alibi expositiones talium concinnae et imagines nitidae *) multifariae.

CCXCIX. Quum stimulus electricus valeat in corpus animale agere vi a sensatione leuissima ad internecionem animalis vsque adaucta: conuenit, vt sub electrizatione chirurgica ad sequentes attendatur *gradus:*

a) corpus animale viuum *gradu electrico primo* impraegnat acus metallica, manubrio vitreo ornata, ope fili metallici cum conductore primario communicans, sub rotatione globi, cylindri, aut circuli vitrei versatilis (XCVIII. a) machinae obuersae parti corporis: percipitur inde sensus odoris sulphurei phosphorici, saporis metallici subacidi iuxta varias vias, per quas materia electrica in corpus penetrat; vel si homo insulatus simpliciter materia electrica impletur.

b) *gradus electricus alter* obtinetur simili modo cum primo, vbi ad hunc vtimur acu lignea pro metallica.

 *c) ter-*

*) Tib. Cavallo Essay on the Theory and Practice of Electricity. I. Ferguson Introduction to Electricity &c.

c) *tertium gradum* conſtituunt *ſcintillae* ſingulae minores, quae ope directoris metallici manubrio vitreo adfixi et in globum terminati, cum machinae lentius motae conductore primario connexi, e parte corporis eliciuntur, modo ſcintillae ipſae longitudinem pollicis haud excedant; aut *frictio electrica* per incitatorem Barneueltianum nudum vel panno laneo tectum, adminiſtrata ad hominem inſulatum cum conductore primario communicantem. Ad partes ſenſibiliores corporis, oculos, aures, faciem etc. tuendas, et ſcintillas ex his proliciendas, ſenſationis diminuendae ergo, vtimur incitatore plerumque acuminato, vitreo vel eburneo recondito, cuius orificium anguſtum eſt.

d) ſcintillis maioribus, pollices 2 vel 3 longitudine aequantibus, per circumuolutionem machinae citiorem ſimili modo productis, vti quoque duobus directoribus, qui partem corporis intercipiunt, ſibi oppoſitis, materia electrica per corporis partem duci poteſt; ſemper quidem ad directionem circuli ſanguinis.

e) fortiſſimum gradum electricitatis medicae conſtituunt commotiones excitatae per explo-

explosiones spontaneas lagenae Lugdunensis descriptae, sub distantia electrometri Laniani non superante decimam pollicis Danici partem. Hae concussiones facile ad partem adfectam limitari possunt per catenas metallicas tenues, aut alios conductores idoneos, mobiles, flexiles.

CCC. *Alia* electricitatem corpori humano admouendi *methodus* balneum electricum dicta est, si homo sellae insulatae insidens per filum metallicum cum conductore primario machinae motae nexus, tanta materiae electricae copia repletur, vt per acum metallicum siue ligneam aut directoris (CCXCIX.) ope per scintillas elici queat eadem; aut per frictiones electricas, id est scintillas fricatu corporis multiplicatas, ambobus frictionem nempe sustinente et administrante insulatis.

CCCI. Innotuit alia methodus tuendi corpus animale viuum et eius partes contra concussiones semper ambiguas, ab explosione lagenae Lugdunensis per partem corporis determinata. Estque simplicissima illa, quae explosionem ministrat per conductores imperfectiores e. g. filum canabinum madidum cet. Haec methodus spondet corpori humano aegroto effectus medicos efficaces, tutissimos. Meretur itaque attentionem longe maiorem, quam hucusque acquisiuit minus cognita.

CCCII. Electricitatis *effectus* in genere quidem pro gradu electricitatis differente, sensibilitate et irritabilitate subjecti naturali aut morbosa, et pathemate animi interdum simul praesente valde variat. Generaliter tamen ab electricitate medica descripta sequentia expectare licet.

*a*) acceleratio et retardatio pulsus, quam sub electrizatione positiua quam negatiua contigisse perhibent auctores, vbi obseruari videtur, meliori cum iure adscribenda timori, quocum scabellum isolatorium conscendit homo phoenomenorum electricorum ignarus, quam effectui electricitatis ipsius in sanguinem per vasa maiora motum.

*b*) calor animalis augetur.

*c*) irritabilitas musculorum incitatur.

*d*) fluida in vniuersum expanduntur, et inde plethora apparens inducitur, haemorrhagiae interdum, narium praecipue, nascuntur.

*e*) fluiditas humorum, viscositate minuta, augetur.

*f*) transpiratio, secretiones glandulosae, vrinae, saliuae, bilis, excretiones alui, fluxus naturalis, menstruus praecipue, augentur, restituuntur.

*g*) cutis

g) cutis rubet, interdum epidermis in vesiculas eleuatur, praecipue a frictione electrica fortiori, diuturna.

h) corpus totum, aut eius pars, conuellitur concussione subita.

CCCIII. Quare eximius est electricitatis *vsus* in morbis multis ac variis, tam a debilitate ac laxitate simplici solidi viui ortis, quam compositis, rheumaticis, doloribusque inde ortis et inflammationibus a stimulo non mechanico productis. Miro itaque saepius cum effectu adhibetur electrizatio adversus ophthalmiam; erysipelas; tumores frigidos varios, glandulosos; paralysin; Asphyxiam; atrophiam; guttam serenam; glaucoma; Cophosin; spasmos; abscessum incipientem; fistulam lacrymalem; cephalalgiam periodicam neruosam; podagram; suppressionem s. retentionem catameniorum, haemorrhoidumque, ob rationes suo quasque loco enodandas. Experientia tamen docet electricitatem medico-chirurgicam praecipue valere contra hos morbos idiopathicos; minus tuto, imo interdum cum malis aegrotorum rebus, eandem tentari contra similes morbos symptomaticos. Electricitas denique praestantissimum praebet medium ad reliquias irritabilitatis dignoscendas, et apparenter mortuos resuscitandos.

CCCIV.

CCCIV. Quum certus electricitatis *gradus* cuivis indiuiduo ad ſalutares effectus obtinendos *conueniens* haud facile determinari queat, ad ſequentes cautelas attendendum erit.

*a*) a gradu electricitatis minimo ſemper per aliquot dies continuos incipiendum, qui ſenſim deinde ad gradum deſideratum vsque augeatur.

*b*) nunquam electrizatio tam fortis ad hominem applicetur, quam quae absque incommodo grauiori perferri nequit.

CCCV. Electrizationem ope acus cum corpore humano communicatam, a tribus ad decem minuta prima temporis continuatam, et ſcintillas decem ad viginti, in ſingula applicatione ſemel vel bis in die reiteranda, electricitas ad obtinendos dictos ſalutares effectus (CCXCIX.) abunde *ſufficere* nec vnquam nocere; longiorem e contrario continuationem et concuſſiones electricas vehementiores, vna alteraue (CCCII.) leuiori excepta, nunquam noxae ſuſpicionem effugere et omnino vitandas eſſe experientia compertum eſt. In vniuerſum attamen protractior electrizationis cuiusque adminiſtratio et gradus vehementior tutius admittuntur ad habitum corporis laxum, parum ſenſibilem ac irritabilem.

CCCVI.

CCCVI. Electricitatem *positiuam* et *negatiuam*, in sella insulata aut extra eam institutam, effectum in corpore humano mutare hujusque nulla certa experientia comprobatum est. Dolorem tamen positiua electricitate inductum, negatiua cito ablatum fuisse legimus.

CCCVII. Electricitas *nimis diu continuata intempestiue* ac *incaute adhibita*, effectus inducit, contrarios dictis, nempe circulationis inhibitionem aliqualem, debilitatem, lassitudinem, cephalalgiam, vertiginem, apoplexiam, epilepsiam, respirationis laesionem, asthma conuulsiuum, paralyses vniuersales et partiales, haemorrhagias, excretiones inuoluntarias: denique rapide, fulminis ad instar, necare valet.

CCCVIII. *Cadauera* animalium ab electricitate aut fulmine *necatorum*, aut aegrotorum post longam electricitatem et concussiones sustentatas mortuorum, monstrant vasa meningum ac cerebri mire dilatata, sanguine fluido turgida et interdum rupta.

## *Galvanismus.*

CCCIX. *Electricitas metallica*, *irritamentum metallicum*, ab inventore *Galvanismus* dictum, fluidum Galvanicum mediante contactu metallorum heterogeneorum solvit et contractionem muscula-

rem

rem variaque Phaenomena in corporibus animalibus inducit, quæ inventor ab explosione materiæ electricæ in corporibus animalibus contentæ oriri credebat et sub nomine Electricitatis animalis innotuit. Jam vero studio Cl. Volta innotuit, Galvanismum cum Electricitate in essentialibus couenire. *Apparatus* pro instituendis Galvanicis experimentis consistit ex condensatore, conductoribus variis et columna quam Volta invenit, aliique postea perfectiorem rediderunt et ad vsum commodiorem ordinarunt. Cuius apparatus descriptionem accuratiorem eo lubentius omittimus, cum exstent alibi expositiones eius concinnæ et imagines nitidæ *). Galvanismi vires excitantes systematis musculosi, neruosi et fibrarum organicarum in vniuersum, cum viribus electricis satis sunt analogi. Uberior experientia constans, casta, docebit sub quibus conditionibus hæc medendi ratio Electricitati præferenda sit.

## *Magnetismus.*

CCCX. Vires *magnetis* siue *uaturalis* siue *arte parati*, ad corpus animale viuum admoti, in idem influere posse negari nequit, dum multa exempla sparsa leguntur, testantia, medelam hancce salutari cum effectu oppositam fuisse variis morbis, par-

*) Pfaff über die thierische Irritabilitet.
Ritters Beyträge zur näheren Kentniß des Galvanismus.
Reinhold Geschichte des Galvanismus cet.

partim a debilitate, partim a ſtimulo inductis, et ad augmentum caloris animalis non nihil contuliſſe.

CCCXI. *Modus* magnetismum ſcopo medico-chirurgico externe cum corpore *communicandi* ſequens eſt:

*a*) magnes, aut naturalis armatus aut artificialis, polo ſeptentrionali affectae corporis parti obuerſo, tenetur, et deinde inferiora verſus lente ducitur parallelus vbique parti corporis ſubiectae.

*b*) magnetes artificiales plures contigui, iuxta polos inimicos diſpoſiti, inter veſtimenta portantur, aut linteo ſ. ſerico obducti collaribus, cingulis, brachialibus includuntur.

*c*) laminae magneticae variae formae imponuntur nudae cuti, firmanturque ligamentis, quae ob ferruginem ſaepius mutentur.

CCCXII. *Vis medicatrix* effluuii magnetici et agendi modus hucusque tanto minus explicari potuit, quum in ſanguinem recenter e vena miſſum eiusque ferreas particulas nullum effectum edat ſenſibus manifeſtum: quare videtur potiori iure attribuenda actioni effluuii magnetici immediatae in nervos. Magnetismum ſolum absque imaginationis ope concuſſiones et ſpasmos ciere et indu-

cere

cere poſſe nondum experientia certa et conſtanti eſt euictum; magnetismus itaque merito aeſtimatur remedium electricitate longe inferius.

CCCXIII. Magnetis *in puluerem triti* aut *remediis* externis variis *admixti* vires aut debiliſſimas aut nullas eſſe experimenta ſuadent.

## *Magnetismus animalis.*

CCCXIV. *Magnetismus animalis* eſt ea operatio, qua manipulationis variæ ope in alio homine ſparſim turbae ſatis graues excitantur, quas fautores huius Encheireſis magnetismo animali a manipulatione excitati attribuunt, variorum morborum curationem inde ſperantes. *Effectus* huius operationis in diverſis ſubjectis varii obſervantur. In nonullis magis ſenſilibus, irritabilibus, foeminis praecipue, ſequuntur ſomnolentia, anxietas, ſpirandi difficultas, ſudor profuſus, excretiones variæ adauctæ, ſyncope, ſpasmi et convulſiones, ſomnambulismus denique; in aliis, viris praecipue, nullus plane effectus ſenſibilis obſervatur, et quae inter hac extrema media ſubſiſtunt. Sub hac rerum diverſitate experientiam fallacem, judicium difficile eſſe patet. Haud abſonum tamen videtur, effectus laudatos, ſoli irritationi regionum corporis ſenſibilium imaginationisque viribus, electricitati forſan animali quoque potius deberi quam

Mag-

Magnetismo animali. Turbæ tamen ſparſim graves excitati haud noxæ ſuſpicionem effugiunt.

## *Chirurgia infuſoria.*

CCCXV. *Chirurgiam infuſoriam* inſtituere dicundur illi, qui per apertam venam medicamenta in ejus cavum injiciunt. Haec medendi ratio in hominibus raro fuit inſtituta, inde certa experimenta deſunt quae uſum ejus in morbis hominum probant. In noſtra tamen ſchola veterinaria Hafnienſi ab ejus moderatore Cl. Wiborg omnibusque Veterinariis regnorum, de vltimo, et quod excurrit, decennii ſpatio maximo et conſtanti cum ſucceſſu in animalibus domeſticis inſtituitur, antea ope Syringis vel globi e reſina elaſtica confecti, nunc ope infundibuli Helperiani tubo curvato præditi qui immiſſo ſtylo occludi poteſt. Immiſſo tunc remedio in infundibulum, tubus curuatus in venam, jugularem ſæpiſſeme, verſus cor inducitur, quo facto extracto ſtylo remedium ſponte in venam deſcendit et mox ad cor et pulmones transfertur. *)

CCCVI. Remedia quae praecipue in noſtra ſchola in vſu ſunt nominare fas ſit, *Tincturam Hellebori*

*) Wiborgs Veterinair-Jagttagelſer for 1806. Ejusdem Samlungen für Thier-Ärzte og Oeconomen 3 og 4 B.

*lebori albi* de dimidea ad duas drachmas in ſtupore equorum, Anorexia, Colica flatulenta, Arthritide, febri putrida maligna, febri puerperali vaccarum, corporibus alienis in oeſophago retentis, vnde breviſſimo temporis ſpatio vomitus inducitur, vix vllo remedio per os aſſumto excitandus. *Tincturam florum Arnicæ* in Hemiplegia, morbis putridis, eruptionibus cutaneis ſuppreſſis, febri nodoſa equorum. *Tincturam Rhabarbari* in doloribus colicis. *Tincturam Aſæ foetidæ* in ſpasmis. *Tincturam Sabinæ* in placenta vterina retenta. *Oleum Therebintinæ, Tincturam Cantharidum* in adfectionibus hydropicis cet. Longe minor quantitas pro injectione ſufficit, atque effectus promtior. Cum Chirurgiæ infuſoriæ vtilitas in animalibus domeſticis certa atque conſtanti experientia probata ſit, ſpes nobis arridet hanc medendi rationem forſan quoque in nonnullis hominum morbis cum ſucceſſu adhiberi poſſe.

CCCXVII. *Transfuſoriam Chirurgiam* exercent illi, qui hominis vel animalis cujusdam ſanguinem in alterius hominis venas, mediante tubo in vtriusque ſubjecti venam inducto, transmittunt. Celebris olim haec medendi ratio, cum ſtupiditatem, fatuitatem, delirium, melancholiam, febrem acutiſſimam, ipſam mortem induxerit, oblita fere, a novioribus quibusdam cum aliquali ſuc-

ſucceſſu inſtituta fuit; an cum ſecuritate adhiberi poſſit, vberiora forſan experimenta docebunt.

## *Muſica.*

CCCXVIII. *Muſica* iam ab antiquiſſimis retro temporibus remediis externis merito adnumerata fuit, eiusque in oeconomiam animalem influxus negari non poteſt. Quoniam autem in affectus animae ſolos effectus ſuos primarios edat, nec niſi mediantibus his in oeconomiam corporis agere muſicam credere fas ſit, *effectus* muſices pro indole propria, diuerſa, varius erit, nec raro oppoſitus.

*a*) agit *in animam* muſica pathemata augendo, minuendo, mentem exhilarando, pacando, prodeſtque adeo hoc nomine ob neruorum irritationem in adfectionibus moeſtitia et torpore ſtipatis.

*b*) ſequuntur ex his effectibus primariis alii ſecundarii *in corpore:* augentur circuitus humorum calorque animalis, ſedantur dolores, promouentur ſe - et excretiones, ſurgitque inde multiplex vſus in morbis a debilitate, ſtimulo et torpore exortis. Per ſe patet effectus hoſce in ſingulis indiuiduis variare pro ſen-

ſenſibilitate neruoſa ſubiectorum diuerſa. Equidem frequentius ad dictos ſcopos tentari meretur muſica, quatenus ſit remedium chirurgicum inter tot ingrata gratiſſimum.

---

Pars

# PARS ALTERA.

## MORBORUM LOCALIUM CHIRURGIA.

CCCXIX.

Vti cauſæ morbiſicæ in vniuerſa ſolida aut fluida eorumque vitalitatem agunt, morbos generales inducentes, ita quoque illarum effectus in ſingula tantummodo parte limitari, et de loco primum affecto deinde totam occonomiam animalem turbare poteſt; qui ſtatus tunc cum morbo primario increſcere, decreſcere et ablata cauſa morbifica et ceſſante morbo primario evaneſcere ſolet. Tales morbi *locales*, et ſi remediis chirurgicis aut ſolis, aut ad maximam partem ſanantur morbi *chirurgici* ſalutari ſolent.

CCCXX. Morbi hi locales, vti generales (XXXVII.) a *cauſa* quadam *externa*, vel *interna* in corpore enata excitari, et in partibus *ſolidis* vel *fluidis* ſedem habere poſſunt. Hic notandum quoque nunquam dari ſimplices iſtiusmodi morbos quin potius facultates ſolidi vivi, et functiones variæ inde turbentur varieque afficiantur. Morborum

borum localium hiſtoriam atque Chirurgiam tradituro in votis fuit hosce morbos in Claſſes et Ordines, Genera et Species redigere, omnino conſcio difficultatum quæ ordinem morborum ſyſtematicum comitantur. Arriſit tamen Ordo (XXX.) indicatus, ut repetitiones haud evitabiles avertantur et idem morbus in variis corporis partibus obuius ſub unico conſpectu redigatur. Ordimur itaque a tractatione morborum ab incitamento morboſo, inde ad alios morborum Claſſes progreſſuri.

---

CLAS-

# CLASSIS I.

## MORBI AB INCITAMENTO MORBOSO.

CCXXI.

V*im vitalem* omnem eam animantium virtutem *dicimus*, quae phaenomena producit, ex viribus mortuis haud explicanda. Omnis vero vis vitalis *effectus* ad duo genera referri possunt, sensum nempe et motum, ex legibus physicis et mechanicis non deriuanda. Quum vero quaeuis vis vt agat, rem extra se positam, qua ad actionem compellatur, desideret; ita quoque vis vitalis, vt ad agendum prouocetur, influxu incitamenti indiget, antequam ad sensum vel motum determinetur, quod incitamentum in vniuersum *stimulus audit.* Est vero stimulus

*a*) *naturalis*, vel

*b*) *morbosus.*

CCCXXII. *Stimuli naturales sunt* omnia incitamenta quae in corpore animali viuo sano exstant, mirum in modum multiplicati, et modificati ad variam partium et functionum indo-

lem, vnde omnes excitantur actiones vitales, animales, naturales, fexuales. Perfecta ceffatio omnium functionum corporis animalis, motuum et fenfationum exifteret; vigente etiam vi vitali, fi fieri poffet, vt omnes ftimuli e corpore remouerentur.

CCCXXIII. Stimulus morbofus f. *irritamentum* morbofum in genere *audit* omne, quod in corpus humanum viuum agens fenfationes aut turbas fanitati nociuas in eodem excitare valet; eftque hic ftimulus morbofus

*a*) *mechanicus*,

*b*) *chemicus*,

*c*) *mentalis*.

CCCXXIV. Multiplices aeque ac *diuerfiffimi* obferuantur *ftimuli*, qui

*a*) *fuperficiem corporis* humani externam *folam tangunt*, quales computentur variae violentiae ac acrimoniae externae.

*b*) *foras corpus* humanum *producti* intus idem feruntur, ex. gr. acria, venena ingefta, infectiones morbofae.

*c*) *in ipfo corpore gignuntur* a digeftione laefa, diaeta praua, fecretione aut excretione qualicumque vitiata, alteratione humorum poft morbum praeuium, laboribus nimiis, regimine iniquo, mentis ipfius motu &c.

Qui

Qui quidem ſtimuli ſic enati irritatione ſua varias in corporis oeconomia cient turbas inferuntque noxas.

CCCXXV. Nulla ſenſatio moleſta ſequitur ſtimulum in corpus humanum viuum agentem, niſi *neruis* inſtructa ſit pars a ſtimulo affecta, atque adeo *ſenſibilitate* aut *irritabilitate* gaudeat. Quum vero doctrina de modo, quo nerui agunt in corpore humano, ad hunc vsque diem ſpiſſis inuoluitur nebulis, oppido liquet theoriam modi, quo ſtimulus in neruos agit ac ſymptomata inducit, multis adhuc laborare *difficultatibus* et ſolis experientiis quoad effectum inniti.

CCCXXVI. Notandum deinde, non omnes partes ſenſibiles et irritabiles corporis humani ab eodem ſtimulo agente eadem pati, nec eodem vbique gradu ab hoc excitari. Cor, vaſa ſanguifera, muſculi, oculi, aures, naſus, ventriculus, inteſtina, hepar, cor, pulmones, genitalia, veſica vrinaria ab eodem ſtimulo diuerſimodo adficiuntur. Nec omnibus ſubjectis idem ſenſilitatis ac irritabilitatis gradus eſt.

CCCXXVII. Omnes corporis adfectiones ab irritamento oriundae in quatuor praecipue *ordines* redigi poſſunt, qui ſinguli aut conjuncti in corpore occurrunt, prout ſtimulus morboſus vel in organa ſenſationis, vel in organa motus, vel in utraque ſimul agit; ſuntque hi

a) *dolores.*
b) *ſpasmi.*
c) *febres.*
d) *inflammationes.*

## ORDO I.
## DOLORES.

### CCCXXVIII.

Dolor *eſt* ingrata quaeuis perceptio excitata a ſtimulo in partem ſentientem corporis viui agente ſenſorio communi communicata. In plurimis quidem morbis accedit, interdum ipſe par ſe morbus eſt, ſine tumore aut inflammatione aut cutis colore mutato.

CCCXXIX. Quum omnes partes facultate ſentiendi praeditae hanc a ſolis neruis habeant, et omne inter mentem et corpus commercium per ſolos neruos fiat, ſequitur doloris cujusque *originem* in neruis affectis quaerendam eſſe.

CCCXXX. Porro, quoniam nulla pars ſentiens corporis viui a poſſibilitate doloris futuri excipi poteſt, gradus autem ſenſibilitatis neruorum multis modis differt in ſubjectis diuerſis, imo in eodem ſub conditionibus variis: quoniam ſtimulus perceptionem doloris ingratam creans mul-

tiplex

iplex eſſe poteſt et in ſe ac ſua natura aeque ac igendi modo diuerſiſſimus, ipſiusque partis ſti- nulum ſentientis fabrica et habitus, naturalis et praeternaturalis, modificationes admittunt mul- ifarias: patet dolores ipſos magnam ſubire *diffe- entiam*, aeſtimandam ab eorundem

*a*) *ſede*,

*b*) *vehementia*,

*c*) *duratione*, et

*d*) *indole*.

CCCXXXI. Quoad *ſedem* ſpectatus dolor vel ingulam quandam corporis partem, vel plures imul occupat, nunc diffunditur latior, iterum intra anguſtam terminatur aream, vel haeret in vnica parte affecta *fixus*, vel ſedes identidem mutat *vagus*.

CCCXXXII. Ratione *vehementiae* dolor interdum ad cruciatus exſurgit intenſiſſimos, intolerabiles, interdum pruritu ſimplici moleſtat: plerumque inter haec duo extrema comprehenduntur omnes vehementiae dolorum grauiorum haud ſecus ac leuiorum gradus. Sexus vterque doloribus opportunus eſt, foeminæ tamen magis quam viri, tum maxime juniores et infirmiores et prægnantes.

CCCXXXIII. Quoad *durationem* vel diuturnus eſt dolor per menſes quin annos protractus, vel fugax, vel continuus, vel remittens, vel plane

plane intermittens: vltimus vel ſtatis vel incertis temporibus recurrit.

CCCXXXIV. Maxime denique variat dolor *indole* nunc punctionis, ſciſſionis, dilacerationis, roſionis, diſtenſionis, pulſationis, vſtionis, nunc preſſionis, conſtrictionis, formicationis, algoris, ſtuporis, anxietatis, nauſeae ſenſum referens. Nec in ſola parte a ſtimulo adfecta heret ſemper dolor, ſed ob mutuum partium conſenſum in remotas ſaepe partes, quid quod per totum corpus excurrit interdum, nulli parti parcens vitaeque maximas inſidias ſtruens.

CCCXXXV. Doloris cujuscunque *principium* eſt ſtimulus qualisque (CCCXXII.), multiplici modo neruum ita afficiens, vt ſpirituum vitalium tranſitus aut impediatur aut praeceps inordinatus fiat, hujusque affectionis cum ſenſorio communi communicatio.

CCCXXXVI. Quae talem ſtimulum efficiunt *cauſae*

*a*) vel manifeſta.

*b*) vel abſcondita magis vi agunt.

CCCXXXVII. Cauſae *manifeſtae* ſunt variae violentiae externae, quae

*a*) prementes, conſtringentes anguſtant canalicnlos nerueos, aut aliae diſtendentes eosdem.

*b*) aut

*b*) aut peculiarem motum in iis producunt, vti diſſolutiones multiplices, acria varia ad corpus foras admota, corpora aliena, ignis, frigus et ipſa neruorum denudatio aërisque contactus.

CCCXXXVII. Ad cauſas magis *abſconditas* ſtimuli referenda ſunt,

*a*) quaecumque partem dolentem plus juſto tendunt, expandunt, v. c. repletiones immodicae, auctus humorum impetus aduerſus aliquam partem, aut impeditus eorundem per hanc tranſitus, quippe quibus premuntur aut irritantur varie parietes fibrae neruoſae, atque adeo canales nervoſi ipſi.

*b*) quaecumque validiorem conſtrictionem partium vel earum aliqualem eroſionem efficiunt, vti ſpasmus conſtringens, premens, humores acres ſiue ingeſti ſiue in corpore nati, aut totam humorum maſſam inquinantes, aut in vicinia nerui cujusdam accumulati, aut in ipſa ejus vagina effuſi.

CCCXXXVIII. Ex allatis patet dolorem raro eſſe morbum *idiopathicum*, id eſt a nulla alia adfectione pendentem, frequentiſſime autem *ſymptomaticum*, plurimorum morborum a diſſolutione continui, ab impedito tranſitu, ex mutatione ſitus,

ſitus, atque a conformatione praeternaturali effectum et comitem.

CCCXXXIX. Doloris *effectus* pro diuerſa ſubjecti ſenſibilitate ac irritabilitate, varia ipſius ſenſationis ingratae ſede, vehementia, duratione ac indole (CCCXXX.) et diuerſa denique ſtimuli (CCCXXI.) cauſarumque hunc efficientium (CCCXXXVI.) natura variat. Ex dolore vehementi, diuturno oriri poſſunt.

*a*) *in loco dolenti ipſo* ſollicitatio vis vitalis, tenſiones; tremores; ſpasmi; auctus humorum adfluxus, accumulatio; tranſitus impeditus, frigus; calor; inflammatio; inſenſilitas, torpor; gangraena; reſolutio.

*b*) *mentis* turbae variae, graues: inquietudo, anxietas, peruigilium, impotentia, priapismus, deſperatio.

*c*) *in locis ab affecto diſſitis* ob conſenſum naturalem partium, dolores, ſpasmi, vomitus, anorexia, macies, tabes, paralyſis, turbatio circuitus vniuerſalis humorum, languor motuum vitalium, vnde iterum ſyncope, quin ipſa mors.

CCCXL. Doloris *prognoſis* variat maxime pro ejus gradu, ſede, cauſa, indole et effectu. In vniuerſum gravis quisque dolor, quamuis nullis periculoſis ſymptomatibus comitatus (CCCXXXIX.), nun-

nunquam flacci faciendus; vitae ac ſanitatis cuſtos, de praeſente noxa ac periculo mature monet, et ad medelam quaerendam compellit; pendet in genere a difficultate cauſſae tollendae varia.

CCCXLI. Doloris *curatio* chirurgica triplex concernit momentum: etenim hac

*a*) vel *cauſa* dolorem inducens *tollitur*,

*b*) vel etiam *neruus* adfectus *ſenſu priuatur*,

*c*) vel ipſa *ſenſatio mitigatur*.

CCCXLII. Auxilia chirurgica *cauſam doloris tollentia* pro varia ejusdem natura ſunt varia. Irritatio mechanica a corpore alieno, hujus extractione per variam encheireſin ſuo loco exponendam tollitur: acria varia externe admota, lauatione partis adfectae, ſeu injectione in eandem varia abluuntur, aut ab admixtis antidotis obtunduntur: acrimoniae internae vel therapia interna auferuntur, vel remediis externis euacuantur, deriuantur, reuelluntur vel externis antidotis debilitantur, mutantur.

CCCXLIII. Neruus adfectus *ſenſu priuatur*

*a*) *praeciſione*,

*b*) *disruptione*,

*c*) *cauterio*.

CCCXLIV. Nerui *praecifio* in fingulis cafibus indicatur, vbicunque neruus ex parte folutus contufus, f. ignoto modo adfectus, non folum dolorem, fed alias quoque generis neruofi turbas excitat: Sic dolor nulli alii therapiae cedens, faepe fuit fublatus incifione fat profunda ipfius loci dolentis.

CCCXLV. Rarior inftituitur *nerui* irritati *disruptio*, quippe quae in fola dentis dolentis euulfione vel luxatione locum habere videtur.

CCCXLVI. Ad *cauterium* denique quod attinet, hunc in finem (CCLVII.) vtimur vario, nempe

*a*) fic dicto *actuali*, cujusmodi eft

*aa*) *ferrum candens* immediate parti dolenti immiffum, vti in dentibus cariofis dolentibus fieri folet.

*bb*) *moxa* fiue lanugo parti dolenti, non inflammatae, impofita et accenfa comburitur.

*b*) vel *potentiali*, ex. gr. lapide infernali, butyro antimonii aliisque corrofiuis.

CCCXVII. Doloris *mitigationem* chirurgia vario modo praeftat

*a*) *neruos* denudatos conuenienti *tegmento muniendo* ac inde aëris vel alius corporis ftimulantis acceffum praepediendo, vti in vulneribus obtectis, dentis cariofi im-

implemento, oculorum tegmento cet. fieri ſolet.

b) *irritantia*, quae prorſus auferri nequeunt *debilitando* variis topicis, inuoluentibus, antidotis.

c) *tenſionem* partis adfectae *minuendo* emollientibus, relaxantibus, tepidis, (CCXXIII.) compreſſione, (XCI.) ſuſpenſione, vti teſticuli, mammae, herniae, tumoris majoris.

d) *humores* vel mole vel acrimonia noxios *detrahendo*, *deriuando*, *reuellendo*, ſanguinis miſſione, ſcarificatione, cucurbitis, veſicantibus aliisque vlceribus artificialibus.

e) *fortiori ſenſu alibi excitato* morboſum infringendo, veſicatorio, cauſtico, cauterio.

f) *peculiarem ſenſum in neruis* adfectis *inducendo*, frictione, (LXXXIII.) frigida admota, (C.) electricitate, (CCXCIIV.) magnetismo (CCCLX.)

g) *inſenſilitatem tranſitoriam* in neruis *efficiendo* narcoticis, opio ſcilicet, hyoscyamo, belladonna, ſolano, croco. Hoc autem auxilii genus nunquam niſi cum ſumma cautela et poſt praeuiam ſanguinis miſſionem euacuatoriam ac deriua-

riuatoriam adhibeatur, ſiquidem perſaepe ſub ſpecie levaminis fallaci cauſam mali auget aut metaſtaſin malo primitiuo ambiguam magis gignit.

CCCXLVIII. Variae dolorum *ſpecies*, quales ſunt arthritis, rheumatismus, iſchias, podagra, cephalalgia, otalgia, odontalgia, dolor oſteocopus aliique, a dictis (CCCXLI.) remediis ad cauſam et genium morbi adornatis non raro minuuntur atque curantur. Quum vero dolores in vniuerſum ſaepiſſime ſint ſymptomatici ſeu aliorum morborum propagines, aut acrimoniae qualiscunque internae, aut ſpasmi, inflammationis, ſoluti continui, tranſitus impediti, mutati ſitus, vel conformationis praeternaturalis ſequelae atque effectus: medela dolorum vbique tuta et ſufficiens exigit neceſſario, vt therapia eorum adaptetur ad genium morborum primitiuorum, ex quibus originem duxerunt, atque adeo ſub his tractetur. Speciminis loco mox dabimus diffuſam talem Odontalgiae et Otalgiae, dolorum frequentiſſimorum, et doloris faciei, Proſopalgiæ, therapiam.

## *Odontalgia.*

CCCXLIX. Odontalgia *eſt* dolor (CCCXXVIII.) quilibet tendens, pulſans, rodens, lancinans ali-

alivsue, continuus, remittens f. intermittens, dentes, gingiuas aut maxillas occupans.

CCCL. Hujus *principium* eſt quiuis ſtimulus neruos dentis ipſius, ſiue perioſtii hunc circumueſtientis, aut neruos gingiuae vel maxillae dentem includentis ingrato modo afficiens; ad tantum gradum dolores dentium interdum aſcendunt, vt vigilias, febres, deliria, ſpasmos, conuulſiones, animi deliquia in ſenſilioribus praecipue aegris inducant. Gena lateris dolentis, remittente dolore, perſaepe intumeſcit, multa ſaliua ex ore fluit, maſticatio doloroſa eſt.

CCCLI. Cauſſae odontalgiae variae, totuplices hujus morbi *ſpecies* conſtituunt, quarum principales ſunt

a) *odontalgia carioſa.*
b) *odontalgia catarrhalis.*
c) *odontalgia inflammatoria.*
d) *odontalgia purulenta.*
e) *odontalgia metaſtatica, ſeu a conſenſu.*
f) *odontalgia ſcorbutica.*
g) *odontalgia grauidarum.*
h) *odontalgia a dentitione.*
i) *odontalgia a violentia externa v. traumatica.*
k) *odontalgia a corporibus auſteris acidis admotis.*

CCCLII.

CCCLII. Odontalgia *cariofa* omnium frequentiffima nofcitur a carie vel *externa* corpus feu ceruicem, vel *interna* radices, cauum vel interiora dentis corrodente: haec aut fenfus incurrit manifefta, aut a mutatione infolita coloris dentis, ejus fenfilitate, fiftula aut epuli in gingiua exorta, aliisque in cariei hiftoria pertractandis, judicatur praefens. Intermittit faepe haec odontalgiae fpecies, exacerbatur frigidis vel calidis admotis, praecipue poft cibum affumtum viget.

CCCLIII. Odontalgiae *inflammatoriae* figna funt, characteres inflammatorii generales, ftipati cum dolore fixo dentium complurium, gingiuae atque maxillae, cum aut fine carie, fenfuque elongatorum dentium adfectorum; raro deeft dolor ad orbitam fe extendens, ab adfectione nerui infraorbitalis finum maxillarem ramo adeuntis. Inflammatio haec interdum in *abfceffum* tranfit aut ad gingiuam: aut in alueolo aut in ipfo dentis cauo aut denique in finu maxillari, cujus diagnofis ac prognofis fuo loco pertractandae.

CCCLIV. Odontalgia *catarrhalis* dentes aut integros aut cariofos inuadit. plerumque a frigore in corpus calens admiffo: hic dolor, occupans dentes complures, gingiuam et totam interdum maxillam fimul, folet a genae tumore mitigari, jungiturque non raro cum aliis fymptoma-

tomatibus catarrhalibus, coryza, tuſſi, ſternutatione, angina.

CCCLV. Odontalgia *metaſtatica* aegrotos arthritide vel alio morbo laborantes inuádit, vbi morbus ſede ſua primaria, conſueta relicta dentes petit: morbo primitiuo recurrente haec ſponte euaneſcit. Odontalgia *a conſenſu*, interdum a ſaburra primarum viarum ac vermibus exoritur; vti quoque grauiſſimi doloris cauſſa in ſimplici debilitate ac irribilitate interdum quaerenda erit, vti in hyſtericis.

CCCLVI. Interdum *grauidis* ac nutricibus accedit vehementiſſimus dentis integri aut carioſi dolor, febre, anorexia, ſpasmis aliisque (CCCXXXIX.) dictis grauiſſimi doloris ſymptomatibus ſtipatus, plerumque, niſi ſanguinis miſſione larga, laxantibus et opio coerceri poſſit, ſola dentis dolentis euulſione compeſcendus. Nunquam vero chirurgus in grauidis dentis euulſionem ſuſcipiat, niſi atrocitas et contumacia doloris eam indicet; cum ex vna parte horror operationis, ex altera doloris grauitas abortum inducere poſſit.

CCCLVII. Odontalgia dignoſcitur *ſcorbutica* a ſenſu ingrato dentium, gingiuarum, maxillae, cum tumore gingiuae atro-rubrae, fungoſae et putridae ad attactum leniorem mox cruentatae, foetore oris, dentibus vacillis, eorumque ceruicibus ab obtegenda gingiua denudatis, nec non

veri

veri ſcorbuti ſignis, cum effectu mercurii ſumti haud confundendis.

CCCLVIII. Odontalgia a *dentitione* infantulis, inde a quartum menſem emetitis ad ſuperatos annum vsque frequens *duo ſtadia* abſoluit; in *priori* intumeſcit germen dentis vbique partes circumdantes premens; unde ſaliuatio, inquietudo, ſenſus pruritus gingiuarum, absque tumore, rubore, dolore; diarrhoea, vomitus, tuſſis, ſpasmi, conuulſiones: Poſt temporis interuallum nunc longius, nunc breuius ſequitur ſtadium *ſecundum*, ſub quo dens elongatur perforata lamina oſſis gingiuasque tendit; accedunt tunc gingiuarum, attactum aegre ferentium, tumor, dolor, rubor, ardor oris, ſitis, febris, faciei rubor, glandularum vicinarum tumor cet. ſaepe ſub magno vitae diſcrimine. Eruptio denique dentis turbis finem imponit; interdum remittunt ſymptomata et aucta deinde vi recrudeſcunt. Negari quidem haud poteſt dicta ſymptomata ex aliis quoque turbis inprimis abdominalibus atque nervoſis in infantibus adeſſe poſſe absque dentitionis conſenſu; cum vero ſæpe ſymptomata eruptione dentis, vel plurum aut inciſione congrua facta eodem fere momento experientia teſte ceſſent, dentitionem ſi non ſemper, ſæpe tamen in cauſa eſſe concludere licet.

CCCLIX.

CCCLIX. Interdum quoque dentitio dentis ſapientiae in *adultis* dolorem atrociſſimum diu durantem ac ſymptomata nervoſa inducere poteſt, quibus dentis eruptio aut gingiuae inciſio congrua cito ſymptomata ſedans, ſi ſanato vulnere recrudescant ſaepius reiteranda, finem imponit, cauendo ſemper, ne filamenta partium mollium, ob continuatam tenſionem ſymptomata ſuffultura, reſtent.

CCCLX. Odontalgia *a violentia externa*, cauſſa praegreſſa, dentis ſolutione mechanica, fractura, fiſſura ſ. laeſione qualicunque, corpore alieno inter dentium interſtitia vel in cauum dentis carioſi intruſo facile diſtinguitur.

CCCLXI. Odontalgia *haemodia* ſ. ſtupor dentium noſcitur moleſto ac ſingulari dentium ſenſu, qui a corporibus auſteris, acerbis, acidis dentibus admotis, ab auditis ſonis ſtridulis, raucis, nec non adfrictu dentium cum corporibus duris ſabuloſis inducitur, vt plurimum fugax eſt ac ceſſante cauſa breui ceſſat.

CCCLXII. Ex dixtis patet (CCCLI.) odontalgiam eſſe genii *diuerſiſſimi* rariſſime vere idiopathicam, ſaepiſſime cariei, rheumatismi, inflammationis, ſuppurationis, metaſtaſeos, ſcorbuti, deprauatorumue quocunque modo humorum, nimiae neruorum ſenſilitatis cet. *comitem* aut *effectum*: omnis itaque odontalgiae medela

minime ſola dentis euulſione dextere peracta abſoluitur, ſed dictorum morborum therapiae ſuo loco exponendae potius innititur.

CCCLXIII. Generalis odontalgiae therapia includit

*a*) prophylaxin.

*b*) ſenſibilitatem nerui adfecti infringendam, tollendam.

*c*) humorum deriuationem, reuulſionem.

*d*) excitationem ſenſationis oppoſitae in neruis affectis.

*e*) cauſae laedentis ablationem.

CCCLXIV. Prophylaxis odontalgiae requirit

*a*) *os* tempore matutino atque poſt paſtum ex aqua frigida ſedulo eluere, nec non lauationes frigidas frequentes genarum et pone aures.

*b*) dentium *munditiem* absque nimia frictione remediis acidis adſtringentibus dentium ſubſtantiae vitreae nocitura, ſeruandam.

*c*) *tartari*, ſi adfuerit, prudentem inſtrumentis idoneis *ablationem*.

*d*) dentis carioſi auro ſ. ſtanno laminato *implementum*.

*e*) *viciſſitudines frigoris atque caloris* ſubitas, alternas, ſolicite vitandas, frigusque

que ac humiditatem, maxime pedum, ſummo ſtudio euitanda.

CCCLXV. Neruus in odontalgia adfectus *ſenſu priuari* poteſt

*a*) *liquoribus ſpirituoſis*, rectificatis, aromaticis, oleis aethereis, oleo praecipue Cajaput genuino, camphora, opio, acidis mineralibus dilutis, ope lanuginis his impraegnatae, aut ſub forma maſſae tractabilis in dentem carioſum demiſſis: cauſtica heic jure omnino vitanda ob corroſionem dentis majorem horum vſum ſecuturam.

*b*) *cauterio auctuali*, ope ſc. fili candentis vel alius inſtrumenti idonei, ambitu carioſo in anteceſſum ablato, in dentis cauum immiſſi, quo neruus adfectus, ſi attingitur atque aduritur, certe ſenſu priuatur, ſin minus, dolor interdum immaniter augetur.

*c*) nerui denique adfecti *diſruptione*, praeſtanda aut *euulſione* dentis, aut ejus eleuatione ſ. *luxatione* aliquali: mox ab hac facta in ſitum naturalem repoſitus dens, firmatur quidem, ſenſus autem nerui disrupti nunquam redit.

CCCLXVI. Humorum *deriuatio* ac *reuulſio* in odontalgia praeſtatur *venaeſectione* euacuante

reuellente; *hirudinibus* ad tempora, infra aures, praecipue vero ad gingiuam applicatis, quae vltima medendi ratio in plurimis odontalgiis mire conducit; veſicatoriis pone aures aut ad nucham, nec non radice armoraciae recenti raſa ad brachia admotis; pediluuiis; maniluuiis; epiſpaſticis; cataplasmate emolliente anodino ad genam applicato. Eſſentia cantharidum ope lintei carpti ad gingiuam dentis dolentis applicata odontalgiam ſaepiſſime ſedare ſolet.

CCCLXVII. Alienus ſenſus in neruis dentis adfecti excitatur ab electricitate juxta methodum (CCXCIV.) dictam inſtituta; ab acidis mineralibus concentratis, dulcificatis ſpiritu vini rectificato triplo tanto, illinitis prudenter genae in loco dolente; (haec fere momento citius in plerisque odontalgiae grauioris ſpeciebus, praeter carioſam ſolam (CCCXLII.), mire ſaepius dolores extemplo ſopiunt); ab epithemate frigido repetito, atque magnetismo (CCCX.) expoſito. Nobis electricitas viſa fuit proficua in odontalgia rheumatica a refrigerio, noxia autem in ſimili a dente carioſo.

CCCLXVIII. Cauſſa laedens odontalgiae denique aufertur therapia interna humorum dyscraſiae appropriata, refrigerante, diaphoretica, inflammationi, rheumatismo, arthritidi, ſcorbuto, ſyphillidi opitulante; emeticis repetitis, ablatione corpo-

corporis alieni irritantis; cauſarum nociuarum remotione prudenti, juſta.

CCCLXIX. Therapia primae dentitionis infantilis ad ſtadia (CCCLVIII.) variat. Primum, ſedantia irritationem compeſcentia poſcit, ſi diarrhoea abeſt lenem alvi ſolutionem, balnea tepida, clysmata aſa foetida mixta; alterum ſimul antiphlogiſtica, hirudines praeſertim ad locum protuberantem albicantem requirit. Diarrhoea modica vt plurimum ſalutaris haud intempeſtiua ſupprimatur, nimia parciorem lactis adſumtionem vel ejus commutationem et magneſiam cum rheo deſiderat. Gingiuae inciſio non niſi in ſecundo dentitionis ſtadio inſtituatur, ſi dentem protuberantem per gingiuas tumidas albicantes ſentire licet; Semper totum dentis extremum denudare conuenit, cauendo ne filamenta ſymptomata ſuſtentura reſtent. Niſi promtus ſucceſſus ſequatur ob cicatricis majorem firmitatem haud noxæ ſuſpicionem effugit.

CCCLXX. Ex dictis remediis (CCCLXIII. CCCLXIX.) in caſu obuio ſelegat chirurgus commoda cuique ſpeciei odontalgiae ejusque cauſſae. De ſingulis hisce autem infra in explicatione morborum localium vberiori fuſius dicetur.

Otal-

# Otalgia.

CCCLXXI. Otalgia *est* dolor (CCCXXVIII.) notabilis vnius vel vtriusque auris vrens, tendens, pungens, terebrans, ardens, pulſans, rodens, vel ſuſurrus, tinnitus, bombus, ſonitus ab irritatione qualicunque neruorum auris inductus.

CCCLXXII. Ratione *loci* ac ſedis morbi dolor vel aurem externam ejusque ambitum, meatum auditoriuum externum, malas et tempora occupat, vel internas auris partes, cauitatem tympani, labyrinthum, aut ipſum neruum acuſticum, ejusque inuolucra occupat et diuerſimode afficit.

CCCLXXIII. Otalgiae *cauſſae* diuerſae varias hujus morbi ſpecies conſtituunt. Datur inde

*a*) otalgia inflammatoria
*b*) catarrhalis
*c*) purulenta
*d*) metaſtatica
*e*) a corporibus alienis intruſis.

CCCLXXIV. Otalgia *inflammatoria externas* partes occupans noſcitur a ſignis inflammationis externae, calore ſc. tumore, rubore ad auriculam et genas diffuſis, cum meatus auditorii relatiua coarctatione, ac inde exorta difficultate auditus. In *internis* organi auditus partibus reſidens phlogoſis ſtipatur a febre acutiſſima, do-

lore

lore interno intenſiſſimo, auditu acutiſſimo permoleſto, ſonorum intolerantia, peruigilio, delirio interdum furibundo, conuulſionibus, ſyncope, extremorum frigore, imo ipſa interdum morte terminatur.

CCCLXXV. Otalgia *catarrhalis* noſcitur e cauſa praegreſſa, ſuſcepto nempe refrigerio capitis praecipue aut pedum aeſtuantium: ſtipatur in genere ſymptomatibus longe mitioribus, ſc. tumore leui in vicinia auris, coryza, odontalgia, tuſſi; nec raro jungitur tumori catarrhali faucium, glandularum vicinarum.

CCCLXXVI. Inflammatio in ſuppurationem abiens interdum abſceſſum format, qui a metaſtaſi qualicunque quoque oriri poteſt

a) aut externum ſuperficialem propriis ſignis dicendis diſtinguendum, dolorem tollentem et febrem, ſi pus ab abſceſſu inciſo aut rupto ſub forma otirrhoeae purulentae effluxerit.

b) aut *internum profundiorem* in cauo tympani, ex quo pus aut per tympanum eroſum aut per tubam euſtachianam feliciori euentu porumpit.

c) aut *profundiſſimum* in labyrintho, quo oſſa carie exeduntur et pus aut iu tympani cauum aut thecam cranii effunditur:

tur: eroſo ultima plerumque morte terminari ſolet.

CCCLXXVII. Otalgia *carioſa* a carie oſſis temporum aut ob conſenſum a dente carioſo oriri poteſt ſignis cariei propriis dignoſcenda. Neruus communicans faciei adfectus in cauſa eſt, vt paralyſis muſculorum faciei hujus otalgiae frequens ſymptoma ſit.

CCCLXXVIII. Otalgia, quae *a corpore alieno*, a cerumine nimis acri, indurato, aqua, ſanguine, pure retento, corporibus heterogeneis, globulo, piſo, nucleo, lana, cet. vermibus, inſectis exoritur, ſenſualibus ſignis dijudicanda. conſimiliter obſtructio ſiue compreſſio tubae Euſtachii poteſt largiri cauſſam otalgiae ex retento et in cauo tympani incluſo liquido acriori orturae.

CCCLXXIX. Ex allatis patet otalgiam haud ſecus ad odontalgiam interdum quidem eſſe *idiopathicam*, ſaepiſſime vero *ſymptomaticam*, atque eatenus ſubigi a therapia morborum primitiuorum, quibus ſuos debet natales.

CCCLXXX. Otalgiae *prognoſis* in genere differt pro

*a*) *ſede* morbi

*b*) ejus *indole* et *vehementia*

*c*) *difficultate varia*, qua premitur *ſublatio cauſae* praeſentis.

In

In vniuerſum quoad prognoſin ſequentia veniunt notanda. Juniores ab otalgia afficiuntur grauius, quam aetate prouectiores, periculoſiusque decumbunt. Inflammatoria interna, truncum nerui acuſtici afficiens ac purulenta, pus in caluariam effundens, intra paucos dies necare poteſt. Inflammationis reſolutio, febris ac doloris remisſione indicata, puris ab abſceſſu rupto tempeſtiuus effluxus ominantur plerumque meliora et ſanationem. Suppuratio in interna aure nata, rupta, et per meatum auditorium effluens, ab omni carie immunis, benignum quoque abſcesſum creare poteſt, qui in vicinia auris externae prorumpit. Poſt otalgiam grauem plerumque aliqualis auditus difficultas remanet, eaque tanto certior poſt otalgiam ſuppuratione judicatam.

CCCLXXXI. Otalgiae *therapia*, juxta varias ejusdem cauſſas ordinanda, exigit, vt cito et ſtrenue occuratur inflammationi, ad methodum alio loco exponendam, pus collectum eliciatur emollientibus (CXXVI.), inciſione, injectione tempeſtiuis; corpora aliena extrahantur; humores deriuentur, reuellantur; ſenſibilitas neruorum infringatur remediis internis et externis congruis, partim dictis ad expoſitionem doloris ac odontalgiae noſtram, partim infra dicendis fuſius ſub doctrina chirurgica morborum ab inflam-

flammatione, ſolutione continui, ac impedito tranſitu oriturorum. Idem de reliquis ſpeciebus dolorum enumeratis (CCCXLVIII.) valet, quare nonnulla ſolummodo de dolore faciei addimus, tunc ad ſpasmi deſcriptionem tranſituri.

## *Proſopalgia.*

CCCLXXXII. Dolor facialis, Proſopalgia, inter omnes morbos, in quibus dolor præcipuum ſymptoma conſtituit, forſan atrociſſimus, *eſt* ſenſatio chronica, maxime moleſta, ſenſum ſciſſionis, dilacerationis, raſionis, algoris, uſtionis, ſtuporis, anxietatis referens, nunc remittens nunc intermittens, regularis vel irregularis, per horas, hebdomades, menſes quin annos ſubſiſtens, ſtatis temporibus recurrens, plerumque tamen inordinatus eſt. Nonnullis miſeris contingit morbus potius continuus, a leviſſimo conatu loquendi aut edendi, qualicunque motu aut aurae frigidioris acceſſu exacerbatus, ita ut per annos plures raro liberi fuerint ab atroci tormento.

CCCLXXXIII. Morbus modo *occupat* caput vniuerſum, modo occiput, ſaepiſſime partem lateralem faciei, et quanquam ambæ in eodem ſubjecto tentari poſſunt, pars ſiniſtra ſaepius affici nobis viſum eſt. Uterque ſexus huic morbo quidem obnoxius eſt, maxime tamen foeminæ. Nul-

Nullam aetatem morbum excludere a pueritia ad octogesimum vitae annum ipsi observavimus.

CCCLXXXIV. Symptomata pro morbi gravitate ac subjectorum diuersitate varia observantur. Plerumque lente irrepit malum et lente augetur. Sub graviori doloris impetu labium superius, rarius inferius, vel gingiuae vel genae et musculi temporalis tractus, vel haec simul omnia, adeo anguntur, ut masticatio, deglutitio, loquela, non solum impediatur, sed os quoque saliva, et oculus impleatur lacrymis lumenque recuset. Gravem insultum sparsim antecedunt calor et rubor faciei insolitus, salivæ fluxus, dolorifica præcordiorum sensatio, extremitatum frigus. Intensissimum dolorem miseri frictione vehementi loci dolentis sopire solent, unde cutis denique ex coeruleo flava squamosa apparet, aegri præterea angore conficiuntur, qualem in paucis aliis morbis inveneris.

CCCLXXXV. *Causa* dirissimi morbi variæ esse possunt, acrimoniæ variæ indolis, aurium fluxus inhibitus, gastrica vitia varia, maxillarum et dentium morbi, Syphillis, Rheumatismus. Interdum ne attentissimo quidem examine causa morbi indagari potest.

CCCLXXXVI. *Prognosis* de difficultate causam morbi dignoscendi atque auferendi pendet; semper tractatio est longa et ambigua, præcipue si

si malum fuerit inveteratum. Saepe tamen sanationem admittit morbus, si non, tamen symptomatum leuamen. Per seriem annorum malum absque notabili sanitatis detrimento ferri potest, ciborum appetitus, digestio, vires vigent saepe, nec corpus a doloris gravitate valde emaciatur. Morbum haud frequentem esse laetamur plures tamen aegrotos obseruasse nobis licuit.

CCCLXXXVII. Multa atque varia ad morbum atrocem debellandum tentata sunt, quae tamen saepe fallere exprientia docuit. Talia sunt, China, Antimonialia, Mercurius, Cicuta virosa, Atropa belladonna, Strammoneum, Napellus, Arsenicum, Vinum rubrum largiter potum, Electricitas, Magnes, sectio nerui quinti paris, Setaceum, ferrum magnetisatum topice applicatum, sanguinis missiones variae, balnea varia, vesicantia diu continuata cet. Inter quae Cortex Peruuianus quotidie per octo dies ad unciam porrectus, et dimidium granum Tartari stibiati cum duobus granis opii per sex dies provespera sumtum et Setaceum in Nucha maxime proficua visa sunt. Sanguinis missiones semper nocivas, et sectionem nerui infraorbitalis et frontalis inutilem invenimus.

---

ORDO

# ORDO II.

## SPASMVS.

CCCLXXXVIII.

Spasmus in vniuersum eſt quaeuis partis irritabilis, vera vi motrice praeditae, a ſtimulo morboſo excitata actio, voluntati vel naturae normae in corpore ſano non reſpondens, vnde turbae ſanitati nociuae inducuntur.

CCCLXXXIX. Quum nulla pars corporis humani vim motricem veram, irritabilem puta, a ſimplici contractilitate elatereue diſtinctam posſideat, niſi fibris muſcularibus inſtructa ſit eadem, liquet fibras muſculares, qua tales, eſſe *ſubjecta* ſpasmi (CCCLXXXVIII.) praecipua, quanquam et reliquas, quarum ſtructura muſcularis haud demonſtrata eſt, etiam ſpasmo affici poſſe experientia multiplex confirmat; in omni enim parte quae irritabilis eſt, fibram muſculoſam vel contractilitatem ſaltem ſupponere licet.

CCCXC. Tam arctus autem conſenſus intercedit ſyſtema motorium inter et neruoſum, raraque adeo occurrunt exempla ſpasmorum fibrae irritabilis, quos non praecedit euidens aliqua ſyſtematis neruoſi impreſſio, ſiue mutatio, vt ſua ſponte conſtet, originem ſpasmi eſſe omnino *referendam ad genus neruoſum* proxime, atque fibram mu-

muſcularem: quare dolor ſimplicior eſt morbus ſpasmo.

CCCXCI. Quum verò non lacertoſis ſolis motus organis, verum innumeris etiam aliis partibus, quas alterne contrahi et relaxari poſſe oportebat, de maximis muſculis motui voluntario inſervientibus, ad ſphincteres vsque vaſorum lacteorum et vaſorum reſorbentium cutaneorum, fibras muſculares largitus ſit creator: quum porro ipſius vis motricis ſeu irritabilitatis gradus, in ſingulis hominibus pro diuerſa aetate, ſexu, ſenſilitate, vitae genere, idioſyncraſia cet., multopere variet, nec ipſius non fibrae muſcularis irritabilis ſtructura et aliae dotes diuerſiſſimae inueniantur: cum in ipſo homine irritabilitatis gradus ſit mutabilis, mox exaltetur, mox deprimatur, et inde idem ſtimulus diuerſo tempore nunc majorem nunc minorem excitet effectum; denique quum nihil magis differat ſtimulis ipſis motus ſpaſticos cientibus: patet abſolutum ſpasmorum prae illo dolorum, imperium et *diuerſitas* ſumma reſpectiue ad

a) *ſedem*,
b) *durationem*,
c) *gradum* et
d) *indolem*.

CCCXCII.

CCCXCII. Quoad *ſedem* morbi, ſpasmus

*a*) nunc in irritato loco ſubſiſtit, nunc in remotiores quoque partes excurrit.

*b*) nunc organa motoria arbitrio voluntatis paritura, iterum functionibus naturalibus dicata, occupat, denique ad vitalia ipſa migrat.

*c*) modo in pauculis cujuspiam partis micat fibris, modo in totos ſaeuit lacertos, modo totum fere ſyſtema muſculoſum inuadit.

*d*) neque ſemper in prima ſede manet, ſed per alias ſaepe et alias vagatur, velocitate interdum aemulus fulmine.

CCCXCIII. In *duratione* ſpasmi multiplex cernitur diuerſitas: occurit ſpasmus fugax, manens, acutus, chronicus, quin imo habitualis S. Viti nomine inſignitus; continuus, remittens, intermittens, periodicus, erraticus.

CCCXCIV. Varios *gradus* admittit ſpasmus a gradu ſtimuli et irritabilitatis determinatos:

*a*) mox leuiſſimo tremore ſiue palpitatione ludit;

*b*) iterum corpus totum contractionibus horridis violentis, funeſtis conuellit: mox ab hoc trunci ad inſtar lignei inflexile euadit corpus totum, iterum in rigorem extenditur oſſifragum.

*c*) de-

*c*) denique poteſt in quocunque gradu inter hos duos extremos (a. b.) medio ſubſiſtere.

CCCXCV. Ratione *indolis* denique duplex quidem et maxime diuerſum notatur ſpasmi genus; ſcilicet

*a*) violenta illa contractio vel permanet ipſam partem adfectam immobilem reddens, in quo caſu ſpasmus *tonicus* dici ſolet;

*b*) vel mox ceſſat ſpasmus et iterum iterumque recurrit partem alterno motu ſuccutiens, qui tunc *clonicus*, *conuulſiuus* ſ. *agitatorius* ſalutari conſueuit.

Vterque adfectus partes easdem occupat, ſimiles cauſſas et differentias agnoſcit, haud raro aut mixtus eſt, aut vnus in alterum tranſit, ac ſaepiſſime eandem medelam poſcit.

CCCXCVI. Spasmi *principium* conſtituere videtur impetus ſpirituum vim irritabilem excitantium (CCCLXXXIX.) intempeſtiuus vel juſto fortior verſus certam partem determinatus: effectus hujus reſpondebit quoque gradui intenſitatis vis inſitae fibrae muſcularis et ſenſibilitatis neruoſae ob mutuum vtriusque conſenſum: ipſum autem impetum a perceptione in ſenſorio communi vel immediate vel mediante neruo excitata, determinari plerumque haud improbabile eſt.

CCCXCVII.

CCCXCVII. Talem perceptionem inducentes *cauſſae* ſunt impreſſiones variae ſ. irritamenta, quae

*a*) vel in varias corporis partes agunt ſiue externe admota, ſiue intus delata, ſiue in ipſo corpore prognata fuerint

*b*) vel mere mentales.

Cum ſpasmus vix vmquam vigore pulſus vel diatheſi inflammatoria, vel inflammatione locali junctus ſit, debilitatem habitumque corporis laxum omniaque quae ad illam diſponunt (XXXVIII.) ſpasmi cauſis adnumerari poterit.

CCCXCVIII. Ad impreſſiones *corporis partibus* attribuendas pertinent

*a*) quidquid premendo, diſtendendo, imperfecte ſoluendo, aut alia demum ratione neruum, ganglion, encephalum, medullam ſpinalem, muſculos, tendines, membranas ſtimulat, vti omnis dolor acerbus in parte inprimis neruoſa excitatus (CCCXXX.), irritamenta varia ab humoribus acribus, putreſcentibus, extravaſatis; aëre humido, calido, infecto; tumoribus variis; vaſis et receptaculis liquido turgidis; corporibus alienis; contuſionibus; disruptionibus; ac vulneribus capitis, faciei; ligatura; fracturis; luxationibus; maxi-

me neruos jugo ſtimulo ſollicitantibus; flatibus; muco tenaci; vermibus in primis viis; alimentis indole aut copia peccantibus; venenis; cauſticis; euacuationibus ſolitis ſuppreſſis, cet.

*b*) quidquid inſignem *ſpirituum* vitalium jacturam, maxime ſubitam, non ſatis cito reparabilem, parit, cujusmodi ſunt haemorrhagiae profuſae, venus immodica vel alia quaeuis vehementer debilitantia.

CCCXCIX. Impreſſiones *mentales* adſcribantur animo in certas ideas nimis et diu intento, vel ad alias referantur mentis affectiones: omnes autem, aeque ac corporeae, videutur ſtimulare ſenſorium commune aut vitales ſpiritus exhaurire.

CCCC. Ex dictis patet ſpasmum, non ſecus ac dolorem, vel eſſe

*a*) *idiopathicum*, vel

*b*) *ſymptomaticum*, vel denique

*c*) *ſympathicum*.

CCCCI. Liquet etiam, quomodo ſpasmus *differat ab* aliis *contracturis* morboſis absque vllo praeuio augmento irritabilitatis ſiue ſenſationis, ortis ex ſimplici muſculorum antagoniſtarum inertia poſt quietem nimiam, compreſſionem, ſitum mutatum, iniquum, cet.

CCCCII.

CCCCII. Spasmorum *effectus* variant pro ſede, duratione, gradu, indole et cauſſa horum, atque conſtitutione ſubjecti diuerſis. Interdum quidem ſunt leues fugacesque adeo, vt corpus vix injuria afficiant, quid? quod interdum egregie juuent, inimicum eliminando, vnde ſaluberrimis naturae auxiliis ad morbos auertendos fugandosque merito tales adnumerantur ſpasmi: plerumque attamen multimodas inducunt noxas, turbant maxime circuitum ſanguinis, humorumque ſe- et excretiones, pariunt febres, inflammationes, obſtructiones, fluxus, ſenſus motusque debilitant, deprauant, exſtinguunt omnino vel ex parte.

CCCCIII. Spasmi *prognoſis* pro ejus ſede, duratione ac indole variat, atque a difficultate tollendae cauſſae pendet. Nullus in vniuerſum notabilis ſpasmus omni periculo caret; locales tamen minus graues vniuerſalibus: pericula minora ominantur ſpasmi organa motus voluntarii occupantes, grauiora in partibus penitioribus, dicatis actionibus naturalibus, reſidentes; grauiſſima in partes vitales ipſas ſaeuientes: hi inſignes ſemper vitae inſidias ſtruunt. Spasmi idiopathici in vniuerſum graviores ſymptomaticis; qui tamen, vbi non ablata cauſſa perſiſtunt, diu aut ſaepius recurrunt, denique totum ſyſtema muſculoſum in conſenſum trahere poſſunt. Sub-

jecta debilia, valde ſenſilia ac irritabilia, ſeminium ſpasmi alunt, et ex leuiori cauſſa afficiuntur ſpasmo grauiori: ſpasmi grauiſſimi a violentia quauis externa inducti, duram amputandi neceſſitatem interdum accerſerunt.

CCCCIV. Chirurgica ſpasmi *curatio* in vniuerſum verſatur circa

*a*) cauſas morbi auferendas vel frangendas;

*b*) neruorum ſenſibilitatem ac muſculorum irritabilitatem minuendas; vel alienum ſenſum in neruis excitandum.

imitatur adeoque ſtabilitam ſuperius pro irritamento doloris tollendo (CCCLII.)

CCCCV. Spasmi *cauſſa remouetur* ſeu *infringitur*

*a*) *corpus alienum* fluidum ſ. ſolidum, irritans, auferendo, trepanatione, inciſione, injectione, extractione varia.

*b*) *neruum inciſum* ſeu *adfectum* transſcindendo, ſeu ope cauſtici deſtruendo, aut ſenſationem nerui infringendo per ſuperinfuſa balſama natiua, vel olea aetherea.

*c*) *vulnus* parti cuidam neruoſae inflictum *ampliando*.

*d*) *venena* et *acria varia*, lauatione, injectione, inuoluentibus, antidotis, cu-

cur-

curbitis, veſicantibus, emeticis, laxantibus, *auferendo*, *debilitando*, diluendo, obtundendo, corrigendo.

e) deſtruendo *eliminandoque vermes* anthelminticis et purgantibus aluum.

f) *inopiam* boni *ſanguinis* reparando diaeta blanda, nutrienti idonea.

g) *muſculum* ſpasmo chronico *adfectum transſcindendo.*

quorum quidem omnium adminiculorum, ſelectus juſtior determinabitur infra ex pertractatione aliorum morborum.

CCCCVI. Senſibilitas neruorum et *irritabilitas* muſculorum *minuuntur* ſequentibus:

a) *opio*, antiſpasmodico omnium efficaciſſimo, modo aduerſus affectus ſpaſticos hoc intrepide vtatur in doſi ſufficiente, ſiue ſolita majori, maxime, dum experientia repetita confirmat aegrotos, ſpasmo correptos, poſſe inſontes ferre doſin opii largiorem: ceterum poteſt opium hoc in caſu interne dari, et etiam cum fructu ope clysmatis injici, ſub ſpecie frictionis, cataplasmatis, emplaſtri ad partem adfectam admoueri aut denudatae carni imponi: oportet autem perſiſtere in vſu opii non interrupto, per doſes pro re nata majores

vel

vel minores, ad plenariam vsque morbi ſpaſtici ſanationem; ſimilem, minorem quamvis, effectum praeſtant ſtrammoneum, aconitum, belladonna, dulcamara cet.

*b*) aliis remediis ſic dictis *antiſpasmodicis*, ad quae numerantur camphora, moſchus, aſſa foetida, caſtoreum; ſal volatile cornu cerui, moſcho nuptum, ſemina ſinapi majori doſi perrecta nec non omnia medicamenta *oleoſo volatilia:* haec malum ſaepe quidem leuant et nimium impetum quodammodo frangunt, raro vero ſanationem efficiunt.

*c*) *ſanguinis miſſiones* in omnibus affectibus ſpasmodicis, in quibus orgasmus, pulſus, et habitus corporis indicant plethoram praeſentem, non differendae ſunt: repetitae autem ſaepius eaedem, dant ſuſpicionem noxae futurae, tanto quidem majorem, quum ſanguis in adfectibus ſpasmodicis, tetano praecipue, rariſſime cruſta inflammatoria obtectus, ſed potius diſſolutus inueniatur.

*d*) *balnea tepida*, ſemicupia, pediluuia, maniluuia, vbi ſpasmus a refrigerio ac tranſpiratione ſuppreſſa exortus, pulſus tenſus, durus, cutis ſicca eſt, optimum

timum effectum praeſtitiſſe compertum eſt.

e) *balneum frigidum* in nonnullis ſpasmis intermittentibus, remittentibus, habitualibus, chorea S. Viti, a debilitate ac nervorum ſenſilitate exortis, eximium vſum praeſtat, praecipue vbi immediate poſt balneum ſimul frictionibus vtimur.

f) *veſicatoria* non niſi poſt praemiſſa euacuantia, et ſemper caute adhibeantur contra ſpasmum, quippe quae plus vice ſimplici morbum exacerbaſſe viſa ſunt atque comperta.

g) *frictiones vnguinoſae* heic vtilitatem ſpondent, frictioni ſimplici ſoli debitam, nec aliam; ſed cum oleo camphorato opio mixto, oleo terebinthinae vel oleo lateritio inſtitutae, majorem.

h) *frictones mercuriales*, tempeſtiue et manu ſatis larga adhibitae, obſtiterunt incremento ſpasmi vniuerſalis, imo praeſentem ſedarunt, modo mox ſub initio morbi adminiſtratae ad citam ſaliuationem vsque ſtrenue: morbo altius irradicato tollendo impares easdem declarat experientia repetita.

i) *elec-*

i) *electricitas* rite et caute (CCXCIX.) adhibita, in variis ſpasmis quam tonicis, tam clonicis profuit; imo ad ſimiles ſcopos *magnetismo*, cum quadem vtilitatis ſpecie vſos eſſe, legimus.

k) ſpasmus tonicus particularis ſolet cedere *extenſioni* cautae, lentae, jugae muſculi contracti, relaxantibus remediis externis ſimul tractati, nec non repetito niſui contractiuo antagoniſtae, excitati ſtimulantibus mitioribus.

l) *inuolutiones* denique totius membri affecti, juxta artis regulas inſtitutae, in variis ſpasmis localibus magnam praeſtiterunt efficaciam, vti quoque ligatura ſtrictior membri ſpasmo adfecti hunc ſoluere aut praepedire valet.

CCCCVII. Senſus alienus in neruis excitatur variis irritantibus externis, internis; praecipue inducendo ſtatum inflammatorium, qui vix cum ſpasmo connubium init. Proſunt inde vinum generoſum et olea aetherea larga manu porrecta; vulneris, ſi cauſa ſpasmi fuerit, vt plurimum laxi haud inflammati, irritatio, veſicatorio, cauſtico, oleo terebinthinae cet. vt phlogoſis inducatur. Immiſſio membri laeſi in aquam feruidam, ſeu fotus calidi ad citam cutis veſicationem continuati, nobis proficui viſi ſunt.

CCCCVIII.

CCCCVIII. In vniuerſum ſpasmi, qui muſculos motui voluntario dicatos, artus atque organa inuadunt, maxime remediis chirurgicis debellantur: ex omnibus autem his ſpasmis tetanum, epilepſiam, ſtrabismum ac contracturas, nec plures, exponere ſigillatim judicamus noſtro ſcopo ſatis congruum.

## *Tetanus.*

CCCCIX. Tetanus *dicitur* ſpasmi tonici generalis (CCCXCV.) ſpecies, quae rigiditatem dolorificam acutam corporis totius inducit.

CCCCX. Variae dantur hujus morbi *differentiae:*

*a*) aut corpus flecti neſcium recta directione rigeſcit.

*b*) aut ad poſteriora curuatur,

*c*) aut, quod rarius accidit, ad anteriora.

*d*) vel lateraliter inflectitur.

quae differentiae ſolummodo a gradu morbi ac diverſa muſculorum adfectione pendent, genio morbido ac therapia circiter iisdem.

CCCCXI. Nec ſpasmi partiales tetanum frequentiſſime concomitantes; ſpasmus maxillae inferioris *triſmus* dictus, *riſus ſardonicus* ſ. ſpasmus muſculorum faciei, *ſpasmus cynicus* ſ. latera-

teralis oris diſtorſio quoad indolem de tetano recedunt, nec ſpecialem pertractionem requirunt.

CCCCXII. *Cauſae internae et externae*, tetanum inducentes ſunt omnia (CCCLXCVII. CCCXCVIII.) dicta, quibus coelum calidum, humidum, ſub quo tetanus longe frequentior occurrit, ac refrigerium ad corpus aeſtuans admiſſum, lac denique repulſum, et eruptiones cutaneae repreſſae adnumerari merentur. Aetas virilis maxime tetano obnoxia eſt, ae viri longe frequentius quam foeminae in hunc morbum incidunt, imo nec parcet infantulis tenellis ſub coelo praecipue calidiori, vt plurimum circa tempus funiculi decidui. Expreſſionem ſanguinis, e funiculo antequam inſtituatur ligatura, tetanum avertere legimus.

CCCCXIII. Siue a cauſſa interna ſaepe abſcondita, ſiue poſt laeſionem qualemcunque externam maxime partium neruoſarum, interjectis interdum compluribus a laeſione facta diebus, vulnere haud inflammato, laxo, rite interdum ſuppurante, imo jam ſanato vulnere exſurgit tetanus, qui a remediis conuenientibus ſub primo acceſſus praeludio, non ſatis tempeſtiue victus, ſolet regulariter ſatis atque conſtanter percurrere ſtadia ſequentia:

*a*) exorditur plerumque a dolore aliquali muſculorum nuchae et difficiliori mobili-

bilitate capitis: accedit ſenſus ingratus ad radicem linguae et faucis, deglutitionem turbans, cum apyrexia plenaria, pulſu naturali vultuque quaſi ſubridente.

b) ſurgit paulo poſt dolor punctorius epigaſtrii a ſcrobiculo cordis ad dorſum penetrans: hunc ſequuntur pede preſſo retrotractio capitis violenta, trismus diductioni maxillae omni obſtans, nec non retrotractio dorſi et lumborum aliqualis. Obſtipatio alui ſymptoma ſatis conſtans eſſe ſolet.

c) iterum ſpasmus conuellit muſculos flexores capitis, trunci, extremitatum, omnes, atque adeo ſtipitis ad inſtar lignei rigeſcit corpus totum: ſoli manuum digiti flexiles interdum ſub tali rigiditate vniuerſali manent, quemadmodum muſculi linguae plerumque non contrahuntur, ſed ipſa extra os protruditur violenter: facies pro exacerbatione diuerſa mox pallet, iterum rubore ſuffunditur virgineo: deglutitio premitur difficultate ſumma: reſpiratio anguſta eſt, pulſus celer, paruus: ſenſus in et externi vigent integri: venter appetit di-

digeritque bene: excretiones perſiſtunt invariatae, ſanae.

*d*) denique totum ſyſtema muſculoſum non motui voluntario ſoli, ſed vitali etiam et naturalt dicatum videtur trahi in conſenſum dirum, anguſtus trahitur ſpiritus, pulſus arteriarum parui tremunt, clauduntur alvus atque veſica, corpus ſudat frigide, corrugatur frons, luſcitant oculi immobiles fixi, diducuntur nares, genae et os vario vellicantur modo, vultus ad adſpectum horridus, tandem agmen malorum claudit inſultus conuulſiuus, grauiſſimus, letalis.

CCCCXIV. Tetanus non *aequa* ſaeuit *vehementia* vbique: interdum inducias pangit temporarias, relaxatis ſub remiſſione dolorum muſculis: exacerbatur autem a quouis niſu voluntario, muſculari aut alio motu.

CCCCXV. Tetani *prognoſis* in vniuerſum valde ambigua; ſibi ipſi relictus ſemper letalis eſt. Cito (CCCCX.) dicta ſtadia percurrens ſ. increſcens ante quartum diem necare ſolet, his praeterlapſis ſub therapia (CCCCIII.) dicta minores vitae inſidias ſtruit; ſaepe tamen aucta vi recrudeſcit. Infantuli, ante nonum diem tetano et triſmo adfecti, vix vnquam euadunt. Tetanus nun-

nunquam vna aut critica quadam euacuatione ſanatur, ſed lente ſemper ſoluitur.

CCCCXVI. Hujus mali *therapia* indicat *cauſſum tollendam* et *effectum irritamenti minuendum:* Prius obtinetur ablatione, extractione corporis alieni; dilatatione ampla, diuerſimoda, cita, irritatione aſſidua ad inflammationem inducendam vulneris, puncturae; laxatione tempeſtiua ligaturae, mox ab operatione amputationis, aneurismatis, craſtrationis injectae, neruumque ſtringentis, vel ſciſſura nerui ſupra ligaturam: ſpem ſalutis fruſtrante multiplici hocce conatu mitiori, dira neceſſitas cogit ad amputationem altiorem, interrupturam nexum nerui affecti cum encephalo, licet vel maxime et hoc triſte refugium ſaepe impar viſum fuerit tetano grauiori tollendo.

CCCCXVII. Scopo *poſteriori* inſeruiunt opium in primo morbi ſtadio ante conſtrictam gulam larga manu datum, interpoſitis laxantibus et clysmatibus: injectionem totius drachmae opii ſoluti ope clysmatis, profuiſſe ipſi obſeruavimus; mercurius larga manu porrectus, frictio mercurialis ſtrenua, tempeſtiua; et denique omnia (CCCCIII.) enumerata, ad cauſam et indolem morbi praeſentem adaptanda, ſeligenda. Immerſio ſubita iterata totius corporis in aquam frigidam in tetano a cauſa interna mire prodeſt, in tetano a cauſa externa minorem effectum praeſtat. Membrum

brum a ſpasmo rigidum a contactu cum ferro vel aceto frigido cito relaxatum fuiſſe experientia docet.

## Epilepſia.

CCCCXVIII. Epilepſia *eſt* ſpasmus conuulſiuus (CCCXCV.) chronicus, vniverſalis, cujus acceſſus a ſubita ſenſuum ac motus voluntarii interceptione, nec non variorum muſculorum faciei, oculorum, maxillae, linguae, extremitatum agitatione cum dyspnoea cognoſcitur.

CCCCXIX. Hujus *principium* videtur eſſe vitium ſenſorii communis praeternaturale, vi cujus actiones voluntariae contra nutum voluntatis ſuccedunt. Diſpoſitionem mouent haereditas, aetas infantilis et puerilis, ſexus ſequior, paſſio hyſterica, morbus ipſe praegreſſus.

CCCCXX. Epilepſiae *cauſſae* videntur agere modo oppoſito: etenim

*a*) aut ſenſorium commune ipſum immediate excitant ſtimulantue.

*b*) aut ſpiritus encephali, a qualicunque cauſſa debilitati, collapſi, ad motus cient inordinatos.

*c*) aut denique ſtimulos partium remotarum cum ſenſorio communi communicant.

CCCCXXI.

CCCCXXI. Cauſſis *ſenſorium* commune *ipſum* immediate *excitantibus* et ſtimulantibus adſcribantur: variae laeſiones capitis a violentia externa; effuſſio liquidi cruenti vel ſeroſi, corpora aliena, oſſium fragmenta, exoſtoſes, oſſificationes tumoresque varii intra cauitatem cranii, depreſſiones oſſium calvariae, mala conformatio capitis, naturalis, vel accidentalis; vaſa capitis ſanguifera nimis turgida a plethora, exaeſtuatione, ebrietate, aut ingeſtis nimiis; animi affectus varii, ira, gaudium, terror; imo compertum eſt ſimplicem adſpectum epileptici, aut morbum ſimulantis, induxiſſe epilepſiam.

CCCCXXII. A *fracta energia encephali*, et collapſis quodammodo cerebro originibusque neruorum oritur interdum epilepſia: ſic haemorrhagiae grauiori, ſubitae omni ſuperueniunt epileptici motus.

CCCCXXIII. Denique *ſtimulorum alias partes vellicantium* cum ſenſorio communi communicatio conſenſualis gignendae fauet epilepſiae: huc pertinent titillatio, dolor grauis, dentitio infantum, cruditates, acida, acria, vermes in primis viis, miasmata varia inprimis exanthematica ante eruptionem, ſcabies, herpes aliaeque eruptiones retropulſae, venena varia aut intus ſumpta aut externe admota, calculi varii irritantes, ſup-

pres-

preſſiones excretionum conſuetarum aliaque, quae ſpasmum (CCCXCIV.) inducere valent.

CCCCXXIV. Variae hae cauſae (CCCCXVI.) pro vario gradu ſenſibilitatis, irritabilitatis ac debilitatis indiuidui diuerſimodo agunt, morbum *inducunt, augent, minuunt;* ex quibus patet, epilepſiam haud ſecus ac alias ſpasmi ſpecies interdum eſſe morbum *idiopathicum*, interdum *ſymptomaticum* vel *ſympathicum.*

CCCCXXV. Morbi eſſentialia ſymptomata ex definitione liquent:

*a)* *inſultum epilepticum acceſſurum* praeſentiunt morbo adſueti, ex cephalalgía, vertigine, caligine oculorum, tinnitu aurium, anxietate praecordiorum, tremore et horrore totius corporis, oſcillatione, aliisque quae ex ſpeciali aegroti idioſyncraſia pendent. Nonnulli a ſenſu quodam ingrato, aut ſubſultu alicujus membri, ex quo morbus propagari illis videtur, inſultum praedicunt, quem ligatura ſtrictiori hujus partis interdum auertere licet.

*b)* *ſub inſultu epileptico* flexores pollicis, extenſores capitis atque dorſi videntur gravius prae reliquis muſculis conuulſis affici: clamores interdum et aliquem quaſi mugitum edunt aegri, ſpumam in

in ore colligunt, dentibus ſtrident, linguam interdum morſu laedunt. Vrina, faeces ac ſemen ſaepe inuoluntarie ſub paroxysmo ſecedunt.

c) *poſt paroxysmum* reſtant grauitas capitis, laſſitudo corporis totius, languorque et pallor, ſenſim tranſeuntes ſponte.

CCCCXXVI. *Circa prognoſin* epilepſiae notetur, vt morbus ſcrutinium cauſſarum maxime ſollicitum requirat, ſemper ſit difficilis curatu, ſaepius omnem reſpuat medelam. Epilepſia, nuper exorta, ſanari poteſt, vbi vera cauſa efficiens detecta fuerit et artis ope radicitus tolli poſſit: Epilepſia a dentitione, hyſteria, vel ex animi pathemate exorta omnino ſanationem admittere poteſt; inueterata, habitualis rariſſime tollitur eo certius quidem, ſi cauſſa detegi ac remoueri nequit. Herpetem, ſcabiem, aliasque eruptiones cutaneas, ſanguifluxus naturales, dyſenteriam, febres quartanas, epilepſiam interdum ſuſtuliſſe teſtis eſt experientia fida, quemadmodum epilepſiam habitualem in *delirium*, *maniam*, *fatuitatem*, *obliuionem*, *amauroſin*, *ſtrabismum*, *paralyſin et letalem apoplexiam tranſire demum.*

CCCCXXVII. Epilepſiam *curaturus*, cauſſae hujus curatius exploratae, cognitae atque perſpectae, opponat remedia partim (CCCCIV. CCCCV.)

CCCCV.) dicta, partim ex tractatione aliorum morborum petenda. Sequentia attamen momenta digna ſunt, quae in therapia epileptica notentur ſedulo:

*a*) quod ſi circumſtantiae ſuſpicionem alant certam de origine ſpasmi epileptici ex affectione dolorifica nerui cujusdam ſingularis, applicetur ad hunc locum veſicatorium, ſeu fonticulus, aut neruus ipſe, vbi res permittit, cauſtico diſſoluatur, vel ferro tranſcindatur, aut denique membrum totum, fomitem morbi probabilem continens atque diffundens, ſtringatur aut involuatur faſcia arctiſſima, pro ratione integritatis ſecurae membri et ſenſibilitatis aegri.

*b*) ſtimulus mechanicus epilepſiam excitans tollatur minuaturque per encheireſes chirurgicas idoneas, ſuo loco exponendas: Praecipue extrahendo, exſcindendo, corpora aliena irritantia.

*c*) caute in hoc morbo cum venaeſectione mercetur, nec ad hanc confugiatur vnquam, niſi ſigna patula, diſtincta plethorae ſiue congeſtionis inflammatoriae verae deſiderant: vitentur cane pejus et angue, quae orgasmum ſanguinis mouent, omnia.

*d*) epi-

*d*) epilepſiae ab eruptione cutanea retropulſa opponuntur fauſte balnea tepida, frictiones, emetica repetita, veſicatoria, rubefacientia, cucurbitae.

*e*) a debilitate nimiaque ſenſilitate ac irritabilitate inductus morbus auram frigidam, balnea frigida, frictiones indefeſſas, ac tonica interna, corticem, martialia cet. poſcit.

*f*) a ſtimulo mentali exortam epilepſiam pathemata oppoſita interdum tollunt: conſtat talem fuiſſe a terrore panico, concuſſione electrica forti, fulminisque tactu ſublatam atque curatam penitus.

*g*) durante paroxysmo remedia vix adplicanda: adſtantes modo curent, ne corporis partes morbo concuſſae laedantur; corium ſ. ſuber dentibus interponant ne lingua laedatur, nec membra conuulſa nimis retineant, cum inſultus epilepticus inde gravior fiat et aeger magis defatigetur.

*h*) inter ſpecifica interna praecipue laudantur valeriana, viſcum quernum, folia aurantiorum, galium luteum, galium mallugo, vitriolum album, opium, hyoſcyamus, camphora, moſchus, ſabadillae ſemen, oleum animale Dippelii,

pelii, mercurius, facharum faturni cet. quae ad indolem caufae indagatae eligantur; vix vnquam folae tamen profunt, nifi externa fimul adhibeantur, et excitantia nociua ftrenua prohibeantur et tollantur. Partem a fpasmo rigidam a contactu ferri vel aceti frigidi cito relaxatum fuiffe vidimus.

## Strabismus.

CCCCXXVIII. Strabismus f. Lufcitas *eft* fpasmi tonici fpecies, qua fit, vt axes vtriusque oculi haud aequali directione conuergant. Cujus morbi *principium* eft (CCCXCVI.) actionis vnius mufculi oculum mouentis prae reliquis tam praeualens vis, qua oculus in quemuis alium angulum potius quam in rem objectam dirigatur.

CCCCXXIX. Ex variis cauffis hoc malum oriri poteft:

*a*) ex omnibus, quae fpasmum generalem (CCCXCVII.) inducere valent, quo oculorum mufculi in confenfum trahuntur, inde ftrabismus femper fere tetani (CCCCIX.) ac epilepfiae (CCCCXVIII.) comes.

*b*) a

*b*) a paralyſi cujusuis muſculi oculum moventis, per quam oculus ad latus oppoſitum dirigitur.

*c*) a praua conſuetudine in infantibus tenellis ad rectam oculorum directionem nondum adſuetis, qui ex vna mamma lactantur, vno portantur brachio, vni lateri incumbunt, aut quorum vnus idemque oculus maxime lumini objicitur: in illis porro, qui ob vitium corneae ſenſibile, pterygium, leucoma cet. vel ob partiale retinae vitium lateraliter videre coguntur, vnde denique facultas vtrumque axin oculi huc et illuc ſimul inclinandi amittitur:

*d*) a violentia quauis externa, cerebrum, neruos, oculos adficiente:

*e*) ab humoribus effuſis atque tumoribus variis vnum alterumue muſculum ſingulariter excitantibus, tendentibus: denique

*f*) vnius oculi prae altero vigor, aut corneae vtriusque oculi diuerſa conuexitas, luſcitati anſam dare poteſt.

CCCCXXX. Quoad ſtrabismi differentias, modo vix ſenſibile eſt malum: modo foedam deformitatem inducit; modo vitium eſt congenitum; modo vtrumque adficit; modo major eſt lu-

luſcitas, ſi propinqua objecta reſpiciuntur, modo magis ſenſibilis, ſi longius obſeruantur, ſemper animi adfectu augetur.

CCCCXXXI. Symptoma hujus morbi praecipuum eſt viſus duplicatus, in ſtrabismo recenti interdum obuius; etenim oculis praeter conſuetudinem diuergentibus, duplex objectum percipimus; qui tamen error adſuetudine mediante tactu corrigitur, et denique ceſſat.

CCCCXXXII. *Prognoſis* morbi pro difficultate cauſſae tollendae varia. Strabismus habitualis, congenitus a mala oculi conformatione ſ. vitio cerebri neruorumque oculi, vix vnquam curatur, vbi quoque aegrotorum negligentia ac inconſtantia in adhibendo ſtudio ſaepiſſime curationi obſtat. Luſcitas in infantibus haud dentitionem perpeſſis interdum eſt conuulſionum, epilepſiae vel apoplexiae prodromus, inde mox hirudines pone aures, aliaque remedia propria indicantur.

CCCCXXXIII. Luſcitatis ſublationem cauſſae generalis (CCCXCVII.) ſpasmum inducentis, aut vitii localis (CCCXCVIII.) indoli ejus accommodatam requirit. Maximam opem adfert ſedula nociuorum quae diximus, euitatio; ſtudium aſſiduum bis vel ter in diem per horae quadrantem

a ſpe-

a ſpeculo pupillam ſinguli oculi adſpiciendi; frequens minutiſſimorum objectorum adſpectus; aſſidua admonitio ſ. attentio, objecta haud obliqua ſed rectiſſima directione videndi; quae omnia conſtanter per longum tempus continuari debent. Quae ad ſanandam luſcitatem inuentae ſunt laruae aut faſciae oculares ob deformitatem et diuturni vſus moleſtiam vix vnquam optatum effectum praeſtant; et plerumque minus diu adhibentur, quam ut effectum aliquem praeſtare poſſint.

## Contractura.

CCCCIV. Contractura *eſt* vnius aut plurium muſculorum, ſenſim exorta, chronica contractio, quam antagoniſtae muſculi ſuperare haud poſſunt.

CCCCXXXV. Praecipue *accidit* in muſculo ſterno-cleido-maſtoideo, quo capitis inflexio lateralis inducitur, qui ſtatus *obſtipitas* ſ. caput obſtipum ſalutari ſolet; nec non in muſculis ſpinae dorſi, brachii, femoris, cruris, digitorum. Caput obſtipum praeterea induci poteſt a cutis combuſtione, ſuppuratione larga, cicatricibus; qui ſtatus, inſpecto loco adfecto, a cutis tenſione ſub ſitu capitis recto, et praeternaturali cutis cum muſculis ſubjacentibus nexu, a vera mu-

mufculi fterno-cleido-maftoidei contractura facile dignofcetur.

CCCCXXXVI. Contracturae *cauffae* in vniuerfum effe poffunt, omnia, quae fpasmum inducere (CCCXCVII.) valent, praefertim morbi osfium, luxatio, fractura, exoftofis, rachitis, gibbofitas; fitus diuturnus in morbis chronicis vnius ejusdemque mufculi actioni fauens; dolor chronicus fub certo membri fitu leuatus, fcorbutus; colica pictonum, arthritis, rheumatismus chronicus, paralyfis, combuftio, cutis a citatrice adftrictio.

CCCCXXXVII. Contracturae mufcularis fymptomaticae *therapia* requirit morbi primarii fublationem aut imminutionem ejus genio accommodatam. In idiopathica conducit cauta, lenta, continua mufculi contracti extenfio, ejusdemque ope fafciae aut inftrumenti idonei in fitu conuenienti retentio; frictiones partis adfectae ac inunctiones vnguinofae calidae; oppofiti lateris fortior frictio pannis afperis, liquore fpirituofo ftimulante imbutis perficienda, electricitatis prudens (CCXCI.) admotio; affiduus ac indefeffus mufculi antagoniftae nifus contractiuus.

CCCCXXXVIII. In obftipitate caput fafcia convenienti in partem contrariam religandum eft. In-

Inſtrumentum proprium ex arcu ferreo et collari molliſſimo confectum, quo collari ceruix incuruata comprehenditur, et aegrotus aliquoties in diem, quantum ferri poteſt, ſuſpenditur, donec ad formam naturalem ceruix redeat, cum vtilitate adhibetur. Nec minorem vſum praeſtat machina ad ſubleuandum pondus capitis in gibboſitate commendata. His incaſſum adhibitis, inſertionem inferioris muſculi ſterno-cleido-maſtoidei cum ſucceſſu interſciſſam fuiſſe, compertum eſt. Vti quoque curuaturam brachii ſectione tendinis muſculi bicipitis ſanatam fuiſſe, conſtat. Talis tendinis transſciſſio, vel, transuerſim inciſa in anteceſſum cute, paruis inciſionibus lente tendinem diuidentibus; vel ſub ſpecillum ſulcatum caute pone muſculum ductum perficitur.

CCCCXXXIX. Aliae ſpasmi ſpecies, partes, motui animali dicatas, adficientes, uti ſpasmus linguae, gulae, príapismus; nec non illi, qui actiones vitales turbant, vti aſthma ac palpitatio; ii denique, qui actiones naturales adficiunt, e. g. ſingultus, vomitus, colica, obſtipatio, aut therapiae (CCCCIV. CCCCXVI.) expoſitae cedunt, aut vt mere ſymptomatici aliorum morborum chirurgia ſuis locis exponenda ſanantur, aut therapia interna ad chirurgiam

ſtricte

ſtricte haud pertinente debellantur; inde haud ſpecialem pertractionem hic admittunt. Miſſis inde ſpasmis progredimur ad febres, quae tertium morborum ab irritamento proficiſcentium ordinem conſtituunt.

## ORDO III.

## F E B R I S.

---

### CCCCXL.

Ad morbos ex irritamento oriundos auxiliisque chirurgicis maxime debellandos porro *Febris* referri poteſt. Innumeris autem hujus generibus et ſpeciebus quoad formam, vehementiam, greſſum, indolem, durationem, euentum tanta intercedit *diverſitas*, vt nullus alius morbus definitu ſit difficilior et vix niſi ſignis febris characteriſticis determinari poſſit. Satis apte tamen *dicetur* exaltata a ſtimulo praegreſſo cordis ac vaſorum irritabilitas, in vires vitales agens. Symptomata eſſentialia omnis febris ſunt

*a*) permanens motus ſanguinis pulſusque concitatio.

*b*) caloris animalis ad thermometrum indagati augmentum.

*c*) de-

*c*) debilitas omnis motus voluntarii.

*d*) ſecretionum mutata ratio.

Cujus *cauſſa* proxima certe eſt irritatio cordis; at ipſe ſtimulus irritans vix vmquam directe, ſed mediante ſyſtemate ſenſorio, in ſanguiferum agere videtur. Vnde patet doloris, ſpasmi, inflammationis cauſſas remotas etiam febrem producere poſſe. Haec etiam dolori ſpasmoque haud infrequenter, inflammationi ſemper fere ſuperuenit conſenſualis dicta, quid? quod vix vlla datur febris idiopathica, quae vnum alterumue adfinium illorum adfectuum ſecum non vehat, ſicut etiam varia mala ad morboſam laxitatem, rigiditatem, impeditum tranſitum, ſolutionem continui cet. referenda, indidem profluere ſolent.

CCCCXLI. Febrium *curatio* medicis ſtricte ſic dictis relinqui ſolet, qui multam quidem medicamentorum internorum vim adhibent, raro tamen multum proficientes, niſi ſimul in vſum vocantur remedia chirurgica, nulli fere indicationi non reſpondentia. Sic ſpasmus periphericus, balneo, pediluuio alioue fotu tepido ſoluitur; orgasmus, ſanginis miſſione infringitur, eademque humores verſus caput rapti reuocantur, deriuantur, reuelluntur; inflammationes partium mox dicendis remediis debellantur, vis neruea torpens irritantibus, veſicantibus excitatur;

tur; aluus obſtructa clysmatibus aperitur, fauces aphtis obſeſſae injectione liberantur; naturae metaſtaſin molienti ſuccurritur et alia bene multa.

## ORDO IV.

## INFLAMMATIO EIVSQVE MEDELA IN VNIVERSUM.

---

### CCCCXLII.

Inflammatio ſ. Phlogoſis in vniuerſum *eſt* virium vitalium ab incitamento quodam (CCXXI.) morboſa excitatio in ſyſtema vaſculoſum, ſanguinem et calorem animalem agens. Hic ſtatus *vniuerſalis* vel *localis* eſſe poteſt.

a) *Inflammatio vniuerſalis*, *diatheſis inflammatoria*, *febris inflammatoria ſimplex adeſt*, quoties auctus cordis atque vaſorum motus, aucta vis muſcularis et ſenſilitas, auctus animalis calor, aucta denique lymphae diſpoſitio ad coagulationem et organiſationem adeſt.

b) *Inflammatio localis* plurimorum morborum, qui curationem externam admittunt, atque operationum chirurgicarum effectus, cauſſa aut comes, in vniuer-

uerſum ille ſtatus praeternaturalis *dicitur*, quoties pars organica, dolore fixo continuo, tumore, rubore, calore adficitur, functione ſua ſimul laeſa et febri, conſenſuali dicta, in reliquo corpore excitata. Vnde eam affectionem magis compoſitam eſſe, quam dolorem ac ſpasmum, in promtu eſt.

CCCCXLIII. Communia illa ſymptomata (CCCCXLII.) eo conſtantiora et notabiliora inveniuntur, quo verioris nominis eſt inflammatio. Haec enim vel *genuina* acuta eſt, Plegmone dicta, vel *aequiuoca*, vti Eryſipelas et Rheumatismus, vel denique *ſpuria*, quoad tempus durationis, ſymptomatum grauitatem, morbi indolem, ac febrem notabiliter recedens; ſingula ſeparatim exponere, quam generali pertractatione diuerſa confundere praeſtat. Haec inflammationum diverſitas tamen ad maximam partem pendet

*a*) de diverſarum partium ſtructura ac indole. In cute, cellulоſa, in membranis ſeroſis et mucoſis *acuta*, in oſſibus, cartilaginibus, textu fibroſo, *lenta*, *chronica* eſſe ſolet *inflammatio*.

*b*) de incitamentis, quibus vitalitas excitatur, indole, conſtantia, duratione ac rela-

relatione denique ad partem affectam (CCCXXVI). Idem enim ſtimulus inter varias corporis partes, nonnullas graviter afficit, alias e contra vicinas, quin immo contiguas plane incolumes ſinit. Neque omnibus ſubjectis idem ſenſilitatis ac irritabilitatis gradus.

INFLAM-

## INFLAMMATIO GENVINA S. PHLEGMONE.

### CCCCXLIV.

Phlegmone ceu veriſſimum inflammationis genus (CCCCXLIII.) *cognoſcitur* dolore partis adfectae vehementiore, fixo, continuo; tumore expanſo, *circumſcripto*, ſplendente, duro, elaſtico; rubore profundiore; pulſatione ſenſibiliore, arteriarum in reliquo corpore micationi reſpondente; calore animali aucto, primo quidem in parte adfecta, deinde in reliquo corpore; functione laeſa; febri conſenſuali forti, continuae acutae typum prae ſe ferente, pulſu duro plerumque comitata.

CCCCXLV. Recenſita tamen Phlegmones *ſigna* (CCCCXLIV.) non adeo perpetua ſunt, quin partes adfectae ſitus, ſtructura et reliquae proprietates, turbae denique ex laeſa ejus functione oriundae nonnulla *occultare*, alia mutare *valeant*. Sic in viſceribus aliisue partibus reconditis inflammatis neque tumor neque rubor, neque pulſatio immediatam oculi digitiue explorationem admittit, tametſi et analogia ac ſectiones defunctorum de iis dubitare vetent, et varia phaenomena ex iisdem

dem repetenda; febris inflammatoria, dolor fixus, functio laesa ac denique sanguinis missi indoles hanc satis confirment. In nonnullis organis, multum sanguinem transmittentibus, ob textum laxiorem vel neruis minus praeditum, inflammatio anxietatem potius, quam acutum dolorem, creat, neque pulsui duritiem inducit; qui tanto debilior esse solet, quanto magis phlegmone intercipit liberum sanguinis circulum. Dantur verae phlogoses, propter occultam sedem minoremque ejus dignitatem vix cognoscendae, antequam suppurauerint. Quo sensilior autem, atque hinc stimuli impatientior pars adfecta, saepe adficitur sensorium commune, ita, vt non raro plane exhaustum, vel saltem oppressum videatur, vnde pulsus exilis febrisque cum variis symptomatibus, quae incautis ab inflammatione alienissima videntur, sociata.

CCCCXLVI. Inflammationis cujuscunque *principium* ex *irritamento* et excitata inde vi vitali profluere videtur. Inde

*a*) *nerui* adficiuntur;

*b*) *adfluxus humorum* augetur,

*c*) *major caloris* animalis *gradus* excitatur

*d*) *vasorum ambitus* eorumque irritabilitas *augetur* in parte adfecta,

*e*) *sanguinis consistentia* mutatur,

*f*) *cor* denique in consensum trahitur.

Haec theoria minoribus premi videtur diffi-

difficultatibus, facilioremque et probabiliorem explicationem omnium inflammationis phaenomenorum suppeditat, quam illa, quae vel obstructioni, vel extrauasationi, vel spasmo vasa arctanti innititur; negandum tamen haud est, obscuriorem hanc doctrinam difficilius hucusque explicari.

CCCCXLVII. Neruorum a stimulo inflammatorio adfectio duplex esse videtur; et

*a*) primo quidem irritatio, neruorum ope, ad sensorium commune promouetur, inde *dolor*, omnis genuinae inflammationis perpetuus *comes*, diuersus tamen pro stimuli gradu ac indole, et pro sensilitate aegroti partisque adfectae; inde interdum sensus pruritus, interdum intolerabilis acutissimus dolor aut anxietas (CCCXXXIX.) adest, aut inter haec duo extrema consistit.

*b*) deinde a sensorii communis, neruorum ope, reactione in partem irritatam, *aucta vis vitalis* excitatur, primo in parte adfecta, inde auctus humorum adfluxus, auctus calor, tumor, rubor, cet.; deinde in reliquo corpore, vnde febris consensualis.

Nulla inde Phlogoſis absque vitalitate, quo ſenſilior pars, quo impatientior ſtimulus, eo certior grauiorque Phlogoſis.

CCCCXLVIII. Vbicunque ab incitamento generali quodam vis vitalis in toto corpore excitatur, *orgasmus* ſanguinis adeſt. Vbicunque a locali ſtimulo vis vitalis in ſingula parte excitatur, *ſanguis majori copia verſus partem adfectam ducitur;* docent hoc non tantum partium ſtimulo adfectarum tumor, rubor, tenſio, ſed etiam ponderis augmentum in partibus prominentibus non dubium; docent diſtincta congeſtionis ſanguineae ſigna a ſtimulo certorum animi pathematum, frictionis, lucis, ignis, gelu, aliusue irritamenti e. g. oculum vexantis effectus; haemorrhagia ab adplicato, vulneri ſeu vlceri, vellicante, neque tamen cauſtico oriunda; erectio penis, ex aucto arteriolarum hiatu facile deducenda et alia bene multa.

CCCCIL. Caloris animalis fixi ſolutionem, non ex ſingulis fontibus v. c. reſpiratione, digeſtione, ortum ducere, ſed in omni corporis animalis puncto adeſſe, vbi vis vitalis viget, circulatio ſanguinis ſubſiſtit, cruor de arteriis in venas tranſit, decompoſitio et reproductio partium, mutatio partium fluidarum in ſubſtantiam ſolidiorem, ſolidarum in ſubſtantiam fluidam; virium vitalium adminiculo ſubſiſtit, alibi ex-

po-

posuimus; probauimus quoque calorem animalem; pro varia virium vitalium energia augeri, minui, supprimi, mutari, in singula quadem parte accumulari vel plane exstingui posse. Sufficit hic notasse, *calorem fixum* animalem, vbicunque vis vitalis a stimulo quodam in singula parte excitatur, *majori quantitate solui*, ita vt *auctus caloris gradus* in parte excitata ab aegroto aliisque destincte sentiatur, et certe thermometri ope indagari possit. A liberata materia ignea *fluida solidaque* maxime tamen illa *expandi* naturae leges constantes jubent. Calor sub inflammatione adauctus in partibus externis, cute praesertim, thermometro indagatus major reperitur, quam in partibus internis, inflammatis, vapore humido largiori fotis, cum contactus aëris externi, processui phlogistico, solutionem caloris fixi inducenti faueat, fotus vero mucilaginosus, gelatinosus, aqueus, materiam caloris figat, vt thermometrum haud ita facile moueat. Calorem exteriorem partis inflammatae, calorem superficiei reliqui corporis, vigente licet febri consensuali, octo et nouem gradus ad thermometrum Fahrenheitianum superasse ipsi obseruauimus.

CCCCL. *Mutationes quae vasa sanguifera, excitata a stimulo vi vitali, subeunt*, experientia teste sunt

a) *arteriarum* partis adfectae *auctum volumen.* Inducere hoc videntur, auctus ſanguinis impulſus (CCCCXLVIII.), et partium fluidarum, liberata materia ignea, expanſio (CCCXLIX.), hinc plethora ad ſpatium. Cum vero ſimul ſolidarum tonus a cohaeſione pendeat, haec autem ab affinitate congregationis, quae dimotis a ſe inuicem particulis minuitur, ſimul accedit in parte inflammata Plethora ad vires. Affluunt inde ob reſiſtentiam vaſorum minutam copioſiores humores, inſolita temperatura ſemper rarefacti, et quodammodo decompoſiti, et vaſa minora majorem globulorum copiam recipientia inde rubrum colorem acquirunt. Hancce vaſorum dilatationem, a dictis cauſis, magis paſſiuam eſſe quam actiuam, veriſimillimum videtur; nec obſtat prius arteriarum motus, nec ſtimuli in vaſa ipſa effectus.

b) vaſorum ab exaltata vi vitali *aucta irritabilitas*, quae indicatur arteriarum partis adfectae *oſcillatione* abnormi ſeu agitatione praeternaturali. Inde arteriae minores ſanguinis irruentis calidioris dilatatae atque elongatae, in ductos

ſer-

ſerpentarios flecti, et ſanguinem prementem aegre promouere videntur, non in ipſa parte adfecta ſolum, ſed in vaſis circumjectis quoque; inde pulſatio in parte inflammata. Neque tamen ideo obſtructio ſanguinisue ſtagnatio adeſt in arteriis ſic adfectis: quem certe propulſant atque transmittunt in venas reſpondentes, licet non ſatis expedite, nec integra forſan quantitate accepta.

CCCCLI. Intima cordis, neruorum ac vaſorum conſenſio talis eſt, vt haec non ſenſibili irritamento adfici poſſint, quin illud jugiter fortius micet, auctaque, pro ſtimuli gradu ac indole, velocitate circumagat ſanguinem, hinc *febris conſenſualis inflammatoria.* Inde languentem quoque motum cordis ſtimulantibus externis excitari, quin ipſum deficientem reuocari poſſe, experientia certa conſtat.

CCCCLII. *Febris inflammatoria conſenſualis* triplicis eſt generis:

*a*) aut ipſam inflammationem *antecedens*, quod inprimis in illis, quae ab *incitamento interno* exſurgunt, accidit; cujus acceſſus ſaepiſſime frigore, horrore et tremore, ſuccedente deinde calore ſicco ſociatur, et ſtimuli immediatus effectus eſſe videtur.

*b*) ipſa

b) ipſa *febris inflammatoria* phlogoſeos genuinae continua comes et ſequela, continuae acutae typum prae ſe ferens eo grauior, quo vel ad ſenſum vel ad irritationem acutior eſt aegrotus, et pars adfecta; calore ſicco, cephalalgia, ſiti, pulſu celeri et, niſi circumſtantiae (CCCCXLV.) dictae adſint, duro, vrina valde tincta juncta.

c) aut denique febris eſt *complicata*, febri bilioſa, epidemica, putrida, cruditatibus in primis viis; praeſertim in morbis chirurgicis; cum experientia teſtatur, his decumbentes, aut operationes chirurgicas perpeſſos, ad ſuſcipiendam infectionem, ſymptomata bilioſa et ad nociuos indigeſtionis effectus, ob animi forſan turbas praeſentes aut toleratas, prae ceteris habiles fieri. Noſcitur tale connubium ex ſignis cuiuis morbo propriis, febrisque, comparatae cum inflammationis gradu ac indole, notabili aberratione.

CCCCLIII. Sub genuina inflammatione *ſanguis* porro notabiles mutationes ſubit; lympha inprimis ſanguinis citius, firmius, atque majori copia coagulatur. Hujus rei praecipuum documentum eſt *cruſta inflammatoria*, albicans, tenax, diffi-

difficulter interſcindenda, ſanguinis, ſub ſtatu vere phlogiſtico e vena miſſi, inſulam obtegens, quae tamen in primo morbi ſtadio haud raro deeſt, et ex morboſa aucta maſſa, tenacitate, ac diſpoſitione ad coagulationem et organiſationem lymphae coagulabilis ortum ducere videtur. Non tamen ſemper inflammationem indicat cruſta; grauidarum etenim ſanguis ſimilem a venaeſectione ſiſtit; eadem adparet, ſi femur aut brachium ligatura conſtringatur. Sanguis quoque rheumaticorum, podagricorum, ſcorbuticorum, febri intermittente, aut catarrho laborantium ob cruſtam inflammationem mentitur, quae quoad variam energiam vaſorum cito augetur et minuitur, nullis tamen verae inflammationis ſignis praeſentibus. Eadem haec lympha coagulabilis cruſtam inflammatoriam formans, variis aliis phaenomenis in diuerſis morbis anſam praebet; in haemorrhagiis thrombum format ſanguifluxum ſiſtentem; in aneuriſmatibus ſaccorum internam ſuperficiem lamellis ſibi inuicem ſuperſtratis obducit; cordis vaſorumque majorum polypos format; mirandas amputationes non cruentas inducit; partes inflammatas pericardium cum corde, pulmones cum pleura, inteſtina cum partibus adjacentibus, ſaccum hernioſum cum partibus egreſſis conglutinat vel filamentis conjungit, vel partes in omni puncto coaleſcunt, allongatis de

vna

vna patte in alteram vaſis, nouas membranas, nouam cellulofam, noua vaſa format, polypis arteriae aſperae materiem ſubminiſtrat, in ore, naſo, faucibus, inteſtinis, veſica vrinaria, vrethra, vlceribus, transſudat, et alia bene multa. Reliquum craſſamentum tenax, firmiter cohaerens abundantiam partis fibroſae in hoc quoque monſtrat. Seroſa pars, niſi craſſamentum frequentiori venaeſectione praegreſſa valde imminutum fuerit, parca adeſt.

CCCCLIV. Quae dictos (CCCCXLII.) effectus inducere poſſunt *cauſſae*, ſunt varia irritamenta

*a*) aut externe admota:

*b*) aut intus delata vel in corpore prognata:

*c*) aut denique a ſtimulo mentali oriuntur; inde iis, quibus dolores (CCCXXXVI.) et ſpasmi (CCCXCVII.) cientur, ſatis analogi.

CCCCLV. Sic ſimpliciſſimum quodque *irritans, acre, mechanicum, chemicum;* lux, aer externus, calor, frigus, in externam corporis ſuperficiem, vias alimentares et reſpirationis agens; diſſolutiones continui variae, tenſio, compreſſio, decubitus, conſtrictio et inde impeditus humorum tranſitus, inflammationis cauſſa fieri poteſt. Neque tamen horum quidquam ideo creare valet phlogoſin, quod vaſa ſanguifera obſtruat; nam

tu-

tumores quidem, et alia mala ex tali circuli obſtaculo oriri queunt, vera autem inflammatio nunquam, niſi excitata a ſtimulo praegreſſo vis vitalis, in neruos ſyſtema vaſculoſum, calorem animalem et ſanguinem agens (CCCXLII,) ſimul adfuerit.

CCCCLVI. Multiplex porro ſolidum, fluidum, humidum, per vias aëreas, alimentares, inhalatorias, excretorias, intro receptum, vel intus praeter naturam enatum, aut retentum aut translatum, variae humorum acrimoniae, venena, morbi febriles, horumque ſolutiones imperfectae, quin imo medicationes variae ad inflammationis cauſſas, remotiores licet, referri poſſunt.

CCCCLVII. Sic denique varii animi adfectus circulum ſanguinis augentes, retardantes, congeſtiones ad ſingulas partes inducentes, anſam exaltatae vi vitali et inflammationi dare poſſunt.

CCCCLVIII. Non omnes vero ſtimuli dictum effectum in neruos (CCCCXLVII.), vaſa ſanguifera (CCCCXLVIII.), cor (CCCCXLV.), atque calorem animalem (CCCCXLIX.) edunt; alii dolores acutiſſimos, alii conuulſiones ſaeviſſimas, alii inflammationes mixtas, ſpurias inducere poſſunt, absque ſenſorii communis reactione in partem adfectam, absque virium vitalium in parte excitata morboſa axaltatione, absque cordis et arteriarum con-

conſenſu, febri aut genuina inflammatione. Nec varii corporis humani nerui eodem ſtimulo adficiuntur, (CCCXXVI.) alius eſt ſtimulus oculorum, cordis, ventriculi cet. id quod monſtrat, ſtimulum inflammatorium peculiarem ad indolem partium, ſenſorium commune, et cordis neruos relationem habere debere, vnde reactio et morboſe excitata vis vitalis inducitur. Neque omnibus hominibus eadem mobilitatis virium vitalium eſt temperatura, vt omnem ſtimulum praegreſſum idem effectus in omnibus ſequatur.

CCCCLIX. Non ſemper in ipſo loco excitamentum paſſo contingit inflammatio; ſolo nonnunquam conſenſu inducitur morbus, e. g. ab acrimonia neruum remotioris partis irritante; *migrationes* porro materiae morbificae virulentiae ſua ſigna in omnibus, per quae proxime tranſit vaſis, tum in aliis, quorum cum iisdem conſenſus eſt, clare edunt.

CCCCLX. Varia dicta inflammationis genuinae ſymptomata et effectus expoſiti, ab exaltata morboſe vi vitali commode explicari poſſe nobis videntur. Notandum tamen

*a*) in vniuerſum quidem ablato ſtimulo inflammationem ſolui; accidit tamen, vt inflammationis ſymptomata vltra ſtimuli praeſentiam ſubſiſtere poſſint, quod auctae mobilitati neruoſae peculiari ad

ſen-

ſenſum motumque adſcribendum eſſe videtur. Videmus hoc in plurimis morbis ab excitamento; exaltatam morboſe ſemel vim vitalem, diu ablata licet cauſa nocente, diu ſubſiſtere, quin lethalem euadere poſſe.

*b*) ſubſiſtente licet ſtimulo ſparſim inflammationem ſolui; quod ſtimulo leuiori, in ſubjectis ad ſenſum motumue minus mobilibus, haud infrequenter accidit, vti v. c. corporibus alienis in corpore remanentibus. Conſuetudinis imperio, quod in corpore animali large patet, hic aliquid dandum eſſe videtur.

CCCCLXI. Verioris inflammationis *ſedes* praeter neruorum irritationem (CCCXXXI.) duplex eſt.

*a*) *primariam* ſiſtunt arteriolae vel quoque venulae forſan majorem globulorum copiam recipientes, quae inde rubrum colorem acquirunt.

*b*) ſecundaria eſt tela celluloſa, vtpote ſanguinem vel per ampliata oſtia vel per diductos parietes vaſorum irritatorum elabentem excipiens.

Grauior phlegmone in vtraque habitare ſolet: facile inde explicatur purpurea partis adfectae ſuffuſio, tumor renitens, pulſatio, dolor.

CCCCLXII.

CCCCLXII. Genuinae inflammationis *effectus* vberiores, ſequentes praecipue obſeruantur: aucto calore, aucta irritabilitate, aucto ambitu vaſorum partis inflammatae, et aucto inde adfluxu ſanguinis varia colatoria magis patula fiunt, craſſiorique cuique fluido, lymphae forſan coagulabili praecipue, tranſitum concedunt; inde effluxus mucoſus in nonnullis inflammationibus, et cruſta purulenta partes internas inflammatas ſaepe obtegens; in majori gradu, inflammationis colatoria quidem a tumore aucto, et aperturae naturales, canales et receptacula a ſpasmodica muſculorum adfectorum contractura comprimi posſunt; aucto vero morbo rubri cruoris globuli externe quoque extra ſua vaſa vagantur, nunc celluloſam telam turgidam, nunc profluuia ſanguinolenta reddentes, vti in catarrho, coryza, ophthalmia, gonorrhoea obſeruare licet. Simili loci errore ductus latex ſeroſus aut ſanguinolentus in maximo inflammationis gradu ex cute vellicata prodit, epidermidemque in bullas eleuat.

CCCCLXIII. Verae inflammationis *terminationes* ſequentes ſunt:

*a*) aut ſanationem admittit, ſola *reſolutione* praeſtandam, ſymptomatibus lente euaneſcentibus. In partibus mollioris texturae, vapore humido largiore fotis, vel ſecretione vaporoſa, praeſertim mucoſa, ma-

materiam caloris abundantiorem ſigentibus, reſolutio ſaepe ſuccedit *transſudatione* purulenta, haud tamen puris genuini, ſed muco, gelatina, lympha coagulabili inuoluti, vti in ophthalmiis, eryſipelate, inflammatione linguae, faucium, tunicae Schneiderianae, tracheae et bronchiorum, veſicae vrinariae, vrethrae, et omnibus inflammationibus internis, in quibus tamen talis transſudationes purulentae merito ſuſpectae habentur.

*b*) aut in alium morbum tranſit; pars adfecta nimirum vel abſcedit, vel in inflammationem mixtam ſ. ſpuriam abit, vel lente induratur, vix vnquam tamen in verum ſcirrhum mutatur, vel denique gangraenam ſubit: praeterea membranae inflammatione incraſſantur, pellucidae, opacae euadunt, variae partes contiguae praegreſſa inflammatione coaleſcunt.

*c*) aut denique lethalis euadit, partes nobiliores, pulmones praeſertim inuadendo, circulationem obruendo, ſecretiones et excretiones intercipiendo; ſi in cauo majori denique minus limitatur materia purulenta transſudata, pro copia

pia et conſiſtentia varia mox extrauaſatum largius, fluidius, fundum caui implet, ſaepiſſime febri hectica vel noua inflammatione lethale.,

Ab excitamento interno prognatas inflammationes interdum locum mutare, et de primo loco adfecto ad alium internum et externum migrare poſſe, experientia conſtat; id quod mixtis, rheumaticis praecipue, inflammationibus frequentius accidit.

CCCCLXIV. Inflammationis *prognoſis* de gradu ac indole morbi, aetate, viribus ac conſtitutione aegroti, dignitate partis adfectae, ratione cauſſae ac difficultate eam auferendi ſ. minuendi pendet.

*a*) *poſſibilitatem reſolutionis* indicat inflammationis indoles reſolutionem admittens; febris ad gradum morbi et partem adfectam debita relatio, morbi haud vltra ſeptimum diem protractio, poſſibilitas cauſſam morbi aut tollendi aut ſaltem minuendi.

*b*) *futuram reſolutionem* monſtrant remiſſio ſymptomatum, febris, doloris pulſantis atque tumoris, leuis cutis inflammatae ſiccitas et corrugatio, perſpiratio rite ſuccedens, mador cutis ac ſaepiſſime vrina cum ſedimento rubello et aequali.

*c*) *ſup-*

c) *ſuppurationem ſecuturam* indicant, pulſus mollior, horrores intercurrentes, pulſationis in parte adfecta augmentum, febris conſenſualis imminutio vel ſaltem immutatio, in phlegmone vltra ſeptimum diem vigente, vna cum aliis naſcentis apoſtematis ſignis ſuo loco exponendis.

d) *morbi lethalitatem* praeſagiunt ejus grauitas, vires aegroti fractae, pulſus exilis, paruus, tremulus, morbi ad nobiliores partes, pulmones praecipue, grauior progreſſus, ſigna gangraenae imminentis, vel praeſentis, ejus propagatio remediis haud coercenda; vberius alio loco pertractanda.

CCCCLXV. *Curatio inflammationis* ſola reſolutione praeſtanda in vniuerſum efficitur

a) *tollendo, minuendo, cauſſam excitantem*, externam, internam, et ſi hoc fieri nequit,

b) minuendo vel *ſupprimendo exaltatam* morboſo *vim vitalem* et tollendo effectus ejus, malum ſuſtentantes.

CCCCLXVI. In omni inflammatione in vniuerſum quidem reſolutio indicatur, dantur tamen caſus, in quibus tentamen reſolutionis nociuum habere poteſt effectum, vti in quibusdam in-

inflammationibus criticis, in illis vbi vulnera ſimul adſunt haud absque ſuppuratione ſananda, in tumoribus inflammatoriis, qui natura ſua ſunt irreſolubiles, et denique vbi ſuppuratio haud amplius auertenda eſt.

CCCCLXVII. Stimuli *externi* (CCCCXLV.) ſublatio genio ejus accommodata requirit, corporis alieni, oſſis fracti, luxati, ſtricturae, irritamenti qualiscunque externi remotionem et medelam tempeſtiuam; cujus ratio partim ex (CCCXLIII.) dictis patet, partim in aliorum morborum chirurgia eluceſcet. In nonnullis morbis remotio ſtimuli certorum ſpecificorum externe adplicatorum virtute efficitur.

CCCCLXVIII. Stimuli *interni* ſcrupuloſiſſime examine indagandi remotio ſ. mitigatio, vnde febris conſenſualis ſimul infringitur, haud raro requiret primarum viarum a ſordibus morbum aucturis tempeſtiuam liberationem, leni emetico, laxanti, clysmate praeſtandam; in inflammationibus a violentia externa, animi turbae aegroti exhilaratione atque conſolatione prudenti ſedentur, ac leni quantum res permittit tractatione mitigentur, nec opii prudens vſus ad minuendam ſenſilitatem negligatur, Miasmata varia, ſyphillis, ſcorbutus, cancer, cetera, raro acutam phlogoſin, vt plurimum mixtam chronicam efficientia, propria antidota poſcunt, hoc modo mer-

mercurius e. g. phlogofeos venereae cauffam debellat. Diaeta tenuis, aquofa, refrigerans, acidula, vegetabilis, mucilaginofa, tepida, aer frigidiufculus, camphora, nitrum, fal ammoniacum, mel, ad compefcendum ftimulum multum faciunt. Enim vero cum vnicuique irritamento inflammatorio interno fuum antidotum nondum fit inuentum, in vniuerfum ad fanguinis miffionem variaque auxilia, loco adfecto admouenda, recurrit chirurgia, quibus non folum cauffa, fed etiam effectus irritationis, ex parte faltem tolluntur.

CCCCLXIX. Caufa excitans fi auferri nequit, vel haud amplius fubfiftat, in eo verfatur altera indicatio inflammationis curatiua, vt *excitata morbofe vis vitalis*, ejusque effectus (CCCXLVI.) *infringatur*, diminuatur, auferatur. Quo facto aucta irritabilitas dolorque remittit, abnormes arteriolarum ofcillationes moderantur, calor animalis figitur et deprimitur, fanguis accumulatus paullatim diffipatur, et quod in tela cellulofa diffufum eft fero dilutum, vaforum lymphaticorum ope reuehitur.

Quod tentatur

*a*) fanguinem in parte inflammata accumulatum, vel majori velocitate motum (CCCCXLVIII.) euacuando, deriuando, reuellendo, attenuando ejusque difpo-

ſitionem ad coagulationem et organiſationem minuendo,

*b*) impreſſionem neruorum morboſam (CCCCXLVII.) ſedando,

*c*) nimium calorem animalem ſolutum (CCCCXLIX.) figendo, ſeu conductoribus idoneis eliminando,

*d*) vaſis dilatatis robur reddendo,

*e*) febrem conſenſualem et orgasmum generalem (CCCCLII.) infringendo.

CCCCLXX. Quantum diuerſae *euacuationes ſanguinis* hoc ſcopo (CCCCLXIV.) inſtitutae juvent, facile liquet ex effectibus venaeſectionis arteriotomiae, ſcarificationis, hirudinumque antea expoſitis, cum morbi cauſſa, ſymptomatibus et curatione comparatis.

*a*) *Nunquam omitti* debet ſanguinis miſſio pro ſymptomatum grauitate reiteranda, quoties genuina phlegmone in aegroto, haud viribus ſ. aetate exhauſto, vegeto, plethorico, forti occurrit; et cauſſa morbi cito auferri nequit; tum etiam quoties morbi vehementia ac partis adfectae dignitas, ſuppurationis ſtrenuam auerſionem requirit. In morbi initio ad minuendam atque attenuendam maſſam ſanguinis, vt infringatur energia gene-

generalis virium vitalium, venaesectiones euacuatoriae (CLIV.) maxime prosunt; in vlteriore morbi decursu deinde locales sanguinis missiones (CCXXI sequ.) probe locum adfectum magis conducunt. Repetitiones autem hujus euacuationis a symptomatum vehementia, pulsu duro forteque permanentibus, viribus aegroti, corporis habitu morbique indole simul eam exinanitionem ferentibus, minus tuto autem a crusta inflammatoria (CCCCLIII.) indicantur. In grauiore denique phlegmone, quae extremum corpus occupat, et reliquis hujusmodi auxiliis non cedit, profundiores et largiores scarificationes, vbi loci opportunitas has fieri finit, egregie conducere, compertum est. In vniuersum in inflammationum therapia venaesectiones eo efficaciores sunt, quo maturius instituuntur, quo velocius sanguis e majori vulnere effluit, quo citius pro re nata reiteratur.

b) *circumspectam* sanguinis missionem requirit morbi mixtus genius, ad mutationem loci procliuis, vires aegroti fractae, priora morbi stadia jam prae-

 ter-

terlapſa, ac ſuppuratio denique haud amplius auertenda.

c) *excludunt* ſanguinis miſſionem vires exhauſtae, morbo aut ſenectute fractae; vel ſtimulus alia therapia plenariam ablationem admittens.

CCCCLXXI. In omnibus morbis in vniuerſum, vbi dolor acutus, morbi comes, turbas varias excitans, ſanationem impedit, diuinum illud hominibus largitus eſt remedium ſummus Creator, *opium* puta, cujus vſus tam externus quam internus in inflammationibus variis, praecipue a violentia externa exortis, haud ſtimulo mechanico ſuſtentatis eximium auxilium praeſtat. Notandum tamen: euacuationes ſanguineas (CCCCLXX.) ſemper huic remedio praemittendas eſſe; in priori morbi ſtadio maxime hoc conducere; nec nimis parca doſi denique adhibendum eſſe, cum refracta doſi adſumptum ſaepe vim excitantem magis quam ſedantem edat. Ad propria, aliorumque repetita experimenta praemiſſis venaeſectionibus et laxantibus, bolus ex Calomellis gr. I. ad 5. et opio, de quarto grani parte ad integrum granum commixtis bis vel ter per diem porrectus mira efficacia inflammationes in-et externas genuinas ſedauit.

CCCCLXXII.

CCCCLXXII. *Caloris animalis* in parte inflammata morbofa ac nociua *accumulatio* (CCCCXLIX.) remedia *pofcit* topica, conductores nempe promtiffimos, vnde excedens calor, per folitos conductores haud eliminandus educitur, eaque quae arcendo aërem externum materiam caloris figere videntur. Quod fit

*a*) remediis *frigidis*,

*b*) —— *tepidis*, et

*c*) cita denique *euaporatione*.

CCCCLXXIII. *Embrocationes frigidae* (C.) parti inflammatae admotae, et faepius commutandae, egregium haud raro in curanda inflammatione praebent effectum; quod in vberiori morborum localium pertractatione patebit. Notandum tamen hic, hanc medendi rationem maxime conducere, in incipiente inflammatione, a violentia externa, ftimulo haud amplius fubfiftente, in illis inflammationibus e contrario, a ftimulo interno exortis, excitamento adhuc fubfiftente, vel in eis, quae locum facile mutare folent, rheumaticis, metaftaticis, criticis, haud noxae fufpicionem effugere frigidorum vfum. Attentus porro fit chirurgus ad effectum embrochae frigidae in partes inflammatas; dolor, tumor, rubor, febris, fi breui a remedio frigido minuantur, hujus vfus, pro re nata continuatus omnino indicatus erit; fi augeantur, ab hoc re-

medio

medio desistendum esse, prudentia jubet. Dantur praeterea singuli adeo sensiles, vt admotam frigidam, quin frigidiusculam haud impune ferant.

CCCCLXXIV. Refugiendum sub hoc statu erit, ad conductores caloris animalis mitiores, *remedia* nempe *tepida*, aquosa, mucilaginosa, sub forma fomenti vel cataplasmatis tenuis admouenda inflammatae parti, modo calorem humani corporis naturalem h. e. nonaginta sex gradus thermometri Fahrenheitiani haud aequent. Agunt vero remedia tepida localia, ad minuendum calorem in singula parte accumulatum, primo, inducendo auctam transpirationem partis adfectae, cum constanti experientia teste aucta transpiratio ac sudor, vtpote conductor praestantissimus, mire calorem nimium animalem minuat; deinde, materiam caloris remediis mucilaginosis, vnguinosis arcendo simul contactum aëris athmosphaerici, figi, ex legibus physicis constat.

CCCCLXXV. Conductor exaltati nimis caloris animalis in singula parte promptissimus, omnibus aliis palmam praeripiens est, euaporatio cita fluidi cujusdam volatilis, parti adfectae sedulo admoti, inter quae spirituosa rectificata ac Naphtam nominasse sufficiat, quorum subita euaporatio insignem vim refrigerantem edit; inde in-

inſtillatio Naphtae in herniam incarceratam inflammatam, et illinitio Naphtae in palpebras oculi inflammati, vel illius ante oculum ex linteo cita ac repetita euaporatio promtiſſimum effectum praeſtiterunt. Quid? quod remedia feruida, ad ipſam cutis veſicationem admota in inflammatione profunda proficua viſa ſunt, ad materiam caloris verſus exteriora deriuandam et ſecretione vaporoſa eliminandam.

CCCCLXXVI. Praeter allata remedia antiphlogiſtica, porro indicationibus (CCCCLXIX.) dictis egregie ſatisfaciunt

*a*) reſoluentia ſic dicta diſcutientia externa,

*b*) adſtringentia tonica,

*c*) veſicantia, et denique

*d*) electricitas.

CCCCLXXVII. *Reſoluentia externa* quod attinet, primum in hac claſſe locum vſus conſecrauit camphorae, cujus halitus ſpecifica quaſi virtute euaporationi forſan tribuenda ad compeſcendum ſtimulum inflammatorium agere videtur. Salis ammoniaci paucillum porro, ſale alcalino commixtum, ejusque vapor volatilis prudenter exceptus inſignes ſaepe vires diſcutientes monſtrat; mitiora diſcutientia vegetabilia ſunt abſinthium, arnica, bryonia, cuminum, hyſſopus, baccae juniperi, lauendula, laurus, meliſſa, mentha,

mentha, majorana, rosmarinus, ruta, sambucus, scordium et alia siue irritationem compescentia, siue vasis expansis roboris aliquid reddentia, quae satis idoneam suppeditant materiem, variorum *epithematum fluidorum*, ex eorum decoctis vel infusis aquosis, vinosis, quas partes inflammatae interdum tamen haud ferunt, vel *siccorum.* Notandum tamen omnia haec, nouo aliquali stimulo ad partem inflammatam agere ac partim ob auctam transpirationem conducere. Inde non nisi in principio morbi maxime conducunt. Sed in morbo resolutionem haud admittente, absque vlla vtilitatis specie adhibentur.

CCCCLXXVIII. Inter remedia externa *adstringentia*, *tonica*, *antiphlogistica*, omnibus palmam praeripit frigida aqua (C.) saepius admota, porro aqua vulneraria Thediana, acetum, vinum, spirituosa varia, alumen, china, cortex quercus, radix tormentillae, etiam decocta s. infusa, saturnina sub forma embrochae parti inflammatae admota, vasa coarctando juuare possunt, neque infrequenter pulcros praestant effectus, quoties nimirum inflammatio potius nimiae vasorum sensilitati vel debilitati quam vehementi pertinaciue stimulo est tribuenda. Promiscuus tamen horum vsus minus tutus merito censetur, cum irritamentum saepe repellant, aut in parte inflammata indurationem relinquant.

Prae-

Praegreſſa ſanguinis miſſione maxime proſunt haec remedia praecipue in phlogoſi a violentia externa exorta.

CCCCLXXIX. Remedia *relaxantia*, emollientia, aquoſa, mucilaginoſa, vnguinoſa, tepida ante indicata ſub forma fomenti ſ. cataplasmatis parti inflammatae admouenda, ſtatim ab initio adhibenda ſunt in omni phlogoſi, quae nullam reſolutionem aut ob inflammationis indolem aut progreſſum morbi admittat. Haud vero omnem noxae ſuſpicionem effugiunt haec remedia in primo alius inflammationis ſtadio adplicata, quippe quae dilatationem vaſorum augent, horumque robur adeo frangunt, vt praeſens malum reſolutionem vix admittat, vel vtcunque ſuperatum facile deinde recurrat. Indicantur omnino emollientia, ſi ſuppuratio vel promouenda vel haud amplius auertenda eſt, ad locum vbi puris collectio exſpectatur, in reliqua vero parte reſoluentium vſus continuandus eſt.

CCCCLXXX. In vera inflammatione *veſicatoria* non adhibeantur, ſi aeger robuſtus, plethoricus, valde ſenſilis, febris fortis, ac grauis morbus fuerit, niſi praemiſſis in anteceſſum ſanguinis miſſione ac primarum viarum laxante leni conuenienti expurgatione. His obſeruatis maximo-

mopere ſaepe proſunt veſicantia, majora praeſertim, prope phlogoſeos ſedem cuti admota, vtpote irritamentum artificiale (CCXXXVII.) creantia, quo humores a loco adfecto reuocantur, hujusque ſenſatio dolorifica inflammationem alens, infringitur. Saepe tranſpiratio quoque a veſicatorio augetur, quae praeterea caloris principium ſtimulo ſuo elicendo, et ſecretione vaporoſa figendo agere videntur. Mitiorem vim deriuantem reuellentem exhibent maniluuia, pediluuia.

CCCCLXXXI. In inflammatione denique electricitas vtiliter adhibetur; etenim ſi electricitatis medicae primus ſ. ſecundus gradus ſub cautelis (CCXCIV.) dictis, ad partem inflammatam, morbo haud ſtimulo mechanico ſuſtentato, admovetur, dolorem inde minui, ſymptomata leuari et niſi inde reſoluatur plane morbus, aliis dictis remediis facilius tamen cedere, certa ac multiplici experientia comprobatum eſt; quin ipſum abſceſſum incipientem electricitate reſolutum eſſe, ipſi obſeruauimus.

CCCCLXXXII. Diuerſorum horum remediorum, delectus, opportunitas, continuatio, reſtrictio, combinatio, conſummatam certe chirurgi experientiam requirit, et ſcrupuloſiſſimam attentionem, ad indolem ſtimuli, gradum exci-

tatae

tatae vis vitalis, habitum corporis aegroti, ejus vires, ſymptomatumque rationem. Vix enim dantur regulae ita generales, quae non in ſingulis indiuiduis ſparſim exceptiones admittuut.

CCCCLXXXIII. His remediis pro re nata adhibitis morbus optata reſolutione ſanabitur, quod ex (CCCCLX.) dictis praeuidetur. Morbo ſuperato roborantia ſaepe tam interna, quam externa conducunt, ad debilitatis effectus poſt grauem inflammationem ſecuturos, auertendos.

CCCCLXXXIV. Reſolutione haud ſuccedente, cauſſa morbi permanente, auctis phlogoſeos ſymptomatibus, dolore preſertim pulſante, morbus vel in ſuppurationem *abit* vel gangraenam; in priori caſu mox a reſoluentium vſu abſtinendum erit, in poſteriori ad methodum refugiatur alio loco exponendam.

CCCCLXXXV. Adeſt *ſuppuratio* quoties in parte inflammationem paſſa, ſub dictis (CCCCLXXXIV.) mutationibus liquidum variae indolis elaboratur, quod in vniuerſum pus dici ſolet

*a*) aut *laudabile*, blandum albicans, aqua grauius, craſſum inſtar pultis mollioris.

b) aut

*b*) aut *illaudabile* aquoſum, tenue, ſanguinolentum, gryſeum, nigricans, acre, complicationem indicans ſuo loco exponendam.

CCCCLXXXVI. Ad puris formationem in loco inflammato *conſpirare* videntur

*a*) *transſudatio* ſ. effuſio lymphae coagulabilis et ſeri ex ampliatis oſtiis vel deductis ruptisue parietibus vaſorum:

*b*) partium ſolidarum ſequens *colliquatio.*

*c*) varii humoris ex diuerſis vaſis, receptaculis diſſolutis *admiſtio.*

*d*) *calor*, pulſatio, ſolita vaſorum actio, aucta potiſſimum agitatio, qualem febris conſenſualis inflammatoria ciet:

*e*) quibus forſan *motus* internus, fermentatorio quodammodo ſimilis, adnumerari poteſt:

Ipſe cruor quidem dictas erroneas vias legere poteſt, vti grumi ſanguinis ex apoſtemate majore prodeuntes docent; rariſſime tamen, ſi vnquam, contingit ſinceri cruoris in genuinum pus transmutatio, neque vnquam genuinum pus formatur niſi ſub excitata vi vitali et ſanguinis Diatheſi inflammatoria.

CCCCLXXXVII. Suppuratio ſic nata, omiſſa methodo antiphlogiſtica, quam primum hanc reſo-

ſoluendae inflammationi imparem eſſe adparet, promovenda eſt emollientibus aut ſimpliciter relaxantibus, (CXXVI.) aut ſi lentius ſuccedat ſuppuratio, acrioribus leniter ſtimulantibus, qualia ſunt cepae, allium, fermentum panis, ſinapi, gummata varia aut ſub forma cataplasmatis haud grauantis ſaepius mutandi, aut emplaſtri admotis; locum denique tectum reliquendo, donec inflammatum omne vel ſaltim maximam partem in pus mutatum fuerit, qui ſtatus tunc abſceſſus ſalutatur.

CCCCLXXXVIII. Praegreſſis inflammationis genuinae (CCCCXLIV.) ac ſuppurationis (CCCCLXXXV.) ſignis, noſcitur

a) *abſceſſus ſuperficialis* tumore pallido, minus intenſe rubro, in medio molli, fluctuante, eleuato.

b) *profundior*, doloris pulſantis acuti in gravantem ſimul obtuſum mutatione, fluctuatione obtuſa, non niſi excercitati attentiſſimique chirurgi pulpae obuia, at ſi

c) *profundiſſime* ſub expanſione aponeurotica praecipue deliteſcat pus, nullo tactu percipiendum, cujus defectum tunc ſupplere ſolet oedema, ſub ipſo puris ſede incipiens, deinde magis exten-

tenſum, juncta ſimul febri lenta, debilitate aegroti, ſudore nocturno, vrina parca, marcore corporis. Oedema abſceſſus profundiores obtegens, ab euaporatione calore inſolito aucta, oriri videtur, neque tamen hoc oedema omnino genuinum praedicari poteſt, vtpote calens et elaſticitate quadam renitens, ſcilicet ob vapores non plane decompoſitos, ſed calore continuo quodammodo ſuſtentatos.

*d*) *internus* deniqne *abſceſſus* noſcitur praeterea ex praeuiis ſpecialibus inflammati cujusdam viſceris ſymptomatibus, mutata vt ſupra diximus febris indole, aegroti ſub febri lenta emaciatione, ſubſiſtente functione laeſa:

quae omnia in abſceſſuum chirurgia vberius explicabuntur.

CCCCLXXXIX. Inflammationes genuinae variarum partium, cutis, celluloſae, viſcerum, glandularum, niſi tempeſtiue reſoluantur, nec in ſuppurationem abeant, aut in inflammationem chronicam mutentur aut lente indurentur, tumores frigidos creabunt infra dicendos.

CCCCXC. Inflammatio ad ſummum aucta ſubſiſtente cauſſa irritante exſtinctionem virium vi-

vitalium parit atque gangraenam inducit ſuo loco exponendam, quam tamen, vrgente dolore acutiſſimo, largo opii vſu auerſam et ſanatam eſſe, compertum eſt. Reſtat adhuc vt notemus inflammationes genuinas ſub noſtro coelo jam rarius occurrere; plurimae Rheumatiſmo, Arthritide ſeu alio morbo junctae ſunt, vnde morbi genius, duratio et therapia vario modo mutatur.

---

IN-

# INFLAMMATIONES MIXTAE.

CCCCXCI.

Inflammationem aequiuocam ſ. mixtam eam *dicimus*, quae quoad morbi principium, decurſum ac exitum cum genuina ceu phlegmone non ſatis, praecipue quoad ſymptomatum grauitatem ac morbi durationem, conuenit, neque tamen plane ab eadem diſcrepat: cujus principales ſpecies ſunt Eryſipelas, Rheumatismus, et Arthritis.

## *Eryſipelas.*

CCCCXCII. Eryſipelas *eſt* illa inflammationis mixtae ſpecies, quae cognoſcitur tumore diffuſo partis cujusdam coloris rubro-roſei, ſubflaui, cum mordaci et acri dolore, exigua vel nulla pulſatione, plerumque poſt febrem erumpens, nunquam in veram ſuppurationem abiens. Varia vero in eryſipelate diuerſitas occurrit quoad,

*a*) ſedem

*b*) vehementiam,

*c*) durationem, ac

*d*) indolem.

CCCCXCIII.

CCCCXCIII. Quoad *ſedem* eryſipelatis: quaelibet pars ſuperficiei totius corporis huic morbo obnoxia eſt; facies tamen atque extremitates ſaepiſſime infeſtantur, nec partes interiores, membranae praecipue mucoſae, ab hoc morbo immunes ſunt, cum naſi ac oris cauitas, viae aereae, alimentares, vrinariae haud raro inde adficiantur, praeterea ſedem ſaepius mutat morbus, de vno loco in alterum cito tranſiens.

CCCCXCIV. Quoad vehementiam plures gradus tenet eryſipelas, quorum prior *erythema*, alter *eryſipelas* proprie dicitur.

*a*) *Erythema* inſurgit absque febris grauiumque ſymptomatum ſatellitio; poſt leuem aegritudinem accedit tumor ſolitarius, diffuſus rubro-roſeus, preſſione euaneſcens, qui ante quintum vtplurimum diem in pallidum flauum colorem tranſit, et ſpontanea cuticulae deſquamatione finitur. Similem at minorem adhuc aegritudinem inducunt leuiora irritantia, frictiones, caloris vel frigoris minor gradus, vrticationes, rubefacientia, cetera, ad inflammationes ſpurias referendam.

*b*) Eryſipelas genuinum tria abſoluere ſolet *ſtadia*. Horror, grauedo, anorexia, laſſitudo, anxietas, febris ephemerinae

typum ſeruans, et ſi faciem occupet morbus, ſopor, cephalalgia ac delirium, *primum* ſtadium conſtituunt, vltra biduum vix excurrens. *Alterum* adducit tumor inflammatorius cutis ſuperficiem occupans, ambitu facilius excreſcens, locum mutans, vix in ſubjacentes partes deſcendens, coloris e roſeo, rarius e purpureo vel liuido, flaueſcentis, premente digito euaneſcentis, ablato mox redeuntis, diffuſum ardoris pruritusque magis quam fixum doloris et pulſationis ſenſum creans; minus notabili duritie et ſplendore, ſaepe veſiculis ichore repletis ſociatus. Collabeſcentibus vaſis adfectis, *tertium* denique ſuccedit ſtadium, in quo tumor ſubſidet, color in flauescentem pallidum mutatur, omnia ſymptomata euaneſcunt et epidermis loci adfecti, poſt difflatum ichorem ſicca, ſub ſquamarum forma ſuccedit, quod plerumque circa vndecimum diem ſub critica per vrinam ac ſudorem euacuatione abſoluitur. Quae quidem eueniunt, quoties benigna reſolutio locum habet; in graui morbo primi ſtadii ſymptomata ad deſquamationem vsque continuant.

CCCCXCV.

CCCCXCV. Quoad *durationem* erythema quinque vt plurimum diebus ſoluitur; eryſipelas genuinum vsque ad vndecimum ſaepe diem excurrere ſolet. Datur quoque *habituale*, *chronicum*, *periodicum* qualicunque data occaſione recurrens.

CCCCXCVI. Quoad indolem denique morbus eſt, acutus aut chronicus, benignus aut malignus, phlegmonoſus, oedematoſus, bulloſus, puſtuloſus, herpeticus, putridus, gangraenoſus, epidemicus, metaſtaticus. Aſt prae reliquis exponi meretur notabile illud diſcrimen, quo eryſipelas diſtinguitur

*a*) in idiopathicum et

*b*) in ſymptomaticum.

CCCCXCVII. Eryſipelas idiopathicum rariſſime vel potius nunquam veram *ſuppurationem* admittit, niſi phlegmone ſimul junctum fuerit: nec vti in phlegmone ſanguis miſſus cruſtam inflammatoriam, ſi ſimplex fuerit morbus, monſtrat.

CCCCXCVIII. Etiam in aequiuoco hocce inflammationis genere, *principium* morbi in irritamento vires vitales excitante, et vaſorum dilatationem (CCCCXLII.) efficiente conſiſtit; ejusmodi irritamentum vt plurimum eſt humor acris, tenuis, excrementitius, morboſus, cujus *cauſſae* frequentiores ſunt, varia ingeſta, tranſpiratio ab aëre humido frigido ſuppreſſa, bilis mota,

ſaburra primarum viarum, adfectus animi, ſtimuli varii externi (CCCCXXVI.) dicti; habituale eryſipelas ex infarctu hepatis ortum ducere ſolet.

CCCCXCIX. Propria hujus inflammationis *ſedes* in vaſculis ſanguiferis ſummae cutis ejusque productionibus in naſo, faucibus, arteria aſpera, ventriculo, inteſtinis, vagina, vrethra, veſica vrinaria, quaerenda eſt; telam autem celluloſam non inuadit eryſipelas, niſi cum phlegmone nuptum.

D. Eryſipelatis idiopathici *ſymptomata* ex dictis (CCCCXCVII.) patent; ſuppurationem interdum mentitur vlceratio ex acriore puſtularum latice oriunda. Neque idiopathicum ſine mala arte in gangraenam tranſit; a ſcirrho perinde alienum. Symptomaticum, alius morbi comes et effectus, hujus rationem ſequitur.

DI. Quoad *prognoſin* eryſipelatis idiopathici, hoc rite tractatum ante vndecimum diem ſanari quidem ſolet, notabile tamen periculum exſurgere poteſt:

*a*) ſi externas partes nobiliores occupat morbus;

*b*) ſi eryſipelas externum locum mutat, et ad partes vitales, cerebrum praecipue aut pulmones tranſit, quo facto ſeptimo, nono ſ. vndecimo die apoplectici

plectici ſ. peripneumoniaci mori poſſunt aegri.

*e*) ſi in gangraenam tranſit morbus, aut ob vitium curationis aut ob peculiarem aegroti conſtitutionem, aut peculiarem epidemiam.

Eryſipelas faciem occupans periculoſior merito habetur, quam aliam ſuperficiei externae corporis partem inuadens. Delirium et coma poſt eruptionem accedens graue diſcrimen vitae minantur. Antea eryſipelate adfecti facilius de nouo corripiuntur.

DII. Praecipuum curationis momentum conſiſtit in remouenda aut minuenda, quantum fieri poteſt, morbi cauſſa (CCCCXCVIII.) irritamentum praebente, quod tam internis quam externis remediis obtinetur:

*a*) interne primae viae emeticis pro re nata repetitis, laxantibus antiphlogiſticis, vti cremore tartari, ſale Glauberi, manna, pulpa Caſſiae, tamarindorum cet. expurgandae: tranſpiratio lenioribus diaphoreticis, potu tepido, copioſo, attenuante, aëris frigidi prohibitione, camphora, antimonialibus, ſolutione praecipue tartari emetici tenuiſſima, promouenda; animi vti corporis quies ſuſtentanda.

*b*)

*b*) externa remedia reſoluentia (CCCCLXXVI.), emollientia (CCCCLXXIX.), adſtringentia (CCCCLXXVIII.) vel calida vel frigida vti quoque pulueres varii adſperſi, parum vel nihil in eryſipelate proſunt, nec omnis noxae ſuſpicionem experientia teſte, effugiunt. Epithemata ſicca ex herbis reſoluentibus ſacculo incluſis, quibus ad finem morbi, rubore diſſipato, camphora addi poteſt, adhiberi quidem poſſunt, facile tamen eis carere poteſt chirurgus, cum Eryſipelas absque injuria externa exortum, vix vlla topica requirat; bullae vero impletae ad inferiorem partem aperiendae, quo facto cutis ſuperficies interdum quidem nigricans cinericia adparet, breui tamen eſchara a liquore transſudante oriunda obtegitur, ſi benignum fuerit eryſipelas; acria, et mechanica irritantia varia encheireſi auferenda, prohibenda. Sanguinis miſſiones in ſimplici eryſipelate caute et parce adhibeantur, niſi diſtincta phlegmones ſigna ſimul adſint. Situs erectus in eryſipelate faciem occupante maxime conducit.

DIII. Dictae (DII.) cautelae non ad rubedinis ſolum diſſipationem, ſed vsque ad plenariam

riam cuticulae deſquamationem, omnisque tumoris abſentiam *continuandae.* Eryſipelas vero externum *locum mutans*, partes internas nobiliores occupans, externis ſinapismis, veſicatoriis, emetico leniori *reuocatur*, vt plurimum ſanguinis miſſionem ſimul poſcit.

DIV. Eryſipelas ſymptomaticum ab idiopathici natura et greſſu notabiliter degener, varios morbos comitari ſolet, phlegmonen, vulnera, vlcera, oedema, indurationes varias, herpetem cet. neque infrequenter occurrit inter prodromos, ſymptomata, metaſtaſes variarum febrium epidemicarum, exanthematicarum, malignarum, praecipue ſub quibus interdum cito in gangraenam tranſit morbus. Tale connubium cognoſcitur ex concurrentibus eryſipelatis et morbi idiopathici ſignis et curationem exigit ad poſtremum maxime accommodatam. In tenellis infantibus obſeruatum fuit Eryſipelas a cauſa abſcondita, forſan mala tractatione funiculi, saepiſſime lethale, niſi corticis vſu occurratur malo.

## *Rheumatismus.*

DV. Rheumatismus *eſt* illa inflammationis mixtae ſpecies, quae ab externa plerumque euidenti cauſſa ejusque effectu irritante dolorifico in neruos, muſculos eorumque inuolucra, membranas

branas atque vaginas tendinum, ligamentorum, glandularum, vaſorum, viſcerum, oſſiumque exoritur, nunquam ſola in veram ſuppurationem tranſiens; quoad morbi cauſſam, differentiam, ſymptomata, durationem, mobilitatem ac ſolutionem denique a vera phlegmone notabiliter diſcrepans.

DVI. Varia hic quoque ac notabilis diuerſitas occurrit, quoad

*a*) morbi ſedem,

*b*) vehementiam,

*c*) durationem, ac denique

*d*) indolem.

DVII. Rheumatismi *ſedes* frequentiſſime quidem occurrit in partibus externis, dentes, aures, gingiuas, ſcapulas, ceruicem, coxas (*Iſchias*), dorſum, lumbos (*lumbago*), femora, genua, vix vnquam digitos occupans, nunc minorem ambitum capitis, faciei, mammarum, oſſis ſacri, palpebrarum, apicis naſi, digitorum, auriculas inuadit; interdum quoque partes internas, cerebrum, fauces, arteriam aſperam, pulmones, pleuram, ventriculum, inteſtina, hepar, lienem, renes, veſicam vrinariam, teſtes cet. afficit plurimarum inflammationum chronicarum fons atque origo. Interdum rheumatismus *fixus* eſt, vnum ſolum locum occupans: interdum *vagus*, qui in alias remotiores partes excurrit, ful-

fulminis ſaepe celeritatem aemulans, interdum plura loca ſimul inuadit.

DVIII. Quoad *durationem* rheumatismus eſt vel *acutus*, qui per plures hebdomades protrahi poteſt, verſus veſperam et nocturno tempore exacerbari ſolet dolor, vel *chronicus*, qui per menſes et annos interdum excurrit; vnus ſaepe in alterum tranſiens.

DIX. Quoad *vehementiam* rheumatismus pro ſenſilitate aegroti, partis adfectae ac morbi gradu, maximopere differt: dolor variae indolis: modo leuior obtuſus, modo, ob cruciatum intolerabilem, ſpasmum, conuulſiones, deliria, ſyncopen inducere poteſt, modo inter haec medius conſiſtit; a tumore minui vt plurimum ſolet dolor.

DX. Notabilis denique differentia rheumatismi ſubſiſtit in ejus *indole;* morbus etenim

*a*) aut *febri* grauiori *junctus;* aut *absque* vlla *febri* adeſt.

*b*) *cum inflammatione* juncta: aut *absque* vlla *phlogoſi:*

*c*) aut *ſimplicis genii*, aut *indolis catarrhalis*, *bilioſae*, *ſcorbuticae*, *venereae*, *ſcrophuloſae*, *ſcabioſae*, *cancroſae*, eſſe poteſt.

DXI.

DXI. Rheumatismi *principium* in incitamento et acrimonia pecularis indolis hucusque ignotae consistere videtur, partes corporis (D.) dictas irritamento adficiens; forsan a partibus salinis retentis, id quod defectus insolitus salis in vrina rheumaticorum obseruatus, et abundantia excretionis salinae critica, in vrina missa, ejus superficie, ac gariete vasis, in quo vrina seruatur, morbum soluens, persuadere videtur.

DXII. Rheumatismi *caussae* solemnes sunt, aeris temperies frigida, ventosa, transpirationis aut sudoris suppressio a refrigerio singulae alicujus partis, praecipue calente corpore, aut sub vsu mercuralium, suscepto: vestimenta humida, aër frigidus humidus: euacuationes adsuetae sanguineae aut aliae omissae, vel suppressae: moeror, tristitia, materia quaedam acris (CCCCXCVIII.), febris intermittens intempestiue sedata: vlcera inueterata sanata, vapores metallici varii, vnius alicujus partis debilitatio a contusione, vulnere, vlcere, fractura, luxatione, extensione, ambustione, spasmo; abusus Bachi et Veneris cet. morbus in regionibus localibus, tempore vernali et autumnali frequentissimus; infantes et senes rarius inuadit.

DXIII. Symptomata rheumatismi acuti generales sunt

a)

a) *dolor* omnis notabilis rheumatismi perpetuus comes, raro conſtans nunc punctionis, pulſationis; ſciſſionis, dilacerationis, roſionis, diſtenſionis, vſtionis; nunc preſſionis, conſtrictionis, algoris, ſtuporis, anxietatis, nauſeae ſenſum referens, qui in rheumatismo acuto calore exacerbari, in frigido loco e contrario minui ſolet: quouis autem motu augetur.

b) *febris* hujus morbi eſt aut inflammatoria, aut bilioſa, aut catarrhalis aut putrida epidemica, intermittens, remittens, lenta, ex propriis harum characteribus ſcrupuloſiſſimo examine indaganda.

c) *tumor* eſt aut inflammatorius aut oedematoſus, frigidus, cujus acceſſus interdum dolorem leuat, et ſi ſedes morbi profunda, haud raro plane abeſt.

d) *ſudor* copioſus viſcidus.

e) *vrina* multum ſedimentum lateritium deponens.

f) *functio* denique *laeſa* partis adfectae.

DXIV. Rheumatismi *chronici ſymptomata principalia* ſuut dolor atque functio laeſa partis adfectae, febris vero ac tumor, inflammatorius ſal-

ſaltem, plane abſunt, niſi in rheumatismum acutum tranſeat morbus.

DXV. *Symptomata ſecundaria* partis grauiter rheumatismo adfectae eſſe poſſunt laeſa functio, rigiditas, immobilitas, ſtupor, maeror, paralyſis, eruptiones cutaneae, fungi articulorum, tumores cyſtici, ſarcomata, abſceſſus haud genuinum pus ſed materiam lymphaticam gelatinoſam continentes, fiſtula lacrymalis, maculae corneae, cataracta, gutta ſerena, cephalalgia, vertigo, ſopor, delirium, apoplexia, odontalgia, otalgia, ſurditas, aſthma, catarrhus ſuffocatiuus, phthiſis, vomitus, cardialgia, colica, infarctus viſcerum, iſchuria, dyſuria, ſtranguria, gonorrhaea, fluor albus, tenesmus, contractura cet. Vix datur morbus localis, qui non a materia rheumatica ortum ducere poſſet, et hujus cauſſae, aut complicationis ſaltem, ſuſpicionem moueat, ſi poſt ſuperatum alium rheumatismum morbus acceſſerit. Patent inde, vti ex antea allatis (DVI.) Rheumatismum in vniuerſum vix habere genium proprium diſtinctum, ſed protheiformem, ad indolem conſtitutionis aëris, epidemiae, habitus corporis indiuidui, et complicationis diuerſimode mutatum.

DXVI. Quoad *prognoſin:* rheumatismus externas partes occupans, fixus, periculo carere ſolet, vagus internas nobiliores partes petens maxi-

maximas ſanitati ac vitae inſidias ſtruit pro dignitate partis adfectae morbique gradu varias; ſudor raro morbum ſoluit aut vere criticus euadit, nec vrina multo ſedimento lateritio abundans morbum ſemper leuat; vrinam contra, in qua multae particulae salinae adparent, in hoc morbo ſalutarem eſſe, certa experientia conſtat, haemorrhagia narium, diarrhoea, expectoratio larga mucoſa ſalutaris judicantur. In junioribus partes ſuperiores corporis, in ſeneſcentibus inferiores frequentiſſime rheumatismo adficiuntur.

DXVII. Rheumatismi *therapia* ad indolem morbi varia eſt, alia acuto fixo, alia acuto vago, alia denique chronico conuenit.

DXVIII. Rheumatismi *acuti curatio* proſpicit febri, dolori, materiae morboſae eliminationi, ejusue ad partes externas deriuationi, ac debilitati denique partiali vel totali inſequenti, quod partim remediis externis, partim internis obtinetur; cauſſarum nocentium (DIX.) ſtrenua prohibitione haud neglecta.

DXIX. Remedia *externa* quod attinet; febris rheumatica, indolis inflammatoriae, in vniuerſum requirit methodum antiphlogiſticam; ſanguinis, in cujus ſuperficie in febribus rheumaticis cruſta inflammatoria vt plurimum adparet, miſſiones inſtituantur pro ratione pulſus, virium, ac ſymptomatum grauitate, repeten-

petendae, in morbi initio haud ſane negligendae. Tantam tamen, quam ipſa phlegmone, ſanguinis jacturam haud permittunt inflammationes rheumaticae, cum vires inde intempeſtiue frangantur, materia morboſa aut nimis mobilis euadat, aut acutus rheumatismus in chronicum mutetur. Minuta febri, ſubſiſtente rubore ac tumore, ſanguinis miſſiones locales, hirudinum praecipue ope, magis conducunt. Alia remedia externa in rheumatismo acuto parum proſunt: medicamenta reſoluentia externa vix cum ſecuritate adhibentur; fomenta tamen, cataplasmata, balnea vaporis, ſemicupia, telae ceratae impoſitio ad locum dolentem, haud exiguum leuamen adferunt. Sub vltimi remedii adplicatione ac ſedula commutatione exanthemata in cute interdum prorumpunt, dolorem mire ſedantia. Abſceſſus ſeroſi lymphatici gelatinoſi, rheumatismi acuti, vagi ſequelae, ſi periculum migrationis in alium locum minentur, aut metus corroſionis partium infra poſitarum adfuerit, aperiendi quidem ſunt, vlcera vero ſordida chronica haud raro relinquunt difficulter ſananda; horum inde inciſionem chirurgus haud niſi neceſſitate ductus inſtituat, eo magis quidem, cum experientia teſte impune ſaepiſſime reſoluantur; minime tamen repercutientia adhibenda.

DXX.

DXX. Quoad *remedia interna*, in acuta febri nitrum, ſal amoniacum, potus copioſi, diluentes, aciduli, clysmata, lenia laxantia antiphlogiſtica; febri aliquomodo minuta camphora, ſolutio tenuis tartari emetici, kermes mineralis; ſi typum intermittentem adſumat febris, corticis peruuiani vſus conducit. Opium vix cum ſecuritate in hoc ſtatu adhibetur, niſi ſub febri mitiori diſtincta nimiae neruorum ſenſilitas ſigna et a doloris crudelitate ſomni plenarius defectus adſit. Extractum aconiti ad ſedandum rheumaticum dolorem atrocem ſecurius adhibetur.

DXXI. Partialis aut totalis *debilitas*, morbo ſuperato *remanens*, requirit frictiones, fumigationes, balnea varia, corticem peruuianum antimonio crudo mixtum; quantum pars adfecta ferre poteſt, exercitium ſedulum cet. ac cautiſſimam denique nocentium euitationem, ne morbus recurrat.

DXXII. Rheumatiſmi *chronici fixi therapia*, ſi *febri* aliquali adhuc junctus fuerit morbus, methodum requirit antiphlogiſticam ſparſim poſcit; plane *abſente febri*, varia tam externa quam interna remedia conducunt ad eliminandam materiam irritantem, eamque infringendam idonea.

DXXIII. Inter *remedia externa* laudantur epithemata ſicca herbarum reſoluentium, lana ouina

illo-

illota, tela cerata, linimentum volatile, oleum cajaput, fumigationes volatiles, frictiones simplices, aut cum oleis aethereis fortioribus, oleo cajeput genuino praecipue; vrticationes, sinapismi, cepae, allium, mezeraeum, essentia cantharidum, vesicatoria, praecipue in locis, vbi nerui partis adfectae sub cute decurrunt, vtilia; emplastrum de hyoscyamo, saponatum, ischiaticum, e calce viua et melle paratum, e solutione mastichis in spiritu vini confectum; cataplasmata; balsamum vitae externum, aqua vel lacte solutum, inunctiones mercuriales, fonticuli, setaceum, moxa, cucurbitae, stillicidia, magnetismus, electricitas; si omnia fallunt, immersionem partis adfectae in aquam frigidam s. hujus in eam frequentem superinfusionem mire atrocissimos dolores sedare legimus.

DXXIV. Inter *remedia interna*, rheumatismo chronico adpropriata, praecipue conducunt, decocta radicum graminis, taraxaci, sassaparillae, saponariae, stipitum dulcamarae, ligni sassafras, guajaci; serum lactis aceto, vino, puluere seminum sinapi paratum; aqua calcis viuae cum lacte; antimonium crudum, cum vel sine cortice, sapo antimonialis, essentia stibii, tinctura guajaci volatilis, puluis Doveri, gummi guajacinum, nitri, camphorae mojores doses, moschus, assa foetida, succi antiscorbutici re-

cen-

centes, praeparationes mercuriales, earumque parcus at diu protractus vſus, olei terebinthinae majores doſes, ſalia alcalina volatilia, extractum aconiti, cicutae, aeſculi; inter quae remedia idonea cauſſae morbi ſcrupuloſiſſimo examine indagentur, ac conſtitutioni aegroti adaptata eligantur.

DXXV. Ad *auertendum* rheumatismum conducit induſium laneum, climatis ſ. domicilii humidi commutatio, balnea frigida chalybeata, ſulphurata, cortex peruuianus gummi guajacino nuptus, equitationes, motus partis adfectae, quantum ferri poteſt, frequentes, puluinaria haud plumis ſed crinibus referta, frictiones denique totius corporis ſedulae; atque haec omnia regimine connuenienti adjuuanda ſunt.

DXXVI. Speciales rheumatismi in vniuerſum remedia (DXXIII. DXXIV.) dicta poſcunt. Inter hos peculiarem attentionem meretur mali iſchiatici ſpecies, *iſchias neruoſa* antica et poſtica *Cotunni*, aut tractum nerui iſchiatici ſequens, aut ad decurſum nerui cruralis ſe extendens, a liquido in celluloſa nerui vagina, vel copia neruum comprimente, vel acrimonia irritante ortum ducens. Morbus hic a vera inflammatione ac ſequenti ſuppuratione, metaſtaſi lactea, varioloſa, ſcarlatina, venerea, ſcrophuloſa, ſcabioſa, herpetica rite diſtinguendus, venaeſectione

ad malleolum instituta, clysmatibus, frictionibus, opio versus noctem adsumto, vesicatorio denique ad caput fibulae seu ad dorsum pedis repetito, sedatur, quod expérimenta fide dignissima docuerunt. Ferrum candens lanciforme inter quartum ac quintum os metatarsi ad dorsum pedis admotum mira celeritate dolores fugauit.

## *Arthritis.*

DXXVII. Arthritis *est* inflammationis mixtae (CCCCXCI.) species, sine externa caussa euidente, sed praeeunte plerumque ventriculi adfectione insolita, cum dolore articulorum, pedis pollici potissimum, certe pedum et manuum juncturis infesto, podagrae et chiragrae nomine tunc insignito; per interualla reuertens, et saepe cum ventriculi et internarum partium adfectionibus alternans. Cum rheumatismo (DV.) minime confundendum malum genio ac indole *diversissimum.*

DXXVIII. Morbus interdum est *haereditarius,* interdum *acquisitus*, foeminis et eunuchis raro infestus, rarissime ante trigesimum aetatis annum, nisi hæreditarium fuerit malum, adgreditur, plures sapientes, quam fatuos, diuites, quam pauperes inuadit, maxime eos, qui mature baccho et veneri libarunt, aut ex vitae ge-

genere fumme exercitato et turbulento in otiofam et tranquillam tranfierunt, adgreditur.

DXXIX. Variae in hoc morbo occurrunt *differentiae;* morbus etenim eft

*a*) aut *perfectus regularis*, certum locum occupans, eumque non linquens vsque dum morbus folutus fuerit:

*b*) aut *imperfectus*, quando fub difpofitione arthritica, viribus naturae ad inducendum regularem et perfectum infultum imparibus, partes internae abdominis praecipue diuerfimodo adficiuntur.

*c*) aut *retrogreffus* fi morbus externas partes linquens, interiores petit, caput, pectus, abdomen, veficam vrinariam, aut peculiarem gonorrhoeae fpeciem inducens, ifchuriam aliosque morbos poftea dicendos creat: his nonnulli

*d*) eam *arthritidis* fpeciem addunt, fi fedem primitiuam in interioribus partibus tenet morbus, fub larua verae inflammationis inuadens.

DXXX. Hujus morbi principium irritamentum quoddam ignotae indolis effe videtur, a peculiari corporis praedifpofitione ortum ducens, vnde variae partes inflammatae primum formant acceffum ejusque reiterationem. Materiam ter-

reſtrem aliquo modo ſubeſſe ſuadent tophi gypſei ex arthriticorum articulis haud raro transſudantes, horumque ad nephritidem, calculosque peculiaris diſpoſitio.

DXXXI. Sub tali praedispoſitione inducentes morbum *cauſſae* eſſe videntur

*a*) omnia, quae plethoram augent, vti vita ſedentaria, otioſa, ſub diaeta nutrienti lauta, animali.

*b*) ea, quae ſubjectum plethoricum ſimul debilitant, vti venus nimia, ſpirituoſorum abuſus, indigeſtio ab ingeſtorum nimia quantitate vel praua eorum indole, lucubrationes, nimia ad ſtudia adplicatio, ſegnities corporis, pathemata animi, euacuationes nimiae, pedum refrigerium cet.

DXXXII. Paroxysmum *imminentem*, in ſubjecto arthritico ſaepiſſime praeſagiunt, indigeſtionis ſigna, adpetitus languens, frigor inſolitus, ac ſenſus punctionis pedum, iracundia ac mobilitas animi inſolita, ſudor ſuppreſſus.

DXXXIII. Inſultum *praeſentem* indicant, praegreſſis vt plurimum, frigore, calore febrili, inquietudine, circa veſperam ſuccedens tumor ac rubor pedis, ſaepiſſime pollicis, cum dolore ac cruciatu atrociſſimo, ſub motu aut preſſione aliquali exacerbato, nauſea, anorexia, aluo adſtricta,

ſtricta, vrina pauca colorata. Mox vnum, mox alterum pedem occupat, mox de vno in alterum cito tranſit, mox in alias articulationes excurrit; qui morbus initio nonnullis diebus abſolutur, magis inconſtans; ſeneſcente autem morbo dirior et typum certiorem adfectat et paroxysmus ſaepius recurrit.

DXXXIV. Paroxysmo *diſcuſſo*, tumor ſubſidet, redit mobilitas, appetitus ſuccedit, pruritus, furfuraceaque deſquamatio. In multis circa articulos materia transſudat, quae ſiccata in ſubſtantiam calcaream in acido plane diſſolubilem abit.

DXXXV. Hujus morbi *prognoſin* quod attinet: *regularis* arthritis nullum vitae periculum ſaepiſſime infert, quin longioris vitae praeſagium potius habetur; haud raro inter ipſum paroxysmum, ſi atroces dolores excipias, aegroti ſunt floridi, alacres, ad venerem et voluptates omnes proni. Arthritis e contra imperfecta, aut retrocedens, aut malo regimine ſ. imperita tractatione tentata, gravia pericula pro varia dignitate partis, quam petit morbus, afferre poteſt; vomitum, diarrhoeam, colicam, adfectiones haemorrhoidales, obſtipationem, iſchuriam, gonorrhoeam, aſthma, catarrhum ſuffocatiuum, vertiginem, apoplexiam cet.

DXXXVI.

DXXXVI. Arthritidis *prophylaxis* ſtrenua ac tempeſtiua cauſſarum nocentium (DXXXI.) euitatione obtinetur, quod in ipſis illis, quibus malum eſt haereditarium, contingere poteſt. Praeſentis mali *curatio*, multis ac variis remediis hunc ad ſcopum laudatis vix vnquam radicalis obtinetur. Pro malo leuando atque periculo auertendo varia conducunt, partim

*a*) extra paroxysmum adhibenda.

*b*) partim ſub inſultu in vſum vocanda.

*c*) partim in retrogreſſo morbo vtilia.

DXXXVII. Prius obtinetur exercitio corporis modico protracto, regimine frigido antiphlogiſtico, abſtinentia a victu animali, potu fermentato, baccho, venere, animi pathemate. Fonticuli maiores ſparſim proſunt.

DXXXVIII. Inſultus *ipſe* regularis, venaeſectiones cautiſſimas interdum *admittit*, hirudines ad partem adfectam admotae in acuto dolore cum inflammatione juncto ſparſim proſunt, ſaepe haud noxae ſuſpicionem effugiunt; telae ceratae impoſitio ſaepius, ſi humeſcat, commutandae, cum fructu adhibetur; ſedula partis telis lancis obtectio prodeſt; fotus, cataplasmata, ſinapismi, veſicatoria, vrticationes, moxa, opium, valde circumſpecte adhibenda, raro omnis noxae ſuſpicionem effugiunt; frigidam admotam certe noxiam fuiſſe, compertum eſt. Inter remedia in-

interna laudantur roborantia, amara, antimonialia, Guajacum. Arthritis *irregularis*, atonia primarum viarum juncta, equitationem, modicam ambulationem, corticem peruuianum, martialia, caute tamen vſurpanda, leniorum aromatum, ac ſpiritus diluti, ſeu vini generoſi vſum *poſcit.* Thermae ſulphuratæ martiales ſaepe proſunt.

DXXXIX. Arthritis retrogreſſa partes internas petens, externis veſicatoriis, epiſpaſticis, frictionibus ad ſedem priſtinam reuocatur; interne ſimul adhibito, ſi phlogoſeos internae indicia hoc permittunt, vino generoſo, alcali volatili, camphora, moſcho, opio cum aromate juncto; quo diſtinctiora inflammationis internae adſunt indicia, eo ſecurius methodus antiphlogiſtica adhibetur; nec electricitatem hic inutilem fuiſſe, compertum eſt.

---

IN-

## INFLAMMATIONES SPVRIAE.

### DXL.

Spuriae inflammationes *dicendae* ſunt illae, in quibus communes phlogoſeos notae characteriſticae (CCCCXC.) vel plane deſiderantur, vel minus notabili gradu adſunt.

*a*) aliae vltra verae ac mixtae inflammationis terminum notabiliter protrahuntur, ac *chronicae* ſunt, quod in partibus ſtrictioris texturae vti oſſium, glandularum, ligamatorum, partium aponeuroticarum, ſaepiſſime accidit; quae inflammationes ſaepe, haud vti phlegmone ſignis Stheniae ſed potius Aſtheniæ characteribus junctae ſunt.

*b*) aliae a contra ſunt fugaces ac fere momentaneae.

Vtriusque generis cauſſa proxima eſt irritamentum, in diuturnioribus plerumque ex acrimonia humorum venerea, ſcorbutica, rhachitica, ſcrophu-

phuloſa, cancroſa aliaque; in fugacibus a leuiore ſtimulo, frictione e. g. oriundum. Poſteriores curationem vix exigunt; priores idonea humorum correctione, ſuo loco exponenda, potius quam methodo antiphlogiſtica (CCCCLXV.) debellantur.

---

IN-

## INFLAMMATIONES LOCALES.

### DXLI.

Inflammationis verae, mixtae, ac ſpuriae natura hactenus (CCCCXLIV. CDXCI. DLX.) expoſita, jam praecipuae inflammationum localium ſpecies, aut genuinae, aut plus minus commixtae, quotquot nempe externis auxiliis potiſſimum ſanari ſolent, veniunt conſiderandae. Quo pertinent

*a*) ophthalmia:
*b*) parotis inflammatoria:
*c*) angina:
*d*) inflammatio mammarum:
*e*) bubo inflammatorius:
*f*) teſticulorum inflammatio:
*g*) phymoſis:
*h*) paraphymoſis:
*i*) inflammatio vrethrae:
*k*) poronychia:
*l*) pernio:
*m*) ambuſtio:
*n*) coxalgia.

*Oph-*

## Ophthalmia.

DXLII. Ophthalmia *eſt* tunicarum oculi f. marginis palpebrarum a qualicunque cauſſa inducta inflammatio, cujus characterem conſtituunt dolor, tumor, rubor partis inflammatae, ac febris conſenſualis, quae tamen pro diuerſa morbi ſpecie egregie differunt. Ita rubor externe diſtinguendus in profundiore oculi inflammatione interdum abeſt, interdum lucis intolerantia vel palpebrarum tumor inſpectionem oculi excludit.

DXLIII. Vario reſpectu ophthalmia *diſtinguitur* et quidem

*a*) quoad ſedem:
*b*) habitum:
*c*) durationem:
*d*) originem: ac denique
*e*) indolem.

DXLIV. Quoad ophthalmiae *ſedem* cum vnus vel vterque oculus, vel externe vel interne adfici poſſit, haec erit

*a*) *monocula*, vnum oculum inuadens:
*b*) *vtrumque oculum* vel ſimul vel ſucceſſiue occupans:
*c*) *interna*, iridem, vueam, choroideam retinam, vel in vniuerſum partes interiores tenens, genii vt plurimum phlegmonoidei.

*d*)

*d*) *externa*, in tunica conjunctiua, aut *omnem* ejus ſuperficiem *infeſtans*, aut *angularis*, dum in *alterutro cantho* eſt conſpicua.

DXLV. Quoad *habitum* ophthalmiae:

*a*) *ſiccae* nomen habet, ſi vel craſſus vel omnino nullus humor ex oculo inflammato defluit.

*b*) *humida* vero audit, ſi notabiliore vel lacrymarum, vel ſeri lacrymis feruidis commixti, vel ſaniei purulentae aut ſanguinolentae fluxu copulatur,

DXLVI. *Duratio* ophthalmiae perinde admodum varia eſt: etenim eſt

*a*) vel *acuta*, quae celeriter inter quatuordecim dies vt plurimum abſoluitur, ſparſim intra triduum jam in ſuppurationem vel oculi corruptionem abit.

*b*) vel *chronica*, *habitualis*, quae aut continuo perdurans, vel crebrius recurrendo, in diuturnitatem vergit; aut vaga incertis temporibus reuerti ſolita, aut periodica certis temporibus recurrens. Vna porro ſpecies in aliam tranſire poteſt.

DXLVII. Quoad *originem* ophthalmia eſt

*a*)

*a*) *idiopathica:*
*b*) *ſymptomatica:*
*c*) *ſympathica:*
*d*) *metaſtatica.*

DXLVIII. Aſt prae reliquis exponi meretur illud diſcrimen, quod diuerſa mali *vehementia* ac *indoles* efficit; morbus etenim nunc inflammationis ſpuriae vel mixtae phaenomena exhibet: nunc toto genuinae inflammationis charactere conſpicuo ſeſe monſtrat. Hoc reſpectu triplex eſt ophthalmia

*a*) *leuis* nempe,
*b*) *grauis* ac
*c*) *grauiſſima.*

DXLIX. In leuiori hujus morbi ſpecie, *taraxis* dicta, vaſcula, non niſi ſingulos ſanguinis rubri globulos admittentia hoc impulſu diſtenduntur, plures globulos excipiunt, rubore conſpicua fiunt, pruritusque incommodi potius quam doloris ſenſationem creant. Abeſt pulſatio et calor vtque plurimum lucis intolerantia. Neque raro deeſt lacrymatio, cujus locum ſaepe tenet aucta ſebi ciliaris transſudatio, prout vel albugineam oculi vel interiorem palpebrae tunicam, hujusque marginem cum aſperitatibus et tuberculis occupat inflammatio: haec ſpecies ophthalmiae ſub accidentali tantum irritamento oriunda nunc breui euaneſcit, nunc in diuturnita-

tem

tem vergit; in alium morbum rariſſime abiens; interdum tamen in chemoſin adoleſcens, vnde patet ad ſpurias phlogoſes merito taraxin referri. Haec ophthalmiae ſpecies cum extrauaſatione ſanguinea rupto a cauſa quadam occaſionali vaſculo conjunctiuae, haud confundenda.

DL. At grauior eſt ophthalmia, quae *chemoſis* ſalutatur, quoties inflammatio corneae diaphanae limites vel attingens, vel excedens, vaſculoſum atque celluloſum conjunctiuae textum ita tenet, vt propter vehementem et obſcure rubrum iſtius turgorem illa adpareat depreſſa ſplendoreque et pelluciditate ſua ex parte priuata; interdum non modo *adnata* rubet, ſed etiam in grauiori morbi gradu iris, quin ipſa interdum cornea transparens rubeſcit vel vaſa ſanguine turgida per eandem decurrunt cum pelluciditatis aliquali diminutione. Palpebrae ſimul in tumorem attolluntur, vt ad voluntatis arbitrium attolli haud poſſint, harum limbis ſaepiſſime introrſum verſis, vt de tarſis ciliisque nihil omnino diſtingui queat; ipſe bulbus haud raro majorem in modum attollitur. Haec ophthalmia non ſolum febrem conſenſualem, notabilem pulſationem, crudelem dolorem, ſanum oculum ſaepe in conſenſum trahentem, vt plurimum continuum, in nonnullis per interualla renaſcentem, vel exacerbatum; lucis impatientiam; lacry-

erymationem multam calidam, acrem, ſangui-nolentam, transſudatione purulenta palpebras conglutinante deinde exceptam, varia quoque ſymptomata rapti verſus partem adfectam ſanguinis, ſecum vehit vel ante vndecimum vel decimum quartum diem ſoluitur, quem euentum dicta transſudatio purulenta ſequitur, vel in tertiam ſpeciem abit.

DLI. Species denique *grauiſſima*, choroideae nempe atque retinae tunicae inflammatio, notabilem pupillae coarctationem atque decolorationem ſummam, lucis intolerantiam, crudelem dolorem, febrem acutam continuam, ſenſum repletae orbitae maxime dolorificum, cephalalgiam, deliria, ſpasmos et alia maximae phlogoſeos et congeſtionis ſanguineae ſymptomata adfert, neque tamen ſemper conjunctiuam rubore conſpicuo ſuffundens: dolor verſus apophyſin externam oſſis frontis adeo grauis interdum eſt, vt aegri nullam in oculo morbum adeſſe credant. Haec, niſi cito reſoluatur, ad tertium diem interdum jam in ſuppurationem vel corruptionem abit.

DLII. Generalis ophthalmiae *cauſſa proxima*, non ſecus ac in quauis alia inflammatione, eſt excitata ab irritamento vis vitalis, vnde nerui adficiuntur, adfluxus humorum augetur, major caloris gradus excitatur, vaſorum irritabilitas peruer-

titur,

titur, et varia phlogoſeos verae (CCCCXLIV), mixtae (CCCCXCI.), ſpuriae (DXL.) ſymptomata, cum majore minore organi viſus laeſione produci poſſunt.

DLIII. Cauſſae *remotae* irritamenti in ipſo organo haerent vel forinſecus admouentur eidem.

*a*) *internae* ſunt metaſtaſes variae, vti perſpirationis ſeu ſudoris a qualicunque cauſſa cohibitio, ſeu imminutio; euacuationum ſolitarum, ſanguinearum inprimis, ſuppreſſio; exanthematum chronicorum vel acutorum repulſio ſeu horum acrimoniae ad oculos depoſitio, ſcabiei, impetiginis, cruſtae lacteae, tineae, herpetum, puſtularum faciei, variolarum, morbillorum, ſcarlatinae, gonorrhoeae porro virulentae cohibitio; miasma venereum, ſcrophuloſum, cancroſum, rhachiticum, purulentum; tumores varii ſubſidentes; vlcera critica vel inueterata ſponte vel mala arte ſiccata; rheumatismus, arthritis oberrans, vel ob anomaliam vel retroceſſionem; irritabilitas, ſenſilitas oculi ſ. totius corporis juſto major; illius peculiaris ſimul debilitas cet.; emetica, febres catharrales, intermittentes, laruatae; ſpasmi hyſterici, hypochondriaci, col-

colluuies humorum prauorum ac vermium in primis viis; ingeſta acria ſ. idioſyncraſiae aduerſa; lac prauum nutricum. Porro plethora praeſertim particularis, ſiue congeſtiones ſanguinis; atonia oculi eundem morbum jam ſemel vel frequentius paſſi.

b) ad *externas* cauſſas pertinent omnis ſtimulus externus ſ. mechanicus ſ. chemicus, tempeſtates variantes, frigus, calor, lux nimia, objecta minutula viſum fatigantia, ventus, fumus, vapor irritans. puluis et alia corpuſcula caſu illapſa, trichiaſis, diſtichiaſis, lucubratio immodica, laeſio externa quaeuis, contuſio, vulnus, frictio improba, morbi varii capitis, narium, dentium cet. vel ob conſenſum vel ob organorum vicinitatem, ophthalmiam inducere poſſunt, ipſae denique operationes chirurgicae.

DLIV. Ophthalmiae *ſymptomata* in vniuerſum in binas claſſes diſtingui poſſunt:

a) *prior* ad indolem et gradum morbi varia illa comprehendit, quae cuiuis inflammationi ſunt communia, vti *rubor*, *tumor*, *dolor*, *febris* cet.

*b*) *altera* ea, quae ex oculorum fabrica ac eorum cum partibus vicinis conſenſu pendentia ophthalmiae ſunt propria, vti *dolor capitis* vt plurimum pulſatorius aut punctorius; *ſpasmi* et *conuulſiones* pupillae, myoſin ſ. anguſtationem interdum permanentem, ſi luci oculus aduertitur, ob majorem ſtimuli morboſi intenſitatem, vel alienam ejus figuram inducentes, palpebrarum, muſculorum faciei, quos ſpasmos in ipſas diſtantes partes excurrere poſſe compertum eſt; *lucis intolerantia*, *epiphora*, *ectropium*, *entropium*, *palpebrarum ciliorumque* ex materia ſpiſſa puriformi exſudante oriunda *conglutinatio*, noctu ac ſomni tempore praecipue, vel palpebris ob tumorem clauſis, *viſus* denique reſpectiua *imminutio*.

DLV. Effectus *conſecutiui* ophthalmiae pro diuerſa morbi ſede (DXLVI.), natura (DXLIV.), cauſſa (DLII.), vehementia (DXLVIII.), medicatione, variantes ſunt

*a*) aut communes inflammationis effectus ſuppuratio, vnguem, hypopyon, vlcerationem tarſorum, conjunctiuae, corneae, choroideae, cellulofae orbitalis inducens; ſanguinis in caua et cellu-

loſ

losam oculi transsudatio; scirrhus; cancer; gangraena.

*b*) aut proprii ophthalmiae, leucoma, pterygium, ancyloblepharon; iridis fissura, decoloratio, staphyloma: cataractae variae, amaurosis; viarum lacrymalium impedimenta, tumores varii. Interdum quoque satis diu post dissipatam inflammationem, morbosa oculi sensilitas ac lucis intolerantia et dispositio ad nouam inflammationem remanere potest.

DLVI. Ophthalmiae *prognosis* de morbi gradu indoleque et difficultate caussae tollendae pendet. In vniuersum soluitur aut benigna resolutione, aut crisi per haemorrhagiam narium, sudore, aluifluxu, metastasi salutari, aut febri, aut temporis diuturnitate, si vires vitae majorem energiam contraxerint; quod nisi succedat, varia eaque insanabilia visus nocumenta succedere possunt. Ophthalmia chronica difficillimam interdum curationem admittit, non nisi constanti ac indefesso remediorum vsu obtinendam.

DLVII. Ophthalmiae *curatio*, in vniuersum praecipit ea, quae circa inflammationis chirurgiam antea (CCCCLXV.) monuimus; prae omnibus vero stimuli externi, interni cogniti, ablationem, diminutionem, debilitationem, quae in-

indicatio in inflammationum tractatione omnibus aliis palmam praeripere videtur, saepissime quoque reliqua therapia antiphlogistica jungenda; in qua indicatione prosequenda sedulo, ad inflammationis sedem, ambitum, caussam, gradum, cet. respicere oportet.

DLVIII. Stimuli *externi ablatio* in sananda ophthalmia quae hanc admittit, omnium prima est indicatio, etenim subsistente caussa, effectus vt permaneat necesse est; vnde

*a*) *illapsa* vt puluis, insectum, micae lapidum aut metallorum aliaque corpora aliena, explorata in antecessum diductis palpebris tota oculi externa, ac palpebrarum interna superficiei, eximenda, aut *instrumentorum*, *forcipis* vel *acus minoris* ope, si corpus alienum detegi et comprehendi possit; aut *elutione* frequenti oculi, aqua tepida, mucilagine radicis altheae s. seminum cydoniorum s. lacte crocato, aut ope peluis ophthalmicae pro balneo oculari, vel injectione syringis, vel vasculi e resina elastica confecti tubo praediti ope instituta; aut stylo linteo tenui inuoluto detergitur, aut corpus detectum acu tenui educitur; aut magnete siue artificiali, siue naturali, quo admoto ferri

ferri ſcoria ita exilis, vt inſtrumentis adprehendi haud queat, ſaepe educitur.

*b*) *cilia irritantia* vel *eradicatione* vel palbrae *inuerſione* emplaſtri ope vel *operatione* ſecundum artem ſuo loco dicendam removeantur.

*c*) tumores irritantes, ſi forte adſint, exſtirpandi.

Omnis praeterea ophthalmia ab injuria externa praeter ablationem excitamenti remedia poſcit generalia antiphlogiſtica antea (CCCCLXV.) expoſita ad morbi vehementiam adornata.

DLIX. *Stimulus internus* ſeu morbus praegreſſus ophthalmiam interdum acutam ſaepius chronicam inducens, alens, partim vrgente morbi vehementia remediis generalibus externis, internis (CCCCLXV.) expoſitis, maxime vero *debellatur* ſpecificis morbi primarii genio adornatis. Inde ophthalmia *ſi ſigna colluuiei ſeu acrimoniae in primis viis* adſint, emeticis, deinde laxantibus, quin ipſis catharticis ſedulo repetitis debellatur, quibus humores ſimul de parte adfecta reuelluntur. *Rheumatica*, diaphoretica, camphoram, aconitum, pulſatillam, cicutam aliaque poſcit in rheumatismi chirurgia expoſita. Si a *habitu ſcrophuloſo* ſeu a *cauſa venerea* orta fuerit ophthalmia, ſpecifica horum morborum therapia indicatur. *Variolas* interdum nunc comitatur,

ſae-

ſaepius ſequitur ophthalmia grauiſſima, ſparſim a variolis in ipſa cornea transparenti ſitis, raro a retento pone palpebras tumidas atque conglutinatas liquido acriori, ſaepiſſime a metaſtaſi materiae varioloſae naturae vel artis viribus haud plane eliminatae, remediis generalibus, ſedula euacuatione per cutem, aluum, vrinam debellanda. Incipientem jam ſuppurationem adhibita ſimul electrizatione idonea ac illinitione naphthae ad palpebras auertere nobis licuit. Ophthalmia *morbilloſa* ac *ſcarlatina* ſimilem therapiam poſcit. Ophthalmia *periodica* ſtatis temporibus recurrens, haud cum ea, vbi remiſſiones ſymptomatum obſeruantur, confundenda, abſente alia cauſa ſtimulante corticis vſum requirit.

DLX. Ophthalmia oriunda a *ſcabie* aut *gonorrhoea* repulſa, ad omnia quaeuis praeſidia rebellis vix ac ne vix quidem, niſi *reuocetur* morbus primarius, ſanatur; huic ſcopo inoculatio gonorrhoeae ope bacilli cerei in vrethram gonorrhoea laborantis immiſſi, qui bene inunctus confeſtim tunc in vrethram viri ex morbo ſuppreſſo laborantis introducebatur, adhibita fuit. Securius tamen gonorrhoea laxantibus lenioribus, emetico, diureticis, epithemate emolliente circa genitalia, ac ſimplicis cerei immiſſione reuocatur. Simili modo ſcabies crebra ſcabioſorum contrectatione, nocturno adcubitu in eodem lecto,

vel

vel geſtatione induſiorum, manicarum, tibialium a ſcabioſis geſtatorum ſanieque adhuc ſcabioſa ſordidorum, revocari poteſt. Praeſtat tamen morbum frictionibus, balneis, ſinapismis, veſicatoriis, ſulphure, camphora, emeticis, diaphoreticis reuocare.

DLXI. Datur alia ophthalmiae ſpecies *purulenta* dicta, in qua materia purulenta ſebacea palpebras, noctu praeſertim, conglutinare ſolet; morbus ſaepiſſime chronicus, interdum quidem genii venerei ſeu ſcrophuloſi propriam medelam poſcens; interdum tamen morbus eſt localis, balſamo ophthalmico rubro Diſpenſatorii Hafnienſis, vnguento citrino Diſpenſatorii Edinenſis, vel ſolutione grani mercurii ſublimati in ſex vnciis aquae, debellandus. Similis ophthalmia purulenta, in tenellis infantibus ſparſim obuia, in qua materia purulenta ſpiſſa pone palpebras accumulatur, a mora et acrimonia omnino nociua, in coecitatem oculique corruptionem abire poteſt. Morbus eductionem liquidi retenti et remedia adſtringentia poſcit. Si palpebrae dimoueri haud poſſint, ſolutio tenuiſſima vitrioli albi vel aluminis ope ſyringis minoris ad canthum oculi externum ſedulo injicienda erit. Diductionem palpebrarum ac puris retenti euacuationem lingua matris vel nutricis, ſaepius lambendo

bendo oculum affectum, optime ſuo cedere ſaepe obſervavimus.

DLXII. Cauſa excitans ſi auferri nequit vel haud amplius ſubſiſtat, aut ſi ſymptomatum grauitas pericula minentur, in eo verſatur cura ophthalmiae, vti aliarum inflammationum, vt

*a*) exaltata vis vitalis et neruorum impreſſio morboſa diminuatur, ſupprima ur;

*b*) ſanguis in parte inflammata accumulatus euacuetur, deriuetur, reuelletur, attenuetur ejusque diſpoſitio ad coagulationem et organiſationem minuatur,

*c*) nimius calor animalis figatur ſeu conductoribus idoneis eliminetur.

*d*) vaſis dilatatis rubor reddatur; et

*e*) ſymptomatibus denique occurratur.

Quibus indicationibus ſequentia egregie ſatisfaciunt.

DLXIII. Antiphlogiſtica *ſanguinis miſſio* (CDLXX.) in brachio, pede, vena jugulari, arteria temporali, fronte adhibenda. Cum vero phlebotomia majores tantum venas euacuans, in minimas parum admodum poſſit, hùjusmodi ſanguinis miſſiones non niſi pro minuenda plethora morboſe excitata vi vitali atque febri conſenſuali pro morbi grauitate adhibentur, quo facto efficacius ad ſanguinis *miſſiones locales* dictas recur-

curritur, inter quas primum locum tenet ſanguiſugium ope hirudinum inſtituendum, quorum adplicatio debita (CCXXX.) circa palpebras aut in canthis, et pro re nata ſaepius quidem repetita, tempeſtiue adhibita, miram vim inflammationem reſoluendi, ac ſymptomata ſecundaria auertendi monſtrat. Minori longe vi gaudent ſcarificationes temporum, occipitis, nuchae. Adnatae denique ipſius ex inflammatione tumentis vaſa ſanguine turgida, varicoſa, in vehementiſſima chemoſi, ſuppurationem proximam minitante, forfice aut lanceola maximo cum emolumento transſcinduntur; vel, quod melius, pars conjunctiuae forcipis ſeu hamuli ope eleuata exſcinditur, pro ſanguine in vaſis exſuperante euacuando, tam praeſenti interdum auxilio, vt omnibus aliis praeſidiis incaſſum adhibitis, hacce demum ſcarificatione omne ſuppurationis periculum ocyus auerſum fuiſſe obſeruatum ſit.

DLXIV. Quod attinet *veſicatoria*, quorum vſus nonnullis quidem ſuſpectus, inſignem tamen in ophthalmia vtilitatem habent, egregie ortam diſſipant inflammationem; in primis illa proſunt, quae magna ſunt, et loco, qui ab oculo adfecto non nimis diſtat, adplicantur, et ſi vlceratio, quam inducunt, diu potrahitur; inde nuchae, pone aures, immo ipſis temporibus, vel a capitis vertice ad ſinciput impoſita

valde

valde profunt; quin ipfam corneae claritatem fub veficatoriorum vfu rediiffe compertum eft.

DLXV. Porro *fonticuli* et *fetacea* in ophthalmiis, chronicis praecipue, praeclari vfus funt, atque ad brachia, verticem, nucham, maftoideam apophyfin, auriculam, inducta mire profunt. Horum vlcerum excitatio praecipue indicatur in ophthalmia recidiua, facillime recurrente; fi morbus aliis mitioribus remediis haud cedit, epiphora acerrima adeft, atque humorum acrimonia ad oculos depofita aliorfum deriuanda; notandum tamen euacuationes fanguineas dictas femper praemittendas; vlcera artificialia in latere maxime adfecto excitanda, diu fouenda, ac renato morbo renouanda effe; non juuante denique fonticulo, fetaceum ducendum effe. Dantur tamen fubjecta macilenta, laxa, debilia, cachectica, quae vlcerum artificialium excitationem haud ferunt.

DLXVI. Minori quamuis vi reuellente gaudentia, *haud* tamen *negligenda auxilia* externa funt cucurbitae (CCXXI.), errhina (CCLXXV.), apophlegmatismi (CCLXX.), rubefacientia (CCXLIX.), balnea, pediluuia, capitis tonfura.

DLXVII. Inflammationis *refolutionem* faciliorem reddunt, ftagnantium vel effuforum *reforbtionem* adjuuant, vaforum laxatorum *robur refti-*

*reſtituunt* varia remedia externa vel ſimplicia vel ex iisdem compoſita.

DLXVIII. Simplicia ſunt

*a*) *reſoluentia* ſtimulantia, inter quae camphorae halitus principem locum tenere videtur; herbae diſcutientes, reſoluentes (CCCCLXXII.) expoſitae.

*b*) *emollientia*, vti albumen oui, mucilagines vegetabiles v. c. radicis altheae, ſeminum cydoniorum, lini, muſci Islandici; decocta et cataplasmata herbarum emollientium, axungiae recentes, oleum nucis.

*c*) *adſtringentia leniora* varia, aqua roſarum, plantaginis, euphraſiae; acetum, pomorum pulpa: *fortiora* alumen, lapis divinus, vitriolum album, coeruleum, tutia, zinci flores, ſaturnina, decoctum corticis peruuiani.

*d*) *refrigerantia*, vti aqua frigida, nix, glacies, ſpiritus vini camphoratus, ſalis ammoniaci aromaticus, aether, ex palma vel linteo in oculum euaporans.

*e*) opium vino ſolutum, vel laudanum liquidum Sydenhami; crocus, ſolanum, cicuta, hyoſcyamus; opium praeſertim in omni ophthalmia dolore grauiore juncta mire prodeſt.

*f*) mer-

f) *mercurialia*, vti mercurius praecipitatus ruber butyro recentiſſimo commixtus, ſolutio tenuiſſima mercurii ſublimati vtiliter opio et camphora jungenda et frictiones mercuriales, ſi miasma venereum in cauſſa ſit.

g) *electricitatem* denique rite adminiſtratam (CCXCIV.) in ophthalmia valde conducere recentioribus obſeruationibus compertum eſt.

DLXIX. Ex prioribus *compoſita* ſunt praecipue, aquae ophthalmicae, collyria, epithemata et vnguenta ex variis remediis ita conflata, vt vno remedio adplicato pluribus indicationibus ſimul proſpiciatur. Verum ſi vſpiam, in his certe, prudenti opus eſt delectu pro vario morbi ſtatu ac indole. Ex omni autem formularum ophthalmicarum farragine vbique in practicis autoribus diſperſa ſagacitas chirurgi ea eligat et componat, quae indicationi cauſſae morbi ac conſtitutioni aegroti maxime adpropriata videntur. In ophthalmia marginis palpebrarum chronica ſolutio grani mercurii ſublimati in ſex vnciis aquae roſarum nobis quoque mire profuit, addita inprimis dimidia drachma Laudani.

DLXX. Quoad remediorum ophthalmicorum vſum in vniuerſum *notandum*

α) fri-

*a*) frigida ſaepiſſime repetita in vniuerſum in primis morbi diebus praecipue a violentia externa exorti maxime conuenire; diutius protracta ob inflammationis repercuſſionem nocere poſſe:

*b*) reſoluentia tepida in vberiori morbi decurſu magis conducunt:

*c*) ophthalmiae ſiccae cum palpebrarum conglutinatione, tepida, mucilaginoſa, vnguenta, balſama; humidae, aquae ophthalmicae magis adpropriata videntur:

*d*) vaſorum debilitas adſtringentia vitriolata ſaturnina frigida poſcit: aqua potius inſtillatione guttularum ad canthum oculi internum reflexo capite repetita, quam ope lintei applicentur, vtpote ob ſequentem duritiem nociui, nec locum adfectum attingentes.

*e*) remedia palpebras conglutinantia vitentur, clauſaeque ſaepius diducantur, cum acrium lacrimarum cohibitio corneae laeſionem inducere poſſit: notandum tamen palpebras nunquam violenter dimouendas eſſe, ſi conglutinatae fuerint, ſed aqua tepida vel lacte crocato lente abluendas, vt absque injuria diduci poſſint.

*f*) om-

f) omnis ſtrictior deligatio oculique preſſio ſedulo vitanda; topica inde aut absque faſciis imponenda, aut ſi abeſſe nequeant, laxiſſime adplicandae; vti alia nocentia, radiorum lucis imprimis irritatio, ſtrenue euitanda:

g) ea denique, quae circa inflammationis verae, mixtae ac ſpuriae therapiam antea monita ſunt, in ophthalmiae curatione haud negligantur.

Effectus conſecutiui ophthalmiae (DLV.) expoſiti, propriam medelam poſcunt, ſuo loco exponendam.

## *Inflammationes aurium, naſi, lingua.*

DLXXI. Inflammatio *aurium*, *naſi*, *linguae*, eſt aut phlegmonoſa genuina, aut mixta, aut ſpuria: eadem vel externas partes occupat, vel interiores inuadit; prior in ſenſus incurrit, poſterior ſignis rationalibus dignoſcitur: malum eſt vel idiopathicum, vel ſymptomaticum, vtrumque therapiam requirit in inflammationum et dolorum hiſtoria expoſitam, genio ac indoli morbi adpropriatam. Linguae inflammationem grauiſſimam, vias aëreas occludentem, anginae ſpeciem creantem, profunda linguae inciſione ſanatam fuiſſe compertum eſt.

Pa-

## *Parotis et bubo inflammatorius.*

DLXXII. Glandulae conglomeratae et conglobatae interdum quoque phlogosi verae, mixtae, vel spuriae sunt obnoxiae; sic glandula parotis *parotidem inflammatoriam*, axillaris vero et inguinalis *bubonem inflammatorium* sistit. Raro hae inflammationes in vniuersum sunt idiopathicae, saepissime symptomaticae, alius morbi comites et effectus, sympathicae, metastaticae, criticae. Lente inflammationes glandularum generaliter nascuntur, lentius recedunt, difficulter solubiles, neque facilius suppurantes, rarius in gangraenam transeuntes, in indurationem pronissimae generalem inflammationum therapiam (CCCCLX. CCCCLXXXIV.) requirunt, haud neglecto simul morbo primario. Inflammationes glandularum in suppurationem vel indurationem transeuntes therapiam sequuntur in abscessuum, vlcerum ac phymatum chirurgia exponendam.

DLXXIII. *Parotis* inflammatoria a variis excitamentis, inflammationem cientibus (CCCCXLVI.) *induci* potest. Haud infrequentes causae sunt: eruptiones cutaneae, herpes, scabies, tinea suppressa, dens cariosus, dentitio difficilis, febres continuæ variæ, biliosæ, neruosæ, putridae. In vniuersum quidem suppuratio hujus glandulae auertenda erit, cum saepe vlcera mali moris,

quin

quin fiſtula ſaliualis illam ſequantur. Promouenda tamen erit ſuppuratio

*a*) in omnibus tumoribus criticis, ad regulas in abſceſſus critici chirurgia vberius exponendas

*b*) ſi grauia ſymptomata, trismus, deliria, ſopor, apoplexia, reſpiratio et deglutitio difficilis vrgeant; ſub quo rerum ſtatu ſuppuratio promouenda et tumor fluctuans ſ. valde tenſus cito aperiendus erit.

DLXXIV. Interdum *parotis* inflammatoria eſt *epidemica*, nonnullis angina parotidea dicta, praegreſſa nimirum leniori febri, tumor glanduloſus ad angulum maxillae inferioris ſe manifeſtat, qui mox per magnam colli partem vel vnius vel vtriusque lateris ſe extendit, ad quartum vsque diem increſcit, deinde ſenſim ſub leni ſudore decreſcit; hic ſi haud ſuperueniat ſub tumoris decremento febrisque exacerbatione in viris teſtes, in foeminis mammae tumore ſaepe adficiuntur aegri, lente diſſipando; et hic quoque tumor ſudore ſoluitur; ſi recedat absque ſudore aut parotidem iterum petit morbus, aut ad partes internas nobiliores, ſub maximo vitae diſcrimine defertur. Sanatur morbus vt plurimum ſimplici regimine antiphlogiſtico leniter diaphoretico, laxante. Praemature retrogreſſus

tumor

tumor febrem auctam inducens, aut metaſtaſin ad interiores partes minans, cataplasmate emollienti, ſinapismis, veſicatoriis collo vel ſcroto impoſitis, emeticis ad ſedem priſtinam tempeſtiue reuocetur.

## *Angina.*

DLXXV. Angina in vniuerſum *dici ſolet* reſpirationis, vel deglutitionis, vel vtriusque impeditio, a morboſo faucium aut partium vicinarum ſtatu pendens.

DLXXVI. Hoc malum vario reſpectu valde diverſum eſt, maxime notabilem vero *differentiam* ſiſtit morbi diuerſa

*a*) ſedes et

*b*) indoles.

DLXXVII. Quoad morbi *ſedem*

*a*) aut in ipſo larynge et arteria aſpera,

*b*) aut in pharynge et oeſophago,

*c*) aut in partibus vicinis, tonſillis, velo palatino, vuula, lingua, glandulis ſubmaxillaribus, ſublingualibus, parotidibus reſidet morbus.

DLXXVIII. Quoad morbi *indolem* angina eſt

*a*) vel vere *inflammatoria phlegmonoidea*, cynanche inflammatoria dicta, genuinae phlogoſeos ſymptomatibus copulata,

b) vel *maligna gangraenoſa* breui praegreſſa inflammatione, cito in gangraenam tranſiens,

c) vel *polypoſa*, ſub catarrhali, eryſipe-toſa inflammatione, depoſitione mate-riae lymphaticae coagulabilis in cauo laryngis et tracheae comitata. Quae ſpecies hic potiſſimum veniunt conſide-randae,

d) vel denique *ſpuria*, ſi ſpiritus alimen-tiue viae vel tumoribus frigidis variis comprimuntur, ſeu ſpasmo anguſtan-tur, vel corporibus alienis obturantur, vel paralyſi relaxantur, vel vlcere af-fliguntur, vel excreſcentiis occludun-tur, quae omnia alio loco exponenda.

## *Angina inflammatoria.*

DLXXIX. Ipſius *laryngis* ſ. tracheae *inflam-mationem indicant* ſigna inflammationis generalia, febris acuta et fere ardens, vox ſibilans, acuta, clangoſa; vehemens ſub inſpiratione dolor, ſub deglutitione vocumque articulatione immaniter auctus; reſpiratio frequens, parua, laborioſa; ſucceſſiua circulationis ſanguinis per pulmones impeditio; facies florida, deinde liuescens, pul-ſus mire vacillans, anxietas intolerabilis, conti-nuus

nuus suffocationis metus; morte, nisi cito adferatur auxilium, insequente.

DLXXX. Inflammatio *pharyngem inuadens noscitur* ex ruboris atque tumoris, inspectis faucibus, apparentia, respiratione satis commoda, deglutitione dolenti, difficili, impossibili; materia deglutienda per nares regurgitatur, aut in tracheam pulsa tussim violentam excitat; febris non adeo intensa; neque tam celeriter mortem adducit haecce species, quam prior.

DLXXXI. *Diagnosis* inflammationis *partium* laryngi et pharyngi *vicinarum*, veli palatini, vuulae, tonsillarum, glandulae thyroideae, parotidis, submaxillaris, sublingualis, tubae Eustachianae, musculorum adjacentium, ex signis inflammationis generalibus, visu tactuque notatis atque respectiua functionis partium laesione sumenda; saepissime faucium summa siccitas, rubor profundior, adfluxus pituitae cum molestia excreandae, dolor aurium acutus interdum, simul adsunt. In vniuersum adcurata partium cognitio anatomica, et symptomatum obseruatio sedem et gradum harum inflammationum earumque commixtionem optime definiunt.

DLXXXII. Anginae inflammatoriae genuinae *caussa proxima* est irritamentum. *Caussae remotae* sunt

a) vel *externae* ſicut frigus ipſis faucibus admotum, praecipue aër frigidus, imo et calidus ſaepius in contrariam indolem mutatus, inprimis ſub motu corporis fortiore vehementius in fauces irruens, vti equitatione et curſu aduerſo vento factis; nimius gutturis labor in vociferando et declamando, venena et alia acria v. c. pollen calcis viuae; ptyalismus mercurialis errore quouis ſuppreſſus, combuſtio cet.

b) vel *internae*, ſicut varii morbi febriles exanthematici, inflammatorii, arthritis, rheumatismus, lues venerea, metaſtaſis materiae morboſae ad fauces et loca vicina directae v. c. in ſcarlatina, morbillis, variolis cet. Vnde patet anginam inflammatoriam exquiſitam perinde ac ophthalmiam vel idiopathicam eſſe, vel ſympathicam, vel ſymptomaticam, vel metaſtaticam.

DLXXXIII. Anginae *prognoſin* quod ſpectat, locus adfectus et vehementia ſymptomatum potiſſimum attendi meretur. In vniuerſum hic morbus nunquam omni periculo caret, quod quidem eo grauius eſt, quo magis impermeabiles fiunt aëris alimentiue viae. Inflammatio *laryngis* ſi conſpici nequit, peſſima, eo magis quidem,

dem, quo difficilius ſimul per pulmones agitur ſanguis. Profundius haerens inflammatio ſi adſcendit et tumorem ruboremque conſpicuum praebet, bonum; malum vero, ſi apparens in faucibus tumor ſub ſymptomatum augmento euaneſcit. Larynge grauiter adfecto niſi breui reſoluatur inflammatio, aut pus coaceruatum tempeſtiue educatur, aut citum adferatur auxilium, vel celeri ſuffocatione vel pulmonum inflammatione pereunt aegroti, vel, quod rarius accidit, gangraena laxas has partes occupat. Pharyngem occupans inflammatio praeter nutritionis difficultatem, niſi malum ad vias aëreas proſerpat, neque febrem adeo intenſam, neque tam celeriter vitae periculum inducit. Criſis per vrinam, ſudorem, haemorrhagiam narium, ſputum purulentum, artuum dolores accedentes morbi ſolutionem indicant. Quae tonſillas occupat inflammatio, ſat facilem admittit reſolutionem, male autem, praecipue remediis adſtringentibus praepoſtere tractata vel valde vehemens, in ſuppurationem vel indurationem chronicam, diu aegrotos vexantem, raro in gangraenam abire poteſt. Abſceſſus ruptus citum leuamen adfert, in tracheam effuſum pus vno momento necare poteſt.

DLXXXIV. Anginae vere inflammatoriae chirurgia ſemper reſolutionem inflammationis indi-

indicans, verſatur potiſſimum in cauſſae remotae (DLXXII.) ablatione ejusque effectus diminutione. Cui ſcopo praecipue inſeruit methodus antiphlogiſtica (CCCCLXV.) ſtrenue adhibita: ſanguinis miſſio larga repetita, primo euacuatoria, ſpoliatoria in brachio vel pede, deinde deriuatoria, in collo, temporibus, ſub lingua; ſanguiſugio, ſcarificatione; aluum ducentia antiphlogiſtica repetita, clysmata paullo acriora, vaporis ex aqua cum herbis reſolventibus cocta, addito aceto per tubum, ventilo praeditum, e vaſe frequens inſpiratio, collutiones oris, injectiones lenes, prouidae, gargarismata diſcutientia, leniter adſtringentia, acida, camphorata, quae tamen in grauiori inflammatione vix adhibenda, difficilius exercentur, et locum adfectum vix attingunt; cataplasmata emollientia, ſinapismi, veſicatoria circa collum impoſita; epiſpaſtica; maniluuia, pediluuia; quae omnia ex indicatione ſpeciali dijudicanda et inflammationis ſtadiis probe accommodanda ſunt. Laudatur quoque ſpiritus Mindereri cum octuplo ſalis ammoniaci pro vſu interno. Quae febrem ſcarlatinam, varioloſam, morbilloſam cet. comitatur vera faucium inflammatio, idonea morbi, cujus ſymptoma eſt, medicatione plerumque reſoluitur adque deſquamationem deducitur; ſi vehementior fuerit, dicta praeterea auxilia in vſum vocari poſſunt. Faucium

cium abſceſſus poſt veriorem inflammationem vel metaſtaſin ortus, ſignis (CCCCLXXXVIII.) ſuis characteriſticis cognoſcendus, tempeſtiuam, ope pharyngotomi idonei, ſeu ſcalpelli, vel lanceolae verſus apicem vsque inuolutae incilionem, vrgente morbo, vel ante perfectam maturitatem inſtituendam, requirit.

DLXXXV. Vbicunque vero haec omnia fruſtra ſunt, et ſtrangulationis periculum imminet, impedito ſaltem ſpiritui via eſt aperienda, inſtituta nempe tempeſtiue tracheotomia; quo facto reſpiratio per tubum curuatum inter annulos paracenterii ope perductum ſuccedere poteſt, aliisque interea remediis tempus conceditur. Hoc tamen auxilio miſeros illos carere oportet, in quibus infra locum tuto incidendum reſidet obſtructio, vel ipſi pulmones ob ſanguinem jam nimis accumulatum ad functionem ſuam peragendam inhabiles ſunt facti. Quamdiu vero alimentis tranſitus eſt praecluſus, clysmatibus nutritiuis alendus eſt aegrotus, qua via etiam ingerenda ſunt medicamina interna. Ipſius tracheotomiae hiſtoriam in ſuffocationum doctrina, quando de vulneribus atque abſceſſibus et vlceribus jam actum fuerit, trademus. In angina habituali, ſaepius recidiua, malum gargarismate aluminoſo tempeſtiue adhibito auerſum fuit.

*An-*

## *Angina gangraenoſa.*

DLXXXVI. Angina *maligna* etiam *gangraenoſa* dicta, cum inflammatoria genuina in gangraenam terminata minime confundenda, ad certas febres putridas potius pertinet, eſtque morbus epidemicus omnis aetatis homines, ſaepiſſime tamen juvenes ac debiles inuadens. Fauces in hoc morbo primum eryſipelate adficiuntur, deinde maculis albicantibus cinereis cito in eſcharas gangraenoſas tranſituris, quibus ſolutis, vlcerationes plumbeo nigricante colore adparent, cum reſpectiua deglutitionis et reſpirationis difficultate; halitus ſimul foetidus, effluxus humoris acris putridi e naribus, pulſus paruus, celer, irregularis, virium cita proſtratio, delirium vel ſopor ſimul adſunt. Haud raro accedit eruptio cutanea ſcarlatinam ſ. purpuram mentiens, cujus apparentia vel inſequens deſquamatio morbum haud ſemper leuat; glandulae lymphaticae colli ſaepe ſimul tumore inſigni adficiuntur. Interdum raro tamen morbus cum angina membranacea jungitur.

DLXXXVII. Hujus morbi *prognoſis* ſemper anceps et valde ambigua. Sibi relictus morbus ante tertium diem necare ſolet, raro ad ſeptimum vsque protrahitur. Mature cognitus, rite tractatus, nec methodo antiphlogiſtica tentatus

ſana-

ſanationem admittit, morbi vehementiae viribus aegroti ſimul paribus.

DLXXXVIII. *Therapia* hujus morbi omnibus viribus putredini obſtare debet; ſanguinis euacuationes in vniuerſum nocent ac intempeſtiue vires aegroti frangunt; fortiora emetica ſub primo morbi initio data, cortex pruuianus, acida mineralia, vinum generoſum aliaque in febribus putridis vſitata conducunt. Infuſum piperis Cayennenſis quoque laudatur. Externe collutiones oris frequentes, injectiones antiſepticae acidae, horum remediorum ope penicilli in partes adfectas frequens illinitio, talis vaporis per tubam ventilo praeditum (DLXXXIV.) inſpirationes adhibendae. In ſingularibus quibusdam epidemiis methodum antiſepticam nihil profuiſſe, mercurii vſum e contra majori doſi ad ſalivationem vsque adhibitum ſalutarem fuiſſe compertum eſt. Neque inutile erit notare, in tumoribus glandulosis, triſtis hujus morbi ſolutionem promittentibus, coctionem per emollientia minus tutam fuiſſe: quam continuam materiae morbificae attractionem et deſtructionem ope veſicantium.

## *Angina trachealis polypofa.*

DLXXXIX. Angina *trachealis membranacea* v. *polypofa eft* fiftulae aëreae catarrhalis inflammatio, cum depofitione materiae lymphaticae ad interiorem ejus fuperficiem, quae, nifi vel praematura mors vel remedia tempeftiue adhibita hoc impediant, in polypofum concrementum abit; morbus plerumque epidemicus contagiofus, attamen et aliquando fporadicus, infantibus maxime familiaris eft., et vix vnquam adultis infidiatur.

DXC. Eadem eft *materies*, quam ea, quae cruftam inflammatoriam conftituit. Similes transfudationes materiae lymphaticae, minime mucofae, fub inflammatione, rariffime genuina, vt plurimum eryfipelatofa, catarrhali, rheumatica, in variis quoque aliis locis, nafo, faucibus, inteftinis, vefica vrinaria, vrethra, vlceribus variis cet. obferuantur.

DXCI. Morbi fuccincta *hiftoria* fequens eft diuerfa ftadia fatis regulariter percurrentis:

*a*) infantes amiffa folita hilaritate triftes ac morofi euadunt, folitoque magis calent, lingua albicans eft et impura, cum leuiori cephalalgia, fiti, fomnolentia et faciei aliquali tumore ac rubore; accedit mox leuis tracheae dolor,

lor, raro pungens, ſaepiſſime obtuſus, preſſo externe loco adfecto auctus.

*b*) leuioribus his morbi prodromis mox ſe jungere ſolet febris catarrhalis cum pulſu celeri, duro, narium ſtillicidio, tuſſicula ſicca, raucedine; quibus, adfectioni catarrhali plane ſimilibus, in nonnullis citius, in aliis tardius accedit.

*c*) reſpiratio difficilis tarda profunda plerumque, rarius celer, quam ſonus peculiaris comitatur gallinarum juniorum voci ſimillimus, in nonnullis ad ſingulam reſpirationem; in aliis ſi vel clamant vel tuſſiunt; ſub hac ſpiritus ducendi difficultate, fortiori tuſſi et interdum vomituritionibus, immo et vomitu vexantur aegri, cujus ope inſignis copia materiae caſeoſae, filamentoſae tenaciſſimae, denique pure commixtae ejici ſolet; vrina in hoc morbi ſtadio clara aquoſa; multis aegrotorum manus ac pedes tument, tonſillae vero rarius vel nunquam multum.

*d*) augetur ſenſim reſpirationis difficultas, miſerique tanta cum anxietate ſpiritum trahunt, vt ſuffocatio quouis momento immineat, pulſu nunc celeri, debili, molli

molli intermittente et vrina sedimento albo mucoso tenaci praedita; sub toto hoc morbi decursu illaesa vel saltem non valde difficilis manet deglutitio.

Omnia haec saepissime tanta cum velocitate fiunt, et simplex catarrhus in anginam trachealem et anginam polyposam abit, vt qui ne medicamentis quidem indigere paucas ante horas videbatur morbus, nunc omne saepius jam medelae genus respuat.

DXCII. *Exitus* morbi varius obseruatur:

*a*) nonnulli naturae beneficio, non solum copiosissimam (DXCI.) dictam materiam sed et frustula membranacea vel concretiones cauas, tubulosas, ramosas, figuram asperae arteriae perfecte imitantes, variae tamen longitudinis, crassitiei, tenacitatis, tussis seu vomitus ope rejiciunt, quo facto omnia cito in melius mutata videntur, nec raro; si omnis vel maxima saltem pars materiae ejecta fuerit, ex orci faucibus ereptus aeger pristinae sanitati restituitur:

*b*) remanente e contrario materiae dictae parte vel si cito regeneretur, sub fallaci, insidiarum pleno leuamine, omnibus denuo in pejus mutatis breui suffo-

focantur aegri, partim ob impeditum aëris tranſitum per pulmones, partim ob ſuppreſſa reſpirationis phaenomena chemica.

c) in aliis absque materiae obſtruentis ejectione omnia meliorem inducere faciem videntur; mox autem fallacem iſtam ſymptomatum quietem nouus excipit inſultus haud raro tam grauis, ut breuiſſimo temporis ſpatio, a mutato forſan tubuli polypoſi ſitu ſuffocetur aeger.

d) multi absque vlla excretione dicta tertio vel quarto immo jam ſecundo morbi die ſub ſumma ſpirandi difficultate necantur.

e) alii, quod rarius tamen accidit, aucta et increſcente reſpirationis anguſtia ceſſante denique tuſſi, pulſu intermittente tremulo facto ad decimum octauum morbi diem vitam protraxerunt, at demum vi morbi cedentes perierunt.

f) pauci denique ſuperato morbo ob pulmonum ſuccedentem ſuppurationem phthiſici euaſerunt.

DXCIII.

DXCIII. Ex omnibus allatis ſimul junctis morbus *dignoſcitur*, nullum enim ejus ſymptomatum (DXCI.) conſtans eſt, vt in omnibus reperiatur aut interdum haud abſit. Eorum vero connubium, cum aliorum morborum initio, decurſu ac exitu comparatum, docet, quomodo angina membranacea a vera cynanche tracheali, angina gangraenoſa, aphthoſa, aſthmate conuulſiuo, catarrho ſuffocatiuo, corporibus peregrinis arteriae aſperae impactis, ſimplici catarrho, aliisque morbi ſimilibus diſtingui poſſit. Maxime conſtantia ſigna ſunt catarrhalis in initio habitus, vox ſtridula, ſpirandi difficultas, tuſſis, materiae dictae alienae ejectio. Eo magis quidem hujus morbi diagnoſis ſcrupuloſiſſimam attentionem meretur, cum leuis momenti in initio videatur morbus grauiſſimus, et multi eique ſagaciſſimi naturae indagatores hanc aegritudinem cum aliis confuderint.

DXCIV. Hujus morbi *cauſſis praediſponentibus* omnia ea adnumeranda, quae vias aëreas vel debilitando vel irritando humorum coaceruationi favent, quibus ſolum humidum, paludoſae regiones, aëris pluuioſa vel nebuloſa conſtitutio, praegreſſi morbi reſpirationis organa praecipue adficientes, vti catarrhus diuturnus, ſcarlatina, morbilli, aſthma, tuſſis conuulſiua; quibus aetas infantilis merito adnumeratur. *Occaſio-*

*casionalis* morbi *caussa* semper paene est refrigerium praesertim pedum ac transspirationis suppressio.

DXCV. Anginae membranaceae *prognosin* quod attinet, in vniuersum perniciosissimis, acutissimis ac grauissimis, qui humanum genus infestant, morbis est adnumeranda; periculosius tamen longe est malum infantibus quam adultioribus; cum tenerior aetas prae adultiori, lymphatico latice abundet, exquisitiori praedita sit sensilitate, viribus ad remouendum obstaculum careat, ac remedia indicata difficilius in his administrentur. Maxime salus aegrotorum de matura atque acuta morbi diagnosi atque medicatione pendet: si in vllo, certe in hoc morbo in judicio ferendo cautissimus esse debet chirurgus, cum omnium symptomatum perfecta quies mortem haud raro instantem paucis modo minutis praecedat.

DXCVI. Anginae membranaceae *prophylaxis* si malum epidemice grassatur, vel mali jam exantlati reditus auerti debeat, potissimum in eo versatur, vt omne refrigerium angue pejus fugiant infantes; leuissimo suscepto refrigerio semicupium aliaque diaphoretica adhibeantur, et humores purgantibus ac variis reuellentibus a viis respirationis retrahantur.

DXCVII. Ipſius morbi *curatio* ad diuerſum gradum morbi triplicem praeſcribit therapiam.

*a*) ſi ex epidemicae conſtitutionis genio vel aliis quibuscunque ſignis, abſconditam morbi naturam mature detexerit chirurgus, omnem in eo ponat curam, vt inflammationi rariſſime genuinae, ſaepiſſime mixtae vel ſpuriae occurrat et inde materiae lymphaticae ad reſpirationis vias metaſtaſin impediat.

*b*) ſi vero vel morbo jam vlterius progreſſo, vel ob maturae diagnoſis errorem, vel remediis adhibitis auertendae metaſtaſi imparibus, malum jam vlterius proceſſerit; ad talia confugiatur remedia, quibus illud, quod praeter naturam arteriae aſperae inhaeret, eliminari poſſit.

*c*) ſymptomatum denique rationem habere oportet, quae vel ſub ipſo morbo vel eo jam ſuperato nocere poſſunt.

DXCVIII. *Prior indicatio* obtinetur remediis inflammationem compeſcentibus, et humores ad alias partes deriuantibus, reuellentibus. Vtrumque praeſtat vna alteraue cauta venaeſectio, in collo praecipue, ſi turgida ſentiatur jugularis vena, aetati ac viribus aegroti adcommodata, cum inflammationes haud genuinae, in infantibus praecipue in vniuerſum copioſas ſanguinis miſſiones haud

haud ferant; securius deinde ad minimum octo vel decem hirudines circa laryngem et asperam arteriam simul admoueantur, et sanguinis stillicidium e vulnusculis diu promoueatur; scarificationes ac cucurbitae quoque adhiberi possunt. Haud negligenda porro diaeta, ac remedia leniter diaphoretica, pediluuia et maniluuia tepida, laxantia antiphlogistica; cataplasmata emollientia, linimentum volatile, vesicatoria, inunctiones mercuriales; quorum si irritatio in infantibus extimescenda foret, opio nupta parti anteriori colli admouenda.

DXCIX. Indicatio secunda, eliminendae nempe materiae in respirationis viis peregrinae, obtinetur expectorantibus variis,

*a*) aut *interne* datis, cui scopo inseruit potus copiosissimus oxymelle commixtus, sal ammoniacum, radices senegae, squilla, colchicum, kermes minerale, sulphur antimonii auratum, tartarus emeticus, mercurii dulcis majores doses, cum experientia teste haud cito sub hoc morbo saliuationem moueant, si diarrhoea sequatur, opio jungendas.

*b*) aut *externis*, vaporis nempe aceti per spongiam vel tubum (DLXXXIV.) inspiratione. Haec omnia si irrita fuerint, mox ad tracheotomiam, plurium an-

nulorum tracheae nempe transſciſſionem, in ſuffocationum chirurgia exponendam, confugiendum eſſe ſuadent nonnulli, partim ad membranam alienam extrahendam, partim ad ſuffocationem, quae a rimae glottidis irritatae ſpaſtica conſtrictione oriri poſſit, auertendam. Haud diffitendum tamen, incertam omnino eſſe hanc medendi rationem; tubus etenim arteriae aſperae bronchiisque ita adhaeret, vel adeo mollis eſt, vt illius per inciſos tracheae annulos extractio haud ſuccedat. Bis ſub tali rerum ſtatu tracheotomiam ipſe inſtitui absque ſucceſſu. Neque vnicus, quantum ſcio hac operatione certo fato ereptus fuit.

DC. Dictorum (DXCVII. DXCVIII.) remediorum delectus, opportunitas atque adhibendi ratio, certe, ſi quae alia therapia, maximam medentis prudentiam atque ſagacitatem requirit, vt cita ac ſtrenue morbo atrociſſimo opponantur remedia, cum vnica aegrorum ſalus de matura atque acuta morbi diagnoſi et medicatione juſta tempeſtiua pendeat. Nulla inde catarrhalis adfectio aegritudine aliquali juncta parui facienda eſt, ſed aegri mox lecto, ſub regimine len-

dia

diaphoretico committantur et medentis auxilium tempeſtiue efflagitetur.

DCI. Sequens tractatio mihi proficua viſa fuit. Sub morbi trachealis prodromis ac certis primis indiciis, mox in ſubjectis fortioribus ſanguis e vena inciſa detrahendus erit, usque ad notabile reſpirationis leuamen. In ſubjectis debilioribus, vel ſi venae in adipoſa occultata detegi haud poſſint, de quatuor ad octo hirudines ad latera tracheae applicentur; cuius euacuationis reiteratio minus de pulſu, potius de reſpirationis difficultate, viribusque aegroti indicatur, cavendo ſemper, ne vires vitales a jactura ſanguinis, quam inflammationes haud phlegmonoideae minus ferunt, intempeſtiue frangantur. Evacuatione ſanguinea facta mox ſatis magnum veſicatorium nuchae imponitur, et lene laxans antiphlogiſticum tartaro ſtibiato nuptum porrigitur. Si cutis fuerit ſicca, balneum tepidum omnino indicatum eſt, praeſente ſudore nullam vtilitatis ſpeciem habere videtur. Hisce remediis a medente, tempeſtiue vocato, prudenter adhibitis, ſaepiſſime morbi progreſſum avertere licet; quod ſi ob nimis tardam opem vel morbi vehementiam haud contingat, mox ſimul ad vſum mercurii, opio nupti, majori doſi porrecti confugere neceſſe eſt, quod remedium in aliarum quoque inflammationum cura eximiam opem prae-

 ſtat,

ſtat, ſi ſatis magna doſi porrigitur. Quavis hora ipſis infantibus hydrargyri muriatici mitis granum cum ſingulis guttis laudani porrigi poterit, quo remedio non ſolum inflammatio infringitur, ſed quoque laryngis ſenſilitas ac irritabilitas, quibus ipſam tracheam longe ſuperat, ſedatur. Vix unquam ſaliuatio ſuccedit. Inunctiones mercuriales circa tracheam, urgente periculo, remediis dictis vtiliter ſungi poſſe obſervavimus.

DCII. Sedata dicta therapia inflammationis grauitate et transſudatione materiae lymphaticae, remanente reſpiratione ſtridula emetica leniora omnino indicata videntur; in initio morbi fortiora ac repetita ſuſpecta merito habentur.

DCIII. Symptomatibus hujus morbi ſecundariis praecipuis, pulmonum nimirum inflammationi, glottidis ſpasmo, ac debilitati vix quidem niſi tempeſtiua cauſſae ad methodum expoſitam ablatione rite occurritur. Phthiſis inſequens propriam medelam ſuo loco exponendam poſcit.

## *Angina ſpuria.*

DCIV. *Angina ſpuria*, in qua plane nulla inflammatio adeſſe ſolet, ſi ſpiritus alimentiue viae

*a*) vel ſpasmo anguſtantur:

*b*) vel paralyſi relaxantur:

*c*) vel corporibus alienis obturantur:

*d*)

*d*) vel tumoribus frigidis variis comprimuntur:

*e*) vel vlcere affliguntur, ad aliorum morborum pertractationem pertinet, suo loco exponendam.

## *Inflammatio mammarum.*

DCV. Mammarum muliebrium inflammatio ex signis hujus morbi characteristicis facili negotio *dignoscenda*,

*a*) aut cutem et textum cellulosum tantum occupat:

*b*) aut ipsam mammarum substantiam glandulosam inuadit. Vtramlibet *inducere* solent denegata vel insufficiens lactatio, lac spissum, refrigerium, rudis contrectatio, et violentiae externae, animi pathemata, ingesta spirituosa vel acida, fluxus catameniorum impeditus, lochia suppressa. Superficialis inflammatio aut *resoluitur* aut in *abscessum* abit; profunda vero vtramque difficilius admittit, in *indurationem* subsequentem pronissima, quin in ipsum *scirrhum* et *carcinoma*, rarissime tamen, degener.

DCVI. Inflammationis mammae *curatio* ad caussam morbi instituenda est, quod ex iis, quae de varia inflammationum specie antea dicta sunt,

facile

facile eruitur. In puerperis, inflammatio mammarum omnium frequentiſſima, *auertitur*, tempeſtiua et leni lactis eductione atque papillae ſuctionis ope protractione, plures hebdomades ante ipſum partum inſtituenda. Imminens aut jam praeſens morbus eandem lactis eductionem vario modo (CCLXXV.) inſtituendam poſcit; praeter generalem methodum antiphlogiſticam, frictiones mammarum leniores, laxantia antiphlogiſtica, potus parcior, fomenta vel emplaſtra reſoluentia ſaponacea, imo ipſa cataplasmata emollientia reſolutionem valde adjuuant. De abſceſſu, induratione, ſcirrho, carcinomate mammarum alio loco agetur.

## *Teſticulorum inflammatio.*

DXVII. Teſtis inflammatio vel in alterutro vel vtroque obuia, ex communibus phlogoſeos ſignis (CCLXXIX.) facile *dignoſcenda*, acutiſſimo dolore ad lumbos ſaepe extenſo, maxime ſub funiculi ſpermatici tenſione concomitata, vel epididymidem vel ipſum teſtem vel vtramque partem ſimul *occupare* poteſt, vel denique in ipſum funiculum ſpermaticum excurrit. Inflammationem interioris texturae teſtis minus eſſe doloriſicam, quam albugineae et celluloſae adjacentis experientia docuit. *Cauſſam in vniuerſum* praebent omnia, antea expoſita, quae inflammationi verae,

verae, mixtae, vel ſpuriae inducendae fauent. Ad *ſpeciales* hujus morbi *cauſſas* pertinent miasma venereum, varicocele, humor qualiscunque in vicinia teſtis effuſus, variae viarum vrinariarum adfectiones, calculus per vrethram deſcendens, gonorrhoea vehementior vel male tractata, infima coli flexura ſcybalis diſtenta, rheumatismus, arthritis cet. *Prognoſis* hujus morbi nunquam leuipendenda; etenim niſi tempeſtiue reſoluatur malum, aut ſuppuratio totam ſaepe partem adfectam conſumens, aut induratio in ſcirrhum et degenerationem carcinomatoſam pronisſima, aut ſarcocele, hydrocele et alia mala ſuo loco exponenda ſequi poſſunt.

DCVIII. *Curatio* hujus morbi citam reſolutionem exigens methodum in vniuerſum praeſcribit antiphlogiſticam expoſitam ad morbi genium attemperatam: a violentia externa inprimis exorta, tempeſtiuam epithematis frigidi, adſtringentis, ſaturnini, aut cataplasmatis, e mica panis, aqua ſaturnina commixta, adplicationem ſub cautelis (CCCCLXXVII.) dictis admittit, deinde reſoluentia fortiora (CCCCLXXVIII.) adhibeantur, inter quae fumigationes volatiles et camphora inſigni vi reſoluente gaudent; dolor acutior, praemiſſis ſanguinis miſſionibus, opii vſum externum et internum poſcit; enema opio commixtum valde profuit; a cauſſa venerea exorta inflam-

ma-

matio prudentem hydrargyri vſum, tam internum, quam externum, ſub vnguenti ſeu emplaſtri forma adplicandum requirit; gonorrhoea ſuppreſſa reuocanda eſt cereo immiſſo; in vniuerſum therapia ſagaciſſimae hujus morbi indagationi innititur. In omni vero teſtis inflammatione, hujus, ope ſuſpenſorii ſacciformis idonei, juſta ſuſtentatio nunquam negligenda. Tumorem teſtis indolorem inflammationis ſequelam aufert aconitum, dulcamara, emeticum quouis quarto die porrectum; vnguentum ex aequalibus partibus olei cornu cerui foetidi et ſpiritus cornu cerui cum duplo vnguenti mercurialis.

## *Phimoſis.*

DCIX. Phimoſis *dicitur* in vniuerſum quaevis inhabilitas praeputii ad detengendam glandem, ſiue natiua conformatione, ſiue morboſo hujus vel illius ſtatu, ſiue mala medicatione inducta. Adcuratius diſtinguitur

*a*) in veram, inflammatoriam, et

*b*) ſpuriam, quae reliquas ſpecies complectitur.

DCX. Phimoſin inflammatoriam *cognoſcimus* ex impedita praeputii retractione communibus phlogoſeos, vel verae, vel mixtae, vel ſpuriae, notis conjuncto. Speciales morbi cauſſae ſunt omnia, quae glandis volumen augent aut tumorem

rem vel ſtricturam praeputii inducunt, vlcerationes, verrucae, et aliae irritationes glandis vel praeputii, a violentia quauis externa, vrina, muco, vel alio humore acri aut inter glandem ac praeputium ſito, vel in ipſo praeputio effuſo, maxime a gonorrhoea vel a miasmate venereo oriundae; vt plurimum oedema comitari ſolet phimoſin inflammatoriam. Praeter impeditum vrinae effluxum, calculum praeputialem et alias noxas inde metuendas, vlcerum ſub praeputio latentium deteriorationem, glandis compreſſionem et diuerſimodam partium adfectarum corruptionem ſecum inferre poteſt.

DCXI. *Curatio* chirurgica phimoſeos inflammatoriae potiſſimum verſatur in reſolutione praeſtanda, quae ad methodum antiphlogiſticam expoſitam obtinetur; ſub primo inflammationis ſtadio adhibeantur immiſſiones membri in aquam frigidam, epithemata ſaturnina frigida aliaue lenia adſtringentia, deinde maxime huic ſcopo inſeruiunt balnea, fomenta, cataplasmata tepida, diſcutientia, emollientia, injectiones ejusmodi medicamentorum inter praeputium ac glandem inſtituendae, ſanguinis miſſione, praecipue e vena dorſali penis (CLXXIII.), ſi turgida fuerit, haud neglecta, reſpiciendo ſimul ad cauſſam mali. Malum a cauſa venerea exortum omnino mercurii vſum poſcit. Quod ſi his non debelletur inflam-

flammatio, et periculum crescat, ad praeputii incisionem recurrendum est. Quod quidem auxilium etiam in spuria phimosi adhiberi debet, quoties haec vel coitui obstat, vel morbum occultat.

DCXII. Inflammatione sedata, vel absente, minor gradus coarctationis orificii praeputii frictioni oleosae ac remediis relaxantibus interdum cedit; sparsim malum lenta dilatatione spongiae ope, vel dilatatorio, quali ad dilatandum annulum herniosum vtimur, vincitur. Nisi hoc succedat, vel malum citum auxilium requirat, ad operationem refugiendum erit.

DCXIII. Instituitur autem *praeputii incisio* sequenti encheiresi. Membro sinistra Chirurgi manu sustento, et cute leniter tensa, scalpellum minus, tenue, cujus apex vel in specillo sulcato plano apice aperto, vel in directore proprio recondendus est, vel globulo cereo obtegendus, aperturae natiuae, vel si haec illud non admittat, vulnusculo ex arte facto ad postremum glandis ambitum intromittatur; quodsi cutis exterior nimis antrorsum ducta fuerit, eam, antequam instituatur incisio, paullo retrahere conuenit, ne corpora cauernosa absque vtilitate detegantur, inde sub suprema, aut laterali praeputii parte, qua nempe vasa minus frequentia ludunt, scapello prudenter protruso pellis transfodia-

fodiatur et quidquid cultro jam releuando occurrit, aequabili sectione diuidatur. Marginum vulneris mox hiantium resectio vix vnquam requiritur. Vulneris sanatio breui succedere solet; laterales plicae praeputii remanentes, difformes quidem haud vero incommoda sunt, nec coitui obstant. Sequens vero coarctatio certe auertitur, si pars cutis praeputialis vel exterior vel interior incisione haud attacta fuerit, illam mox secare conuenit, vt sequente inflammatione frequens glandis compressio auertatur. Nonnulli, quae methodus non nisi in nimia praeputii elongatione locum habere videtur, cutem, quae super glandem est, adducunt, eamque protinus cultro praecidunt; quae medendi ratio tamen vix futuram coarctationem certe excludit. Denudatae glandi debita tunc admoueantur remedia statui morbi attemperata, vulneris autem labiis hiantibus, simplicissima deligatione cicatrix inducatur. Vtramque operationem interdum sequitur haemorrhagia satis grauis, impositione agarici et continuata cutis digitorum ope compressione sedanda; raro ligaturam poscit.

DCXIV. Datur etiam in mulieribus phimosis inflammatoriae species, *nympharum* nempe inflammatio vrinae emissionem perinde ac clitoridis erectionem impediens, quae soli therapiae anti-

antiphlogisticae cedere solet. In grauidis hoc malum interdum contingit, non nisi peracto partu cessans.

## *Paraphimosis.*

DCXV. Paraphimosis in vniuersum *est* strangulatio glandis a praeputio pone hanc ita retracto, vt antrorsum relabi illamque obtegere nequeat; siue ipsa pellis justo strictior difficili coitu aut manus ministerio violenter retro tracta fuerit, siue glans denudata, verrucis, vlceribus, phlogosi vel ex alia quacumque caussa majus volumen nacta, redituro praeputio obstaculum ponat. Quod quidem eo certius cito inflammationem, quinimo gangraenam adducet, quo magis pertinax est illa restrictio, quo validius coles riget, quo acriora simul adsunt irritamenta.

DCXVI. *Curatio* hujus morbi stricturae glandis citam ablationem praescribit. Quod obtinetur

*a*) tempestiua *protractione praeputii* supra glandem, absque hujus retropressione, qua nimirum basis largior fit, instituenda.

*b*) *frigidae* in principio morbi prudenti adplicatione, qua pellis regressus egregie facilitatur, cum e contrario emol-

lientia

lientia, nisi cito uuent, noxam adferant. Neque negligantur hirudinum adplicationes ad locum adstrictum.

c) Quodsi non succedat praeputii protractio et glandi majus majusque periculum immineat, *incisionibus* in strictissima pellis laterali parte, quae filo quasi constricta videtur, aut pluribus locis si opus est, illaesa corporum cauernosorum tunica, factis, ad vulnerum simplicium normam deinde consolidandis, strictura glandis certo auferatur. Soluta strictura labia recedere solent, quo facto protractio praeputii, raro mox, saepe continuato epithemate saturnino breui succedere solet; gangraenam jam praesentem fotus e decocto concentrato corticis querni vino commixtus sedare solet.

## Gonorrhoea.

DCXVII. Gonorrhoea in vniuersum *dicitur* humoris ex vrethra praeternaturalis stillicidium.

DCXVIII. Multae ac variae hunc morbum inducere possunt *caussae*, inter quas principales sunt

a) abusus repetitus veneris, foeda praesertim manustupratio.

b)

*b*) calculus vrinarius, vrethrae praecipue.
*c*) haemorrhoides ad vrinarias partes delatae.
*d*) irritamenta varia inteſtini recti.
*e*) ſuppurationes in vrethra, proſtata, partibus vicinis.
*f*) impuritates ad genitalia accumulatae.
*g*) dentitio infantum.
*h*) arthritis (DXXVII.)
*i*) diaeta acris, potus fermentans, cereuiſia recens, fructus acerbi cet.
*k*) ipſa lues venerea.
*l*) coitus impurus.

Ex quibus patet gonorrhoeam mox eſſe morbum idiopathicum, mox ſymptomaticum, mox denique ſympathicum; hic potiſſimum conſideranda venit ea idiopathicae ſpecies, quae a ſtatu vrethrae phlogiſtico, a coitu impuro inducto, ortum trahit.

DCXIX. Gonorrhoeae ſimplicis a coitu impuro ortae ſuccincta hiſtoria per diuerſa decurrit *ſtadia* ſc.

*a*) ſtadium *irritationis*,
*b*) ſtadium *inflammationis*, ac
*c*) ſtadium denique *relaxationis.*

DCXX. Sub *priori ſtadio*, primo vel ſecundo die, interdum pluribus poſt coitum impurum praeterlapſis, mulctantur rei ſenſu ali-

quali

quali pruritus ac leuis doloris ac caloris in glande, praeputio, regione frenuli ac vrethra, nonnunquam ad inguina, teſtes et funiculum extenſo; quo facto ex vrethrae apertura liquidum albicans viſcidum transſudare incipit.

DCXXI. Leuioribus his morbi prodromis paucis diebus *accedunt* ſymptomata *inflammationis*, dolor, tumor, rubor, praecipue ad glandem, regionem frenuli, et anterius vrethrae extremum, ſi grauius fuerit malum, dolor per totam vrethram ad proſtatam vsque extenditur; pruritus ſub minctione ſenſim abit in dyſuriam, praecipue ſi parca et valde tincta fuerit vrina; accedit ingrata ac dolorifica colis erectio, ſub qua penis quandoque tortuoſus euadit. Humor effluens nunc copioſior, tenuis, flaueſcens, virideſcens, ſanguinolentus, acer, peculiari odore praeditus, cum vrina et absque minctione excernitur, et preſſo leniter pene et glande adparet, quid? quod haemorrhagiam ex vrethra ſatis grauem vidimus; lintea maculis profunde imbutis haud frictione delendis, conſpurcantur; perinaeum, glandulae inguinales ac teſticuli ob conſenſum interdum ſimul inflammantur; febris couſenſualis ad gradum inflammationis ac ſenſilitatis ſubjecti quoque adeſt.

DCXXII. In *tertio ſtadio* remittunt dolor, dyſuria, effluxus, conſenſus, ab errore tamen

re-

regiminis aut tractationis facile recurrunt; materia effluens, tenax, albicans, albumini fimilis, in fila protractilis euadit, cujus veftigia ex linteo frictione facile delentur, qui ftatus vsque ad morbi plenariam fanationem, nifi in chronicam gonorrhoeam abeat morbus, fenfim in meliora vertitur.

DCXXIII. Morbi *exitus* varius:

a) aut *fanatur* gonorrhoea, raro fub primo morbi ftadio (DCXX.) fi materia irritans nociua, fluxu vrinae potu copiofo aucto, vel injectione minus tuto mox ex vrethra educitur; frequentiffime fub tertio (DCXXII.) morbi ftadio, intra menfis fpatium

b) aut in *chronicam* gonorrhoeam fubfiftente relaxatione *abit*:

c) aut inflammatio in *alium morbum*, *vlcus*, fubfequentem *coarctationem*, *ftricturam*, *cicatricem*, tranfit; interdum *gangraena* infequitur.

d) aut denique reforbto a tuberculo f. vlcere venereo miasmate *lues venerea* fuccedit, quod in fimplici gonorrhoea vix unquam accidit.

DCXXIV. Cum viarum vrinariarum fuperficiei interiori integrae vel parcam vel forfan nullam vim reforbentem largitus fit creator; inde in

in ſimplici gonorrhoea *vix vnquam* materia irritans *reſorbetur* aut ſymptomata luis venerae ſuccedunt; bubones enim inflammatorii atque teſticulorum inflammatio ex ſimplici conſenſu inducuntur; ſi vero, vel leviſſima excoriatio, aut vlceratio aut vulnus adfuerit, á reſorpto viru venereo veram ſyphillitidem oriri poſſe, et analogia docet et experientia teſtatur. Sub tali ſtatu vere venereo absque coitu impuro nuper praegreſſo gonorrhoeam redire poſſe, obſeruata docent.

DCXXV. Quoad *prognoſin* hujus morbi ſequentia notanda. Morbus ſimplex, absque vlla ne minima quidem in loco infecto excoriatione vel tuberculo, ſub debito atque attentiſſimo regimine et potu demulcente copioſo atque lavatione tepida frequenti tempeſtiua, ſolis naturae viribus ſponte ſanatur, et ſub tali rerum ſtatu vix morbis venereis adnumerari ſolet. Gonorrhoea, quae ſedem in anteriori vrethrae parte habet, quod frequentiſſime accidit, minus difficilis habetur, quam ea, in qua phlogoſis circa collum veſicae aut in toto vrethrae tractu reſidet. Qui antea gonorrhoea adfectus fuit, facilius huic morbo iterum obnoxius fit, quam qui ab eodem antea intactus fuit. Effluxus intempeſtiue ſuppresſus varias easque graues noxas inducere poteſt. Quo ſerius poſt coitum gonorrhoea adficitur aeger,

eo difficilius ſanari ſolet. Vlcerationes, excoriationes, tubercula genitalium ſimul praeſentes ſuſpicionem reſorptionis virulentiae venereae grauem mouent.

DCXXVI. Ad *auertendum* morbum conducunt inunctio oleoſa ante coitum, lauationes membri virilis, praeputii, glandis, frequentes, tempeſtiuae, mox poſt coitum inſtituendae, cum aqua tepida, lacte; alii certiorem effectum de lixiuio ſaponis, aqua calcis, ſolutione tenui mercurii ſublimati ſperant. Nec potus diluens, copioſus, mucilaginoſus, nitratus negligatur, quo acrimonia in vrethra haerens mictione frequenti ablui et educi poſſit.

DCXXVII. Therapia gonorrhoeae ſimplicis praeter regimen debitum atque nocentium euitationem vix vlla requiritur. Grauioris morbi curatio

*a*) inflammationi occurrit,

*b*) effluxum ſufficientem promouet,

*c*) relaxationis inſequentis effectus auertit,

*d*) ſymptomatibus ſuccedentibus proſpicit.

DCXXVIII. *Inflammationi occurritur* methodo antiphlogiſtica generali (CCCCLXV.) expoſita, haud omiſſa, ſi grauior fuerit inflammatio, vna alteraue venaeſectione et hirudinum ad perinaeum adplicatione; dolor grauiſſimus ac erectiones valde do-

dolentes opii vſum externum, internum, poſcunt. Nitri majores doſes et laxantia fortiora certe nocent. Injectiones prudentes, in primo morbi ſtadio paucis quidem diebus ſanare poſſunt morbum, perſiſtente vero phlogoſi haud indicatae ob auctam irritationem videntur. Nobis in vniuerſum ſuſpectae viſae ſunt.

DCXXIX. *Effluxus* potu copioſo demulcente acidulo *promouetur*. Nobis in vſu eſt roob ſambuci aqua dilutum; intempeſtiue ſedatus, emetico, lenioribus diureticis, externis relaxantibus emollientibus circa genitalia admotis, cerei denique immiſſione reuocatur.

DCXXX. *Relaxatio* ſequens, ſubacta plane inflammatione, mictione minime difficili, perſiſtente effluxu laudabili (DCXX.) tonica poſcit, balſamica, inter quae balſamum de Copaiua principem locum tenere videtur, balnea frigida, membri virilis praecipue in aquam frigidam frequens immerſio; corticem peruuianum, martialia, electricitatem; ſi in anteriori vrethrae parte haereat malum, injectiones frigidas leniter adſtringentes, irritantes ope ſiryngis cannula conica, caute ac lente inſtituendas. Laudantur pro injectione aqua calcis viuae, tenuiſſima. aqua ſaturnina, aqua marina, ſpiritus frumenti dilutus, ſolutio tenuiſſima aluminis, vitrioli albi, vel alcali mine-

neralis, vel mercurii ſublimati, ſolutio ſucci liquiritii et gummi arabici cum ſaccharo, opii in ſpiritu nitri dulcis et aqua, et alia multa, inter quae chirurgus eligat ea, quae indoli morbi ac ſenſilitati aegroti adpropriata videntur; ſi profundius haereat malum, injectionem per catheterem apice aperto vsque ad locum adfectum immiſſum. Cerei denique prudens immiſſio ſaepe profuit.

DCXXXI. *Vlcus* in vrethra interdum ſuccedens *noſcitur*, ſi praegreſſa ac diſſipata phlogoſi adhuc in loco determinato fixus dolor remanet, ſub preſſione externa, et interna cerei ſeu catheteris ope inſtituta, ſub mictione et ejus fine praeſertim, atque erectione; remanente ſimul effluxu parco, ichoroſo, purulento, ſanguinolento, de loco adfecto extrinſecus preſſo. Difficilius talia vlcera haud raro *ſanantur*, ſemper ſunt ſuſpecta, ſi ſub morbi initio cutis excoriatio, tubercula dura, praecipue mala arte ſuppreſſa vlcera adfuerint, ac *ſuſpicionem ſyphilidis* eo certiorem mouent, ſi proſtata, glandulae Cowperi, veſiculae ſeminales, teſtes, glandulae inguinales, ſimul tumore aut ſuppuratione adficiantur, aut vlcera venerea, ſcabies, herpes, ophthalmia acuta vel chronica accedat. Talis ſtatus in vniuerſum vſum poſcit *hydrargyri*, internum et frictiones praeſertim mercuriales,

ad

ad ſuperficiem femorum interiorem, perinaeum, ad methodum in vlcerum venereorum hiſtoria vberius pertractandam. Abſentibus plane infectionis venereae ſignis, cerei balſamo Copaiuae illiniti vſus nobis profuit. Impedita aut ſuppreſſa mictio a coarctatione, ſtrictura, cicatrice gonorrhoeam ſequente therapiam poſcit alio loco explicandam. Inflammationem teſtium conſenſualem debita ſcroti ſuſpenſorii ope ſubleuatio efficacius praepediet.

DCXXXII. Praeſente phimoſi naturali, *humor* ex vrethra ſub gonorrhoea *effluens*, interdum *inter praeputium ac glandem accumulatur*, hanc irritat, inflammationem ac ſuppurationem inducit; talis ſtatus ſedula liquidi demulcentis inter praeputium ac glandem injectione praeuertitur, interdum praeputii tranſciſſionem (DCIX.) poſcit. Effluxus ſanioſus purulentus, ab vlceribus glandis ex praeputii apertura, a vera gonorrhoea, comparato horum morborum decurſu, haud difficulter diſtinguitur.

DCXXXIII. Notandum tamen *regimen frigidum* et omnium *nocentium* irritantium ſcrupuloſiſſimam *euitationem* ad ſanandam ſimplicem gonorrhoeam plurimum facere, cum multi his ſolis ſanentur, hisque neglectis tractatio attentiſſima ad ſuperandum morbum haud valeat. Aromatica, ſpi-

ſpirituoſa, exercitium corporis vehemens, quaeuis genitalium excitans contrectatio, coitus, foeda manuſtupratio, non ſolum grauiter ſanationi obſtant, ſed effluxum quoque nuper ſedatum certe reuocant.

DCXXXIV. Gonorrhoea ſimplex *ſexus ſequioris* a fluore albo, niſi certitudo praegreſſi coitus impuri ſimul adſit, difficulter diſtinguenda, in vniuerſum difficilius quam in viris ſanatur, cum inter rugas vaginae haerens haud fluxu vrinae ablui ac excerni poſſit materia nocens. Therapia, ei, quae gonorrhoeae virili conuenit, ſatis analoga, haud tamen potum ita copioſum quam in viris poſcit. Lavationes et injectiones frequentes atque balnea partis adfectae minime negligenda.

## *Paronychia.*

DCXXXV. Paronychia ſeu panaritium *eſt* inflammatio phalangis ſingulae vel plurium ſaepisſime tertiae in digito manus, rarius pedis obuia.

DCXXXVI. Hujus morbi *ſedes* eſt cutis, tela celluloſa, vagina tendinum flexorum, rarius extenſorum, ipſe tendo, ligamenta annularia, capſularia, perioſteum ipſaque oſſis compages, aut pulpoſa ſub vngue ſubſtantia; datur inde

*a*)

*a*) paronychia cutanea,
*b*) paronychia ſubcutanea,
*c*) paronychia tendinea,
*d*) paronychia perioſtei,
*e*) paronychia ſubunguis.

DCXXXVII. Paronychia *cutanea* noſcitur, inflammatione ſuperficiali eryſipelatoſa digiti, ſub qua epidermis loci adfecti ſecundo vel tertio jam die in bullas eleuari ſolet, ſerum limpidum, interdum ſanguinolentum continentes.

DCXXXVIII. Paronychia *ſubcutanea* indicatur tumore inflammatorio, ac dolore multo grauiori, ſymptomatibus tamen haud vltra digitum adfectum vagantibus, ominoſis.

DCXXXIX. *Profundiores* paronychiae *ſpecies*, vaginam tendinum flexorum aut perioſteum occupantes, quae haud raro ob partium vicinitatem junctae deprehenduntur, ſub intenſiſſimo dolore vrente, pungente, pulſante, ac febri acuta nullum in principio morbi tumorem digiti adfecti obſeruandum ſiſtunt; ſuccedit deinde leuis tumor oedematoſus, denique inflammatorius, digiti, manus, antibrachii, quin ad axillam excurrens, ſub glandularum axillarium intumeſcentia, ſtria rubra tumida, ad interiorem brachii ſuperficiem ad axillam protracta, interdum conſpicua; tendine maxime adfecto dolor acutiſſimus tractum ejus ſequens ad condylum internum oſſis humeri ex-

extenditur. Subunguis paronychia ſymptomatibus inflammatoriis, minus ominoſis, ac ſede morbi haud difficulter dijudicatur.

DCXL. Communes panaritiorum *cauſſae occaſionales* ſunt variae injuriae externae e. g. punctura, contuſio, morſus, combuſtio, ſubita caloris cum frigore commutatio, lixiuia acria, miasmata varia cuti excoriatae communicata cet. inde minus frequens morbus illis qui ejusmodi injuriis parum ſunt expoſiti; interdum quoque varia vitia interna, metaſtatici inprimis decubitus. Paronychia chronica, nonnullis ſicca dicta, potius ad tumores frigidos pertinere videtur.

DCXLI. Quoad *prognoſin* paronychiae, cutanea et ſubcutanea periculo vt plurimum caret. Tendinea *miros*, niſi tempeſtiue occuratur malo, ſaepe manus brachiique abſceſſus parit ad tractum tendinis et muſculi ſerpentes, illius alterationem, corruptionem, hujus functionem laeſam efficientes: cariem jactura phalangis ſequi ſolet. Perioſtei adfectio in gangraenam prona eſt, vt plurimum ſaltem oſſis corruptionem inducit. Subunguis paronychia tegminis ſeceſſum interdum parit.

DCXLII. Paronychiae *curatio chirurgica* requirit

a)

*a*) phlogoſeos reſolutionem tempeſtiuam; ſin vero haec parum ſuccedat, et in ſuppurationem abeat inflammatio,

*b*) puris quam ociſſimam eductionem,

*c*) vulneris denique conſolidationem.

DCXLIII. Inflammationis *reſolutio*, morbo nondum adulto, methodo antiphlogiſtica generali (CCCCLXV.) expoſita obtinetur: plurimum tamen hic praeſtat ſanguinis miſſio localis, hirudinum praecipue pluries per diem repetita ac tempeſtiua ad locum dolentem adplicatio; frequens fotus frigidus, reſoluens, ſaturninus, digiti adfecti, totius manus et antibrachii inuolutio faſcia circulari ad artem injecta. Nonnulli jure quidem meritoque de tempeſtiua digiti adfecti immiſſione in aquam fervidam, vel liquorem ſpirituoſum, ſeu lixiuium acre, ſeu acetum, ſeu oleum therebintinae quantum ferri poteſt calidum, ſeu, quod melius, de horum remediorum ſuperinfuſione, grauioris mali auerſionem ſperant, quod ipſi pluries obſeruauimus. Fluidum enim, licet parte etiam inflammata calidius, et non obſcure ſtimulans materiam calorificam euaporatione fixam aufert; praeterea excitamentum internum externo grauiori artificiali compeſci videtur. Adplicationem cauſtici ſeu veſicatorii ad locum dolentem in profundiore, at recenti,

centi inflammatione, dolorem mire ſopire atque phlogoſin ad exteriora attrahere certa experientia compertum eſt. Crudeliſſimus dolor praemiſſis euacuationibus ſanguineis opium poſcit. Electricitas quoque in initio morbi profuit.

DCXLIV. Niſi intra biduum reſolutionis ſigna adpareant, promouenda eſt *ſuppuratio* cataplasmate et emplaſtro emolliente admoto. Neque maturior puris elaboratio exſpectetur, ſed eo citius inſtituatur inciſio, quo altius deliteſcit malum. Sub gravi dolore *inciſio* haud vltra quartum diem, de primo doloris initio, differenda erit. Incidendus autem eſt ille, qui primum doluit, locus, cultro inde ſecundum longitudinem partis ad profundam puris ſedem ducto. Haec inciſio ob acutiſſimum dolorem, manusque retractionem, difficulter ad debitam profunditatem ſuccedit, niſi manus aegroti menſae imponatur, et ab adjuvante firmiter ſuſtineatur. Vulnus ſit paruum at profundum ad os vsque protractum, quo facto guttula puris euacuari ſolet. Absque puris egreſſu, grauia tamen panaritia ſanata vidimus ſola tempeſtiua inciſione, qua tenſio ſoluitur et ſanguis e loco adfecto educitur. Quodſi pus in vagina ob neglectam tempeſtiuam inciſionem relictum ad manum brachiumue propagatum fuerit, inciſione interdum omnem

nem illius viam profequi neceffe eft, intactis tamen ligamentis annularibus. Puris eductio et fanguifluxus incifionem fequens citum leuamen adferunt. Si infra periofteum lateat pus, os plerumque cariofum deprehenditur; funt, qui fub hoc ftatu ablationem phalangis taediofae ac incertae curae praeferunt. Pluries tamen, feparata parte cariofa, reliquam phalangem feruaffe nobis contigit. Subungvis paronychia non refolubilis puris per vnguem transparentis emisfionem, vel ad vnguis marginem, vel vngue rafura attenuato et incifo, exigit. Vlcus ob *cariem*, *tendinis laefionem*, *cuniculos*, *fungos*, et *gangraenam* diuerfimodo complicatum, fecundum methodnm alibi exponendam tractatur, et ad fanationem deducitur.

## *Ambuftio.*

DCXLV. Ambuftio *eft* inflammatio cum communibus ejus effectibus (CCCCXLVI.) ab igni actuali vel potentiali inducta, ad cujus cauffas adeoque pertinent radii folis concentrati, corpora accenfa, ignita, igne liquefacta, feruentia et varia cauftica, folida vel fluida: cuique fubjecta eft tota corporis humani peripheria, viae alimentares, aereae, cet.

DCXLVI.

DCXLVI. Ambuſtionis *effectus* inflammationi generali ſatis analogi pro varia caloris admoti intenſitate variat, ſatis commode quatuor *gradus* obſeruantur:

*a*) in *priori gradu* leui rubore ac dolore vrente absque tumore notabili et febri adficitur pars aduſta, qui tamen breui temporis ſpatio vt plurimum diſſipantur.

*b*) in *ſecundo* gradu dolor, tumor, rubor longe majori gradu adſunt. Si majoris extenſionis fuerit ignis actio, aut ſenſilior fuerit ſubjectum, febris ſimul accenditur conſenſualis (CCCCXLVI.) ac breui temporis ſpatio ſimul prorumpunt veſiculae, humorum limpidum ſubflauum continentes.

*c*) in *tertio gradu* grauiſſima inflammationis ſigna adſunt, febris acutiſſima, dolor atrociſſimus, haud infrequenter in ſenſilioribus ſubjectis ſpasmi ſimul inducuntur. Ambuſtionem mox ſequuntur veſiculae majores, aut epidermis de parte adfecta ſecedit.

*d*) in *maximo* ambuſtionis *gradu* partes laeſae omni vitae dote priuantur, et aut gangraenam ſubeunt, ſi humidum fuerit corpus amburens, aut necroſin, ſi ſic-

ſiccum fuerit, quod malum vel mox ſuccedit vel accedit poſt grauiſſimam inflammationem ſiue ſuperficialem ſiue profundam, cum graui phlegmone ſemper conjunctum.

In vniuerſum leuiores combuſtiones magis ſunt dolorificae quam grauiores, quibus vis vitalis ſupprimitur vel exſtinguitur.

DCXLVII. Ambuſtionum *prognoſis* valde pro gradu caloris, et laeſionis factae conditione et extenſione, materiae vrentis natura, partis ambuſtae dignitate ac ſenſilitate, aegroti denique conſtitutione ac habitu differt.

*a*) *primus* gradus omni periculo carere ſolet.

*b*) in *ſecundo* inflammatio tempeſtiua therapia idonea reſolui et ſuppuratio auerti poterit.

*c*) in *tertio* gradu ſemper ſuppuratio accedit larga, in extenſiori ambuſtione ſaepe ominoſa, nonnunquam in vlcera chronica abiens.

*d*) *quartus* non niſi partis emortuae ſeparatione ſanari poteſt.

Aegroti ſuccumbere poſſunt inflammationi grauiſſimae, ſpasmo, ſuppurationi largae marasmum inducenti, aut denique gangraenae. Morbo grauiori ſuppurato cicatrices difformes, rugoſae, inae-

inaequales, rigiditas ac immobilitas partis adfectae, curuatura, obstipitas (CCCCIV.), coecitas immedicabilis, concretiones digitorum, palpebrarum, viarum lacrymalium, aperturarum aliarum naturalium insequi possunt.

DCXLVIII. Ambustionis *therapia* exigit

*a*) inflammationis prophylaxin,

*b*) phlogoseos, si fieri potest, resolutionem,

*c*) si resolui nequit, debitam suppurationem.

*d*) gangraenosi denique separationem.

DCXLIX. Inflammationis *prophylaxis* versatur in cita materiae calorificae diminutione, ablatione, ac doloris mitigatione.

DCL. *Materia calorifica* conductoribus idoneis vel *eliminatur* vel *figitur*, remediis, illis satis analogis, quae sub inflammationum therapia generali monuimus

*a*) *frigidis* nempe,

*b*) *calidis*,

*c*) aucta *euaporatione*, et denique

*d*) arcendo *contactum aeris externi.*

DCLI. *Aqua gelida*, qua gelida, in combustionibus nonnullis laudata; in minori combustione prodesse potest, minime vero in grauiori morbo promiscue adhibenda erit,

*a*)

a) cum aqua gelida, vtpote conductor caloris imperfectus (CI.) materiam calorificam potius versus interiora repellat.

b) cum haud omnes gelidam admotam (CIII.) ferant;

c) subita denique frigoris cum calore, et caloris cum majori frigoris gradu commutatio in vniuersum noxia deprehenditur, inde pars magnum frigoris gradum passa, si subito calori exponitur, gangraena corripitur; idem a gelidae adplicatione post combustionem grauiorem obseruavimus.

DCLII. *Majorem caloris gradum*, minoris semper intensitatis quam ille qui ambustionem induxit, inflammationem et vesicularum proruptionem efficacius praepedire, certa atque constanti experientia constat, quanquam dolor sub applicatione exacerbari solet. Calor inde, et fomenta calida, quantum ab aegroto ferri possunt, mox combustione facta applicanda, omnino indicata videntur, antequam grauior phlogosis accesserit.

DCLIII. Citam, auctamue *euaporationem* conductorem caloris abundantioris esse longe praestantissimum antea (CCCCLXVIII.) monuimus.

Inde

Inde alcohol, ſpiritus vini, acetum, fotus calidi ſaepius repetiti, mire ad auertendam phlogoſin combuſtionum faciunt: inde aquae in partem adfectam frequens ſuperinfuſio, majori vi gaudet, quam partis in illam immiſſio vel fotus. Inde naphthae vel olei aetherei frequens inſtillatio, praecipue ſi pars adfecta flammae ſeu carboni candenti obuertitur, inflammationem auertit, ac dolorem ſedat. Quae omnia aucta euaporatione fiunt, qua materia calorifica euaporatione fixa aufertur.

DCLIV. Minori efficacia inflammatio in ambuſtionibus auertitur auertendo aëris externi contactum cum ſuperficie partis adfectae, cum ille proceſſui phlogiſtico faueat. Inde oleum oliuarum, oleum lini, linimenta varia, inter quae oleum lini aqua calcis commixtum nobis in vſu eſt, inflammationi obſtare doloremque ſedare videntur. Cerae vel reſinae liquefactae guttula in cutem delapſa, ſi intacta refrigerationi committitur, nullam excitabit inflammationem, vix emanentem, ſi mox remoto corpore vrente, cutem nudam incautus exponas aëri, combuſtionis effectum ſuſtinenti.

DCLV. Ipſa *inflammatio reſoluitur* fotu acido, ſaturnino, adſtringente, reſoluente v. c. aqua vulneraria Thedeniana, aqua calcis, paucillo ſpiritu ſalis ammoniaci commixta, aqua ſaturnina,

cet.

cet. Vehementissimus dolor externa demulcentia, emollientia (CCXVII.) poscit. Vesiculae minores haud incisae exsiccari possunt; ex majoribus liquidum parua facta punctura absque epidermidis detractione emittitur. In vniuersum quaeuis ab ambustione grauior inflammatio methodum poscit antiphlogisticam (CCCCLXV.), venaesectiones, laxantia, remedia interna inflammationi adcommodata. Quibus adhibitis nihil, irritamentum obtundendo, inflammationem efficacius resoluit, et spasmum simul auertit, et sedat, quam liberalior opii vsus, in omni graui ab ambustione phlogosi atque atroci dolore nunquam negligendus. In combustionibus a pulueris pyrei explosione, granula in cutis substantia latentia mox acu educantur.

DCLVI. *Suppuratio* si auerti nequit, remedia *requirit* mucilaginosa, oleosa, blanda lenioribus adstringentibus nupta v. e. oleum lini recens aqua calcis viuae commixtum, varia vnguenta exsiccantia, ceratum saturni, vnguentum nutritum recens cet. Saturnina tamen, si major superficies epidermide orbata fuerit, circumspectum vsum poscunt, partim ob resorptionis periculum, partim cum cito siccato his remediis vlcere saepe foeda cicatrix, rugosa, inaequalis remaneat. Partium *concretio* interposito linteo, immisso in aperturas naturales stilo, tubo, tu-

runda, ſpongia, nec non motu ac deductione frequentiori partis praeuertitur. Nimiae ſuppurationi ad methodum in vlcerum chirurgia exponendam occurrendum eſt. Vlcera poſt combuſtiones vt plurimum carne luxuriante praedita ſunt, in quibus ſtrictior deligatio ac leuia adſtringentia indicantur.

DCLVII. Gangraena aut necroſis ex combuſtione partis corruptae ſeparationem ac therapiam deſiderat in horum morborum hiſtoria pertractandam.

## *Pernio.*

CCLVIII. Pernio *eſt* inflammatio a grauiori frigore calorem animalem abſorbente producta, cui adeoque maxime obnoxiae ſunt partes a corde diſtantiores ac veſtimentis minus tectae, digiti, naſi apex, auris lobuli cet.

DCLIX. Pro diuerſo ſtimuli a frigore admiſſo gradu, diuerſi quoque *pernionum gradus* obſeruantur.

*a*) quippe ex illo ſtimulo, quo *ſola cutis irritatur* ejusque vaſa dilatantur, non niſi ſpuria enaſcitur inflammatio, leuis nempe partis adfectae tumor, rubor, dolor, ſub calore in pruritum tranſiens, quae omnia nunc breui ceſſare, nunc

ner

per integram hyemem non mutata subsistere possunt.

*b)* *frigore* autem *acriore* color cutis in profunde rubrum, coeruleum abit, humorum serosorum in summa cute circulus retardatur, eorumque blandities tollitur, epidermis in bullas, humorem limpidum continentes, eleuatur, quibus ruptis, cutis corrosa et vlcerata adparet tumore simul magis conspicuo, dolore acutiore ac febri consensuali simul praesente.

*c)* *frigore violentissime in corpus agente*, humores coagulantur, congelantur, vires vitales opprimuntur, vesiculae prorumpunt humore sanguinolento repletae; non solum integumenta communia sed subjacentes quoque partes; quid? quod integri digiti, manus, pedes cet. gangraena corripiuntur, quae perinde metuenda est, quoties pars summum frigus passa derepente calori exponitur, et vice versa.

DCLX. *Intensissimum frigus* vniuersum corpus adgrediens neruorum irritationem ingratam, dolorificam, tremores, horripilationes, pallorem, stuporem, rigorem, sensus motusque diminutionem, abolitionem, circulationis difficultatem,

tatem, ſuppreſſionem, anxietatem, ſoporem, apoplexiam denique lethalem producere poteſt.

DCLXI. Pernionum *prognoſin* quod attinet, primus gradus magis moleſtus ac diuturnus, quam periculoſus eſt. Vlcerati perniones profunde interdum ſerpunt ipſis oſſibus haud parcentes, cum labe humorum qualicunque juncti indolem talis cachexiae interdum adſumunt, et complicati euadunt; inueterati ob continuam liquidi euacuationem difficulter ſanantur et circumſpectam attentionem requirunt. Quaeuis inſignis frigoris cum calore ſubitanea commutatio grauia ſymptomata inducere poteſt, perniones ſimplices, inflammationes veras, paronychiam, anginam, ecchymoſin, ſuppurationem, gangraenam. Infantes, juuenes, tenerae foeminae, facile ſudantes, veſtimentis calidis pelleis ac aëri calidiori adſueti facilius pernionibus corripiuntur; interdum peculiaris quoque ad hunc morbum diſpoſitio adeſt. Robuſti, viri, ſenes, aëris injuriis ac lauationibus frigidis adſueti raro pernionibus adficiuntur.

DCLXII. Therapia pernionum includit

*a*) prophylaxin,

*b*) inflammationis reſolutionem,

*c*) lentiſſimam frigoris cum calore commutationem,

*d*) roboris ac ſenſus reſtitutionem,

*e*)

e) ſymptomatum denique, ſi adfuerint, therapiam.

DCLXIII. Ad *auertendam* frigoris hyberni injuriam nihil magis conducit quam tegumenta idonea, lanea potiſſimum, aëris acceſſum ad partes extremas praecludentia, partes frigori expoſitae inungantur remedio oleoſo et ſebaceo, ac calor ſubitaneus poſt ſuſceptum frigus ſollicite vitetur. Balnei marini frigidi vſus tempore aeſtiuo, ſequentes hyemis injurias ſaepe auertit idem de electricitatis vſu valere legimus.

DCLXIV. *Inflammationi* pernionum occurritur,

*a*) ſi *leuior* fuerit, illinitione, lauatione, fotu, cum remedio acido, adſtringente, ſpirituoſo, aromatico v. c. aceto, ſpiritu ſalis acido diluto, ſpiritu vini camphorato, oleo therebintinae, oleo petrae, aqua vulneraria thedeniana, ſaturnina, vapore aceti admoto cet. quibus omnibus palmam praeripit, niſi contraindicantia obſtent, immerſio partis adfectae in aquam frigidiſſimam vel niuem, per aliquot minuta temporis protracta, ac ſaepius per diem reiterata; ſcintillis electricis perniones non exculcerati breui cedere ſolent.

*b*)

b) *grauior* inflammatio hirudinum adplicationem poſcit, cataplasmata reſoluentia, leniter adſtringentia e. g. e pulpa pomorum, citrinorum, cepis, allio, rapis cet. electricitatem; ſi febris adfuerit conſenſualis, remedia interna antiphlogiſtica ſimul adhibeantur, haud neglecto tegumento idoneo, quo frigoris acceſſus prohibeatur: vti etiam neceſſe eſt parti adfectae debitam quietem dare. In habitu corporis laxo, ſpirituoſa adſtringentia, in ſicco vero habitu, oleoſa relaxantia communiter magis conducunt.

DCLXV. Perniones *ſuppurati* eadem remedia poſcunt, ad auferendam inflammationem a frigore exortam; quo facto indolem therapiae vlcerum vel ſimplicium vel diuerſimode complicatorum ſuo loco exponendam ſequitur.

DCLXVI. Si ob congelationem humorum partis cujusdam *gangraena metuenda* foret, vel jam ejus aliquale veſtigium adſit, partis in niuem vel aquam frigidiſſimam immerſio tempeſtiue et ſatis diu adhibita frictione juncta vnicum remedium praebet. Redeunte ſenſu motuque ſimul adhibeantur frictiones ſpirituoſae aromaticae ad caloris naturalis vsque reſtitutionem. Ipſa gangraena propriam therapiam poſcit, in hac quoque

que opii vſum externum, internum, profuiſſe compertum eſt.

DCLXVII. Maximus frigoris gradus in totum corpus agens, abſtinentiam a potu ſpirituoſo copioſo et continuum motum atque exercitium corporis requirit; laſſitudini ac ſomnolentiae cedens, in maximo et certiſſimo vitae diſcrimine verſatur. Si a frigore jam vita priuatus videatur aeger, frictiones aſſiduae continuae totius corporis cum ſyndone aqua frigidiſſima imbuta aut niue, in conclaui frigido adminiſtrandae, haud negligantur; nec praemature de hoc labore deſiſtat chirurgus, cum poſt plures dies aegrotos adhuc ſeruatos eque mortis faucibus ereptos fuiſſe conſtet. Redeunte ſenſu, motu atque calore, aromatica ſpirituoſa externe adhibeantur, major caloris gradus concedatur ac interna ſimul cardiaca porrigantnr.

## *Inflammatio articulationis coxae.*

DCLXVIII. Qvae jam nobis conſideranda venit *inflammatio articulationis coxae*, *Coxalgia*, *Claudicatio ſpontanea*, *eſt* abnormis incitatio partium articulationem coxae conſtituentium, inflammationem chronicam, vti in partibus oſſeis, cartilaginoſis, ligamentoſis adeſſe ſolet, inducens. Morbus minime infrequens, omnis aetatis homines

nes inuadit, maxime tamen juvenilem aetatem de quinto ad decimum quartum annum, pueris magis quam ſexui ſequiori familiaris.

DCLXIX. *Sedem* morbi praebent tota femoris cum oſſe innominato articulatio, ipſa oſſea compages, ligamentum capſulare, maxime vero ligamentum teres et ſubſtantia celluloſo-adipoſa in parte ſinuata acetabuli ſita. *Cauſae* morbi frequentiſſimae mihi viſae ſunt, diſpoſitio ſcrophuloſa, rhachitica, variolae, morbilli, febris ſcarlatina, ſcabies vel herpes ſuppreſſae, violentiae denique externae, lapſu, ictu, tenſione femoris inductae. Morbus tria percurrere ſolet ſtadia; *ſtadium* nempe *inflammationis*, *ſuppurationis* et denique *conſumtionis*.

DCLXX. Primum et vnicum incipientis morbi *ſymptoma* eſt aliqualis claudicatio, quae haud raro negligitur, usque dum, temporis decurſu ſenſim aucta, medentis auxilium peti ſolet. Si ſub hoc *primo morbi ſtadio* aegrotus examini ſubjicitur in menſam collocatus, comparatis rite trochanteribus, patellis atque malleolis, femur affecti lateris paullo longius invenitur absque dolore, ſub motu membri, articulationis notabili. Pyrexia in initio morbi raro adeſt, potius aſtheniae ſigna adſunt. Subſiſtente inflammatione articuli chronica, longitudo femoris ſenſim augetur, forſan a transſudatione ſeroſa ſynouiali in articulo,

culo, vel ab intumefcentia aliquali ligamenti teretis vel fubftantiae cellulofo - adipofae interarticularis. Quanquam fedes mali in coxae articulo adfit, genu tamen dolore gravi afficitur, quo ipfa pars affecta faepe vacat, etiam tum, fi indicia fuppurationis manifefta adfunt; qui dolor genu incautis fuspicionem praebuit fedem morbi in genu adeffe.

DCLXXI. Nifi tempeftiuum adferatur auxilium, inflammatio *in fuppurationem abit*, fequitur lente totius articulationis fuppuratione exefae purulenta corruptio, cartilago articularis deftruitur, corrupto vel deftructo ligamento tereti, ipfa cavitas acetabuli fubftantia fpongiofa repletur, et caput femoris, deftructo jam margine acetabuli, lente e fede fua propellitur, plerumque verfus pofteriora et fuperiora, fub fymptomatibus in luxationum chirurgia vberius exponendis. Augentur fub hoc ftatu dolores coxae, fub quovis motu adaucti, totius extremitatis marcor, femur antea longius nunc luxatione facta longe brevius invenitur; abfceffus in variis locis formantur ichorem faniofum ftillantes, quae omnia fiunt fub motibus febrilibus irregularibus. Etiam fub hoc rerum ftatu, reforbtis vel feparatis partibus corruptis, fparfim anchylofis fequitur vera, et aegri fub longitudine femoris notabiliter imminuta ejusque inflexione adaucta

eva-

evadunt quidem, ſed haud niſi fulcris ſubalaribus nixi incidere poſſunt. Vix unquam hoc morbo ſuperato, vti in aliis luxationum ſpeciebus, novum cauum articulare formatur.

DCLXXII. In *tertio* denique *morbi ſtadio* marcor extremitatis in tumorem oedematoſum abit et miſeri denique poſt longos cruciatus febri hectica, doloribus atrociſſimis, defectu ſomni et appetitus, ac ſuppuratione denique larga exhauſti pereunt.

DCLXXIII. Ex allatis patet morbi primum ſtadium, remediis indicatis tempeſtiue adhibitis omnino *ſanationem admittere*; ſecundum ſibi relictum vel mala arte vexatum, *diſcriminis plenum* eſſe; tertium denique omnia artis *auxilia* vt plurimum *reſpuere*.

DCLXXIV. Quoad morbi *therapiam* ſequentia nobis notanda veniunt. Morbus licet inflammatorius, niſi manifeſta indicia injuriae externae praegreſſae adſunt, minime ferre videtur methodum antiphlogiſticam, in inflammatione acuta indicatam, ſanguinis nempe miſſiones generales et locales, cum haec inflammationis ſpecies vti plures chronicae, vix morbis ſthenicis, quin potius aſthenicis adnumeranda ſit, qui potius regimen haud adeo ſtrictum et diaetam reſtaurantem poſcunt. Spes enim ſanationis ad maximam partem

tem de vigore virium vitalium pendet. Quies porro corporis per omnia morbi ſtadia maxime eſt neceſſaria. Errant inde qui ambulationem frequentem ſub primo morbi ſtadio ſuadent, omnino nocivam, cum niſus naturae ad ſanandum morbum inde turbentur.

DCLXXV. In diriſſimi *morbi primo ſtadio*, cum primum claudicatio perennis, et aliqualis femoris aucta longitudo obſervari licet, *ſequens tractatio nobis in vſu eſt.* Aegroti haud pedibus lateris adfecti inſiſtere debent, lecto committuntur et quotidie ſemicupium tepidum adhibetur; ſi morbus cutaneus praegreſſus vel ſuſpici eruptionis cutaneae adfuerit, regimine ac remediis diaphoreticis junctum. Simul magnum veſicatorium vel quod praeſtat pluria parua circa trochanterem ſucceſſiue applicari ſuaſor fui. Simplicisſima hacce therapia morbum incipientem debellare ejusque progreſſum nonnullorum hebdomadum ſpatio avertere pluries nobis licuit.

DCLXXVI. In *ſecundo morbi ſtadio*, morbi longe difficilius *medicina* paratur. Sub exacta membri quiete fonticulus ſatis magnus ſex ad octo piſa continens inter trochanterem et iſchii tuber medio, moxae accenſae vel cauterii ope inuritur ac diu ſuſtinetur. Genu dolens veſicatorio circumdare ſparſim eximium vſum nobis praeſtitit.

In

In hoc quoque incipiente ſtadio (DCLXXVI.) ſuppurationem minui, longitudinem femoris naturalem redire, dolorem remittere et ſanationem adhuc perfectam ſuccedere poſſe, vidimus.

DCLXXVII. In *tertio denique morbi ſtadio* remedia omnia ſaepiſſime fruſtra tentantur. Adhibenda tamen erunt ea, quae ſub ſuppurationum, fiſtularum ac cariei chirurgia vberius exponentur. Sectiones cadaverum hoc morbo defunctorum, ac praeparata anatomica, ingentes corruptiones in partibus oſſeis atque vicinis monſtrant, vti quoque miranda naturae artificia quibus deſtructa ſeparari, perdita reſtitui, ac callo denique reuniri poſſunt. Pluria ex abſceſſuum articularium, fiſtularum ac luxationum chirurgia patebunt, vberius ſuo loco exponenda.

## *Aliae inflammationes locales.*

DCLXXVIII. Ex eis, quae hucusque de inflammationibus in genere ac ſpeciatim allata ſunt, abunde liquet multifaria et eximia auxiliorum chirurgicorum in *reliquis inflammationibus ſingularibus* vtilitas et praeſtantia. Vnde haud difficulter eruitur, quaenam remedia et ſub quibus cautelis in phrenitide, cephalitide, pleuritide, peripneumonia, carditide, paraphrenitide, hepatitide, gaſtritide, enteritide, nephritide con-

conueniant. Possunt etiam musculi lumbares, psoas inprimis, inflammatione, nephriticam vel arthriticam aut rheumaticam passionem mentiente, occupari, quae nisi saepe laudatis antiphlogisticis, topicis praesertim, mature et efficaciter impugnetur, abscessum gignet late per carnium interstitia vagantem sanatuque difficillimum suo loco exponendum.

---

CLAS-

# CLASSIS II.

## MORBI EX SOLVTIONE CONTINVI.

### DCLXXIX.

Morbi ex ſolutione continui praecipuam *chirurgi curam ſibi vindicant* auxiliorumque externorum dignitatem egregie comprobant.

DCLXXX. Commune eorum *principium*, ſublata nempe partis organicae cohaeſio ſeu continuitas, adeo obuium eſt, vt nulla explicatione egeat. *Cauſae* ſunt variae violentiae et acrimoniae externae vel internae. Quum autem hae cauſae, ipſaeque continui ſolutiones ab iis inductae, vario reſpectu ſint diuerſiſſimae, et *diagnoſin*, et *ſymptomata*, et *prognoſin*, et *therapiam* horum morborum multimode differre patet.

DCLXXXI. Ingens morborum huc referendorum numerus, commode in quatuor *ordines* diſponitur, quorum

*a*) primus *apoſtemata*

*b*) alter *vlcera*

*c*) tertius *vulnera*

*d*) quartus *fracturas* comprehendet.

ORDO

## ORDO I.

## APOSTEMATA EORVMQVE TRACTATIO IN VNIUERSUM.

---

DCLXXXIII.

Quae de apostematibus exponenda sunt, sub binis capitibus comprehenduntur, quorum prius *generalem*, alterum *specialem* illorum doctrinam complectitur.

### *Apostemata in genere.*

DCLXXXIV. Apostema, recentioribus abscessus dictus, *est* collectio puris seu materiae puri analogae in cauo vt plurimum praeternaturali; vnde praecipue elucescit differentia abscessus

*a*) *veri* nimirum genuinum pus, et

*b*) *spurii* continentis aliud liquidum, plus minus de indole puris recedens.

DCLXXXV. Puris genuini (CCCCLXXXV.) ejusque elaborationis (CCCCLXXXVI.) ideam jam antea dedimus. Omnibus rite perpensis concludere licet, vix vnquam *occurrere* verum pus, nisi praegressa inflammatione locali. Excitata nempe a stimulo vi vitali in singula parte corporis, et inde exorta congestione sanguinea, calore adaucto,

adaucto, sanguinis diathesi inflammatoria, et sub lymphae coagulabilis transsudantis tendentia ad organisationem, secretionis species adesse videtur, vnde pus in loco inflammato deponitur.

DCLXXXVI. Persaepe mucus collectus aut eliminatus mentitur pus, et facile cum hoc confundi potest: quemadmodum hic error alienis indicationibus curatiuis, maximo cum aegroti detrimento ansam dare potest.

*Mucus a pure dignoscitur* notis sequentibus:

*a*) pus majori grauitate specifica gaudet muco: dilutum aqua, eandem aequaliter turbat ac citius fundum petit: mucus filamenta format et sustinetur diutius in aqua.

*b*) acidum vitrioli soluit mucum facilius quam pus; si haec solutio aqua diluitur, pus fundum vasis petit, mucus filamenta format.

*c*) pus in alcali caustico solutum ab affusa aqua simplici praecipitatur, mucus non.

*d*) puris guttula per microscopium obseruata compositionem globulosam monstrat, eo distinctiorem quo magis genuinum atque laudabile pus fuerit; quod inter puris genuini signa omnium certissimum merito judicatur.

Glo-

Globuli purulenti innatant fluido, admixta ſolutione ſalis ammoniaci coagulabili.

DCLXXXVII. Licet plerumque pus poſt inflammationem topicam loci, quem occupat, oritur, accumulatur attamen interdum ad locum nullam praeuiam phlogoſin paſſum: vnde *alterum* naſcitur *diſcrimen* abſceſſuum.

*a*) *inflammatoriorum* et

*b*) *metaſtaticorum.*

DCLXXXVIII. Communiſſima abſceſſuum *ſedes* eſt membrana adipoſa et celluloſa: rarius alias occupant partes. In vtroque caſu materia purulenta vel intra certos *includitur* cancellos praeternaturales, vel ex vna cellula in aliam, imo in interſtitia vaſorum atque fibrarum ipſa *ſerpit*, aut denique *in caua* naturalia majora *effunditur*. Inde tertia abſceſſuum diſtinctio in

*a*) *limitatos* et

*b*) *illimitatos*.

Tum etiam prout vel ſub ſumma cute ſubſiſtunt, vel profundius latent, in

*a*) *ſuperficiales* et

*b*) *profundos* diuiduntur.

DCLXXXIX. Reliquas abſceſſuum differentias ſuppeditat diuerſitas cauſae et ſymptomatum:

a) priori reſpectu in *ſimplices* et *complicatos*,
b) poſteriori in *benignos* et *malignos* diſtinguuntur.

## Abſceſſus genuini.

DCXC. Tractationis principium jure meritoque capientes ab abſceſſibus veris genuinum pus continentibus, primum de inflammatoriis, deinde de metaſtaticis, dicimus.

## Abſceſſus inflammatorius.

DCXCI. *Notas* abſceſſus inflammatorii diverſas, prout ille vel ſuperficialis vel profundus fuerit, vel in cauitate deliteſcat, jam antea (CDLXXXVIII.) enumerauimus. Suppuratio inflammationis genuinae ſequela, non ſemper ſtato *tempore* inſequitur, vix vnquam vltra ſeptimum diem protrahitur, interdum jam intra quadraginta octo horas abſoluitur. In vniuerſum quo grauior vera phlogoſis praegreſſa, quo ſenſilior aegrotus et pars adfecta, quo fortior atque vegetior aeger, quo vicinior cordi pars inflammata, eo citius ſuccedit ſuppuratio, et vice verſa; in inflammationibus mixtis per hebdomades, et in ſpuriis per menſes quin annos retardari poteſt ſuppuratio.

DCXCII. In omni abſceſſu inflammatorio *pus* in ſacco, ab inflammatı duriori celluloſa, ſeu aliis partibus circumjacentibus, formato *incluſum* haeret, vnde ejus effuſio in cellulas circumjacentes, et aliquatenus quidem ipſa ejusdem reſorptio impeditur. Prima autem puris portio in media parte inflammata orta vicinam reliquam, crudam, ac ſanguinolentam materiam, in cellulis et vaſis ſubſiſtentem, emollit, ſoluit et ita mutat, vt ipſa pars inflammata attenuetur, molleſcat, pus plus minus laudabile (CCCCLXXXIV.) generetur, et puri denique exitus, aut ſolius naturae aut artis ſimul ſubſidiis adhibitis procuretur; quae operatio *maturatio* dici conſueuit.

DCXCIII. In vniuerſum quidem *methodus antiphlogiſtica* a medicante *ſuſpendatur*, quamprimum hanc reſoluendae inflammationi imparem eſſe adparet; interdum tamen ſub ipſo ſtadio ſuppuratorio habitus corporis robuſtus, vrgentia ſymptomata inflammatoria, dolor grauiſſimus ac defectus ſomni methodum antiphlogiſticam continuare cogunt. E contra ſi debilis fuerit aegrotus aut a morbo et euacuationibus ſanguineis praegreſſis valde exhauſtus, diaeta largior, cortex quin ipſum vinum concedatur aegro. Vrgente dolore, opium ſuppurationem promouere poteſt.

DCXCIV. Remedia externa ſuppurationem promouentia, *maturantia* dicta, agere poſſunt

*a*) aut *calore* humido, qui ſuppurationis actum, transſudationem ſeri lymphatici facilitando, mire promouet; inde remedia maturantia calide quantum absque majori incommodo ferri poteſt, adplicanda, ſaepiusque mutanda, vt idem caloris gradus, naturali major, ſuſtineatur.

*b*) aut *relaxatione*, cui inſeruiunt, aqua tepida, radices, herbae, ſemina, flores, fructus mucilagine largo praedita (CXXIII.) ſub forma fotus (CXXIV.), cataplasmatis (CXXVI), emplaſtri (CXXXI.) ad artis regulas ſedulo admota; quae remedia potiſſimum conducunt, ſi ambitus futuri apoſtematis durus, inflammatus, valde dolet, febris vrget, viresque aegroti vigent.

*c*) aut denique *leniori irritatione*, qualem praeſtant cepae, allium, fermentum panis, gummi ammoniacum, galbanum, ſapo cet. Indicantur talia, quoties ſub parua inflammatione ac mitiori febri ſuppuratio lentius ſuccedit, aut puris reſorptio timenda foret.

Ho-

Horum remediorum vſus ad indicationes continuetur, donec inflammatum omne, vel ſaltem maxima ejus pars, in pus mutatum fuerit. In abſceſſibus majori circulo, duriori, inflammato circumdatis, vbi largior ſuppuratio partiumque vicinarum deſtructio extimeſcenda foret, conuenit centro abſceſſum formaturo cataplasma imponere, in ambitum induratum vero reſoluentium vſum continuare.

DCXCV. *Pus* in apoſtemata, poſt inflammationem topicam non reſolutam, natum vix ac ne vix quidem *humoribus* noſtris *aſſimilari*, neque iis, ſaltem aliqua copia *absque detrimento* notabili *admiſceri* poteſt: pus itaque in corpore collectum dat fomitem malorum multiplicium et grauiſſimorum, niſi tempeſtiuus natura aut arte huic paratur exitus.

*a*) *in abſceſſu* diutius relictum tenue fit, et acre, putreſcit, copia augetur, vicina corrodit, conſumit, mole et acrimonia ſua canaliculos format, in celluloſa ſerpit latius, vlcera grauia, fiſtulas cariesque creat, aut diſſipata parte tenuiore tumores duros, e quibus grauiſſimi ſcaturiunt morbi, maxime circa partes glandulares.

*b*) deinde materia purulenta attenuata per eroſum apoſtematis limitati ambitum

*ſubit*

*subit oscula vasorum resorbentium*, et per haec *massam humorum* circulantium, quam inquinat, varia grauia et insanabilia saepe mala inductura, nisi forte per aluum, vrinam, cutanea spiracula, metastasin euacuetur tempestiue.

Notandum tamen symptomata resorpti puris longe frequentiora esse in vlceribus aëri externo patulis, quam in abscessibus. Nonnulli puris resorpti symptomata minus juste impeditae puris secretioni ac depositioni attribuunt: alii resorptionem puris omnino innocuam esse credunt. Haud negandum quoque, casus sparsim occurrere, vbi puris resorptio absque notabili sanitatis noxa fieri videtur; nec pus laudabile, blandum, vlceribus amicum, natura sua effectum irritantem in alias partes habere videtur. Pus vero aliis humoribus commixtum, vel ab aëris contactu mutatum vel putredinem vel acrimoniam induere potest, et ad varium sensilitatis et irritabilitatis, qui cuiuis indiuiduo proprius est, gradum, ad specialem neruorum indolem, ac diuersam denique variorum neruorum a diuersis stimulis adfectionem, omnino turbas easque grauissimas inducere potest. Vberior enarratio caussarum, signorum, remediorum talis absorptionis ad vlcerum historiam pertinet.

DCXCVI.

DCXCVI. Pus abſceſſu contentum excluditur variis modis, ſc.

*a*) *eroſione ſpontanea* parietum et integumentorum apoſtema circumdantium.

*b*) *diſſolutione artificiali* eorundem.

*c*) *transſudatione* inſenſibili puris.

*d*) *exſiccatione* materiae purulentae eſcharam formantis, quae ſoluta ſecedit; id quod in vlceribus cutaneis ſuperficialibus fieri ſolet.

DCXCVII. Abſceſſus inflammatorii *disruptionem ſpontaneam* exſpectare decet, quoties ille mole minor ſit, ſuperficialis et lente exortus, nullae partes adjacentes fuerint quorum adfectio a diuturna puris mora pertimeſcenda foret, ſi in glandula reſideat, cinctus majori circulo inflammato duro, qui corroſionis et reſorptionis periculum auertit: imo meticuloſis aegrotis ſemper, quantum cum ſecuritate per circumſtantias licet, concedere decet. Cicatrix ex inciſione naſcens magis difformis ceteris paribus eſſe ſolet, quam illa, quae poſt ſpontaneam apoſtematis rupturam ſuccedit. Applicatis tunc maturantibus (DCXCIV.) cutis lente attenuatur, molleſcit, rumpitur, pus contentum effunditur, portione celluloſae corruptae ſaepe ſimul ſeparata. Superſtes diſſolutio, vlceris ſimplicis conditionem ſequitur, et juxta hujus normam tractatur.

DCXCVIII.

DCXCVIII. *Aperturam* apoſtematis praeſtat ars

*a*) vel *inciſione* ſimplici;

*b*) vel *ſetacei* trajectione;

*c*) vel denique *cauſtico.*

In vniuerſum quidem abſceſſus inflammatorius non aperiatur arte, antequam maturuerit perfecte: etenim ab inciſione praematura noua inducitur inflammatio, dolores augentur, puris ſedes difficilius attingitur curatioque retardatur. Poſterius maxime valet de glandularum et tumorum cyſticorum ſuppuratione. At vero *ante perfectam maturationem* abſceſſus aperiendus erit, quoties cauis majoribus, inteſtino recto, collo veſicae vrinariae, ſacco lacrymali, oculo, articulo, tendini, oſſi denique valde vicinus, periculoſam minetur corroſionem, vel preſſione ſua tranſitum humorum ſanguinisque liberum circulum aut reſpirationem impediat.

DCXCIX. Apoſtematis cujuslibet *inciſionem oncotomiam* ſalutarunt recentiores; quoad rei grauitatem ac difficultates interdum obuias vix vlli alii operationi chirurgicae ſecundam. Haec in abſceſſu inflammatorio aperiendo multiplicem prae cauſtici adplicatione praerogatiuam habet. Sequenti autem pro varia profunditate ſit encheireſi,

*a*) ſi

a) si *non adeo profundus* sit abscessus incidendus, pure in eminentem apicem, pollice ac indice chirurgi, aut manibus adstantis, si majus apostema adsit, presso, scalpellum vel lanceola chirurgica ad volumen et profunditatem abscessus variae magnitudinis, in eminentiorem molliorem et decliuiorem partem intruditur, donec exiens pus instrumentum in apostema penetrasse probet; deinde eleuando cultellum sub reductione vulnus dilatatur, vt pus leni pressione parietum commode effluere queat,

b) in incisione *abscessuum profundiorum* autem, praecipue cum oedemate cellulosae superioris, diuisis integumentis, num fluctuatio distinctior adsit explorandum, qua percepta, scalpellum lente et caute ad focum puris demittitur, attentissimo semper symptomatum praegressorum, partium vicinarum, vasorum praecipue neruorumque respectu habito.

c) *profundissimos* denique *abscessus*, incisis quoad per securitatem loci licet partibus superjacentibus, saepe sua sponte breui tempore rumpi, contentumque pus effundere posse, compertum est.

DCC.

DCC. *Directio* incisionis in vniuersum quidem longitudinem corporis sequitur, in nonnullis tamen locis rugae cutis, fibrae musculares subjacentes ac hiatus labiorum puris effluxui fauens, vti in axilla ac prope anum, specialem cultri ductum dirigunt. Nunquam incisione cruciata, ac rarissime ablatione cutis ad figuram ellipticam, in abscessibus inflammatoriis aperiendis opus est.

DCCI. Incisionis *magnitudo* pro aperiendo abscessu simplici, inflammatorio, nunquam major sit, quam quae sufficit pro exitu libero puri parando. Majores incisiones, liberum aëris accessum admittentes, mira celeritate suppurationem deteriorem reddunt, febrem incendunt, vulnus inflammant, sanationi obstant, et forsan puris resorptioni viam sternunt. Majores abscessus incisionem potius oppositam poscunt. In maximis abscessibus, lymphaticis praecipue, vt aër arceatur, omnino nocivus, conuenit retracta in antecessum cute parua punctura facta, liquidum euacuare, quo facto relicta cute apertura mox occluditur; quae punctura, iterum accumulato liquido, pluries repetenda erit. Si ob operationem quandam instituendam, vel ossis morbum, vel aliam ob causam major incisio indicetur, vulnusculum prius inflictum, super digitum vel specillum sulcatum, per vulnusculum

in

in cauum apostematis intromissum, amplietur sufficienter.

DCCII. Altera abscessum aperiendi et euacuandi methodus, *trajectione* nempe *setacei*, sequenti modo peragitur. Per paruam incisionem ad superiorem marginem abscessus factam acus obtusa paullum incuruata trans apostema ad inferiorem oppositam partem vsque trajicitur, vt extremitas acus obtusa per integumenta distingui possit. Hoc loco altera fiat incisio, priori major, per quam acus altero extremo, funiculum lineum, gossypinum vel bombycinum trahens educitur, et materia purulenta contenta lente euacuatur; reliqua tractatio sequitur chirurgiam setacei antea (CCLXII.) expositam. Haec itaque apostema medendi ratio, quae liberum aëris accessum prohibeat, pus lente educat, hujus liberum effluxum sustineat, leniorem denique irritationem inferat, in plurimis abscessibus majoribus, profundis, metastaticis, criticis, glandulosis, lymphaticis, lente suppurantibus duritie parum inflammata circumdatis, simplici majori incisioni omnino praeferenda videtur.

DCCIII. Tertia abscessum aperiendi ratio *per causticum* perficitur, cauterii lunaris seu alcali caustici portiuncula, quae ad locum fluctuantem nudae cuti per emplastrum adhaesiuum perfora-

foratum imponitur, atque alio emplaſtro obtegitur; nonnullis horis praeterlapſis eſchara cuti inuritur, qua ad methodum emollientem ſoluta, pus effluet. Haecce medendi ratio magis dolorifica, lentior inque profundis apoſtematibus minus ſufficiens minusque tuta eſt, quam ea, quae inſtrumento ſcindenti perficitur (DCXCIX.); in abſceſſibus tamen glandulofis, lente matureſcentibus praeſertim, inque illis, qui a reſorpto atque retento pure minantur periculum, magnumque poſcunt hiatum, ſimplici quidem inciſioni, minime vero ſetacei transjectioni praeferenda eſt; ſicut etiam aegrotis ferrum horrentibus aliquid dare prudentia jubet.

DCCIV. Abſceſſu aperto *pus* contentum effluit aut leni preſſione *educitur:* aliqualem tamen puris quantitatem in abſceſſu relinquere conuenit, quae cauitate coarctata lentius deinde effluere poteſt, et ſimul abſceſſum contra aëris aliorumque corporum alienorum injurias quodammodo tuetur. Nociuus aëris effectus, frigidi vel corrupti praecipue, in ſuperficiem apoſtematis aperti negari haud poteſt. Pus ex abſceſſu euacuatum laudabile, in vlcere breui pejorem indolem adſumit, vnde haud raro ſequuntur ſymptomata grauia (DCXCV.) expoſita. Curet inde chirurgus, vt aër de abſceſſu aperto quantum fieri poteſt arceatur, nec per paruam aperturam immiſſus

miſſus cum puris contenti parte retineatur; ſub quo ſtatu majori potius plaga abſceſſus aperiendus erit, vt grauiora mala auertantur. Deligatio abſceſſus aperti ſit rara ac cita, vlceris ſecuturi, ſuo loco pertractandi, genio adaptata.

## *Abſceſſus metaſtatici.*

DCCV. Abſceſſus metaſtaticus *eſt* tumor a collectione vel ſola depoſitione materiae purulentae ad quandam partem, ſine notabili hujus inflammatione praeuia, natus. Multiplici obſeruatione euictum eſt, collectionem purulentam breuiſſimo tempore in ſanguinem reſorberi et vel per emunctoria eliminari, vel ad ſingulares partes internas externasue deponi poſſe; talis tamen puris migratio longe frequentior, in abſceſſibus criticis quam veris inflammatoriis locum habet (DCLXXVI.). Neque minus conſtat, materiam purulentam in variis morbis, acutis, putridis, et exanthematicis vel poſt eosdem, in aliqualem partem internam vel externam deponi. Duplex inde eſt abſceſſus metaſtatici ratio, etenim

*a*) aut *migratione puris* ex vno loco in alterum;

*b*) aut *ejusdem, aliusue materiae morboſae* in morbo quodam ad partem aliquam *depoſitione* oritur, quae ſi cum morbi pri-

primarii leuamine accidit, abſceſſus criticus ſalutari ſolet.

Quum non ſemper verum pus in his abſceſſibus inueniatur, patet, hos quoque non omnes eſſe genuinos; lactei et lymphatici ſaltem huc referri poſſe videntur. At vero nullum in metaſtatico abſceſſu liquidum inuenitur, quod non induerit formam purulentiae aliqualem.

DCCVI. Apoſtema *metaſtaticum indicat* tumor ſubito exortus, cuti fere concolor, mollis, non ſolum in acumine, ſi ſuperficialis fuerit, vt inflammatorius, ſed vbique fluctuans, nulla vel parua, vel breui inflammatione praeuia, verum poſt alium abſeſſum vel morbum acutum aut chronicum praegreſſum, prognatus. Sub acris materiae purulentae metaſtaſi ad aliquam partem grauiſſima inflammatio partis interdum, cita in gangraenam terminata oritur.

DCCVII. *Sedem* communiſſimam abſceſſus metaſtatici praebet totus telae celluloſae ambitus; haud infrequenter tamen quoque glandulae parotides, maxillares, axillares, inguinales, oculi, genua aliaeue articulationes: denique hepar, pulmo, vt et cerebrum, migrantem materiam recipiunt. In celluloſa ob frequentiorem inflammationis defectum difficilius limitatur, facillimeque reſorbetur pus effuſum et tunc conditionem reſorpti puris (DCXC.) ſequitur.

DCCVIII.

DCCVIII. Ad *prognosin* abscessus metastatici quod attinet, ex puris boni translatione salutem exspectare licet, sed ex pure prauae indolis augmentum morbi; relinquit enim hoc massam corruptam, et difficilem praeterea vlceris curationem promittit; puris ad partem internam vel nobilem translatio, vbi euacuari non potest, semper ominatur mala. Post longum morbum exorti, admodum dolentes, rubicundi, difficulter suppurantes, abscessus metastatici haud minuentes symptomata morbi primarii, gangraenosi, sub viribus aegroti fractis vt plurimum vitae insidias struunt.

DCCIX. Abscessus metastatici *therapia*, ob resorptionis metum citam puris emissionem requirit, quae quidem simplici incisione, aut ad inflammationem, si indicetur, majoremque hiatum inducendum caustici impositi (DCCIII.) ope praestari potest; praeferri tamen meretur setaceum (DCCII.), quo liber aëris accessus, mire nocentis, ab abscessu auertitur, et praeterea lenior sed jugis irritatio sustinetur. In plurimis tumoribus metastaticis intutum est perfectam puris coctionem exspectare, siquidem tumor exortus subito saepe euanescere solet, cum irreparabili aegroti damno; vnde relaxantium emollientium loco irritantia, quin ipsa vesicatoria, cum fructu contra hos adhibentur. Rei ambiguae lucem adfun-

fundet fida epidemiae obſeruatio. Metaſtaſin depoſitam ad partem nobiliorem pulmones, cerebrum, hepar, oculos, omnibus viribus methodo antiphlogiſtica viribus aegroti adpropriata, deriuantibus, reuellentibus variis auertere et cito ad partes exteriores deriuare, ſumma ope nitatur chirurgus.

## *Abſceſſus ſpurii.*

DCCX. Ad *apoſtemata ſpuria* genuinum purumque pus non continentia pertinent

*a*) *nucleatum;*
*b*) *ſanguineum;*
*c*) *lymphaticum;*
*d*) *lacteum;*
*e*) *vrinoſum;*
*f*) *gangraenoſum* ſiue *gangraeneſcens;* et
*g*) *peſtilentiale.*

## *Abſceſſus nucleatus.*

DCCXI. Abſceſſus nucleatus, ſeu *furunculus, eſt* tuberculum inflammatorium ſuperficiale in ipſa cute ex folliculo ſeu glandula ſubcutanea exortum, durum, intenſe rubens, dolentiſſimum, in acumine prominens, raro magnitudinem oui columbini ſuperans, ſaepe multis in locis ſimul vel ſucceſſiue increſcens, rariſſime reſoluendum,

tardius, quam alii abſceſſus ab inflammatione nati, matureſcens, quo facto pus ſanguinolentum ex vno vel pluribus foraminulis ſpontaneis prorumpit, et denique nucleus purulentus, forticem fibroſum fere referens, in furunculo ſemper obuius, egreditur, et vlcus deinde facilem mundationem conſolidationemque admittit.

DCCXII. Abſceſſus hi *ſolitarii* in locis celluloſa abundantibus, a locali vitio exorti, praeter dolorem damnum non inferunt; *copioſi* vero, poſt grauem morbum aut in corpore ſenili vel cacochymico prouenientes, febri grauiori ſtipati, oſſibus, articulis, ano, ſcroto, bulbo oculi vicini, pejoris ominis ſunt, neque niſi congrua therapia interna, externa, debellantur.

DCCXIII. Hujus morbi *therapia* praeſcribit citam ſuppurationis promotionem, namque tentamen reſolutionis vix vnquam ſuccedit, imo diutius continuatum idem, plerumque morbum ſolummodo protrahit. Tumor valde inflammatus, durus, emollientia relaxantia (DCXCIV.; lentiſſime ſuccedens ſuppuratio, lenia irritantia; acutiſſimus dolor, externe ſimul opiata aut narcotica admota poſcit, ad duritiei ſolutionem et tumoris ſpontaneam disruptionem continuanda; neque negligantur interim remedia interna complicationi morbi adpropriata, ſan-

 guinis

guinis nempe miſſio, laxantia, emetica, regimen. Furunculi copioſi in ſenibus, vſum corticis peruuiani, in lactantibus, lactis commutationem poſcunt. Furunculus disruptus, cum ſanationem haud admittat, antequam nucleus contentus ſeparatus fuerit, et hoc remanente aut durities remaneat morbi reditum inducens, aut vlcus chronicum fiſtuloſum ſuccedat, omnino promovenda erit et fouenda ſuppuratio vnguento digeſtivo, cauſtico leniori pro re nata admixto, ope lintei carpti in vlcus immiſſo, donec nucleo ſeparato ac diſſipata duritie, morbus vlceris ſimplicis therapiam admittat.

## *Abſceſſus ſanguineus.*

DCCXIV. Abſceſſus *ſanguineus*, vel ſanguinem continens, contuſionis ſiue alius violentiae externae, rupturae vaſis cujusdam, aneurismatis, varicis, ſequela, ex cauſa praegreſſa haud difficile *dignoſcendus*, communem morbi, ex quo pendet, *medelam* ſequitur. Hic tamen notandum: etiam majorem copiam ſanguinis a viribus naturae, remediis reſoluentibus efficaciſſimis (CCCCLXXVII.) adjutis, omnino reſorberi atque in circuitum vniuerſalem reduci poſſe; haec itaque abſceſſum ſanguineum recentem medendi ratio omnino praeferenda atque tentanda erit:

con

contrario methodus emolliens ab hoc morbo minus indicata videtur, cum teſte experientia ſanguis nunquam in pus bonae notae abeat, ſed putrida ejus diſſolutio potius inde acceleretur. Quod ſi vero tumoris incrementum citum, laeſionem vaſis ſanguiferi notabilioris indicet, aut nullum reſolutionis ſignum poſt plures dies adpareat, praecipue inter partes aponeuroticas, vbi reſorptio ſemper ſuccedit ſegnior, aut ſi ſanguinis corruptio partium vicinarum corroſionem minetur, tumor incidendus, atque contentus ſanguis educendus erit; his factis vas ſanguiferum laeſum ac vlcus remanens, horum morborum therapiam ſequuntur. Interdum abſceſſus ſanguineus a cauſa interna exoritur, ſanguine per vaſa laxiora transſudante. Morbus quoad indolem et prognoſin cum abſceſſu lymphatico magnam habet ſimilitudinem.

DCCXV. Talis abſceſſus in *neonati capite* interdum occurrit, a peluis maternae preſſione ſub partu laborioſo ortus, circulo ſuo duriore, marginem oſſis diſſoluti vel deficientis mentiens, cui, niſi ad methodum (CDLXXVII.) expoſitam reſolui poſſit, tempeſtiua inciſione (DCXCIX.) medendum eſt, ne corruptio oſſis ſubnaſcatur.

## *Abſceſſus lymphaticus.*

DCCXVI. Abſceſſus lymphaticus *eſt* tumor circumſcriptus a lympha in textu celluloſo accumulata, poſt violentiam externam dudum praegreſſam vel morbum exanthematicum vel alium, in corpore cachectico, debili, circa dorſum, lumbos, nates, femora, rarius ad brachia pectusue, lente natus.

Morbus, ſua natura ſemper grauis ac periculoſus, tria *ſtadia* percurrit:

a) ab initio cognoſcitur tumore paruo plano, rotundo, haud decolore, indolente, elaſtico, flactuante, impreſſi digiti veſtigium non retinente.

b) creſcit deinde in molem, capitis magnitudinem ſaepe excedentem, cum ſuperueniente dolore et colore cutis ſupereminentis ex flauo rubeſcente.

c) eroditur denique tumor lymphamque effundit purulentam, inodoram; collabitur et remanet vlcus pallidum, aquoſum, ſinuoſum, perpetuo largam liquidi tenuis purulenti copiam ſtillans, aegrumque ſaepius intra anni ſpatium ſub febri lenta atque marasmo conſumens.

DCCXVII.

DCCXVII. Hujus mali *cauſa* proxima eſt perennnis et juga transſudatio lymphae, vix e ruptura vaſis lymphatici majoris deriuanda, ſed potius ex labe locali vaſorum lymphaticorum, interdum ſanguiferorum ſimul, circum abſceſſum jacentium.

DCCXVIII. Circa *curationem* mali experientia docet tumorem lymphaticum clauſum nulla arte reſolui; emollientibus et compreſſione tentatum, velocius increſcere et magis dolore, eundem apertum porro et ſuppurantibus tractatum, copioſius fluidum fundere; ab adſtringentibus denique adhibitis tumoris peripheriam augeri. *Primum* hujus morbi *ſtadium* citam aperturam, ſetaceo trajecto inſtituendam, vſumque adſtringentium, antiſepticorum, balſamicorum exigit. Vlcus artificiale diu largeque fluens, in vicinia loci adfecti excitatum, heic interdum profuit. In *ſecundo ſtadio* contigit mihi mutare abſceſſum lymphaticum in vlcus benignum ſedulo roborantium vſu, et reſectione cutis atque telae celluloſae a tota peripheria abſceſſus. In *vnico* caſu illinitionem acidi ſalis in tota ſuperficie abſceſſus aperti proficuam fuiſſe vidi. In *tertio* denique idem forte tentandum foret; alia ſaltem remedia hucusque adhibita ſpem fefellerunt.

DCCXIX.

DCCXIX. Cum abſceſſus *lymphaticus* clauſus natura ſua vix ſit ſolubilis, et liquidum contentum denique acrimoniam acquirat, morbi malignitatem aucturam, emiſſio humoris in omni morbi ſtadio ſemper indicata videtur, absque irritatione phlogoſin inductura et ſub aëris acceſſus in cauum apoſtematis ſcrupuloſiſſimo praepedimento. Conuenit inde, cute in anteceſſum retracta, parua punctura facta humorem euacuare, et relicta cute vulnusculum mox obtegere, vulnusculi cutanei vero labia emplaſtro adhaeſiuo ad artem reunire. Quae operatio impleto iterum tumore repetenda erit, ſetacei perductioni omnino praeferenda.

## *Abſceſſus lacteus.*

DCCXX. Abſceſſus *lacteus*, materiam purulentam lacte commixtam continens, *oriri* poteſt in *puerperis* aut *lactantibus*

- *a*) vel a ſecretione lactis abundante cum eductione, comparatiue ad ſecretionem, juſta minori.
- *b*) vel ab impedita ejus euacuatione,
- *c*) vel a ſuppreſſa lactis de ſanguine ſecretione,
- *d*) vel a morboſa denique ejus reſorptione.

DCCXXI

DCCXXI. Variae hunc morbum inducere poſſunt *cauſſae.* Frequentiſſimae ſunt: denegata aut ſponte, aut ob neceſſitatem *lactatio; alumni defectus* aut debilitas; *papillae* depreſſio, vlceratio, defectus, ſenſilitas ſuctionem haud ferens, ductuum lacteorum minor numerus, coalitus vel obſtipatio; *mammarum* diuturna praecedens compreſſio a thorace ſtrictiori, laxitas aut relaxatio, defectus aut rigiditas, nimia adipis copia in mammis, ſuppurationes praegreſſae, cicatrices, indurationes; *lactis praua conſiſtentia*, tenacitas, ſpiſſitudo, acrimonia; diaeta ac regimen nociuum; refrigerium aut ipſius mammae aut totius corporis, hoc inprimis calente ſuſceptum; animi pathemata; violentiae externae; ſtimuli varii lac ad aliam partem deriuantes; fluxus lochiorum ſubito ſuppreſſus; vermes; alius morbus accedens, vti febris inflammatoria, bilioſa, putrida, neruoſa, exanthematica; remedia externa frigida, acida, ſpirituoſa, alcalina, intempeſtiue adhibita. Quae omnia

*a*) *tumores vel nodos lacteos*

*b*) aut *abſceſſum* lacteum in ipſa mammae ſubſtantia,

*c*) aut *metaſtaſin* lacteam juxta aliam corporis partem gignere poſſunt.

DCCXXII. *Tumores* ſeu *nodi lactei* ſaepius quidem breui poſt denegatam vel ſuppreſſam lactatio-

tionem, interdum poſt longum temporis ſpatium, lactis ſecretione haud plane ceſſante, oriuntur. Quamquam ſparſim cartilagineam duritiem adſumant, et ſcirrhum incautis mentiri poſſint, lactem tamen continere ſolent, et vix vnquam in ſcirrhum genuinum tranſeunt. Semper fere, quanquam per annos ſubſiſtant, reſolutionem admittunt, aut ſi phlogoſis accedat in abſceſſum lacteum tranſeunt. Reſolutio promouetur frictione leni, frequenti, verſus papillam directa, ſuctione papillae, remediis emollientibus tepidis diu continuatis, cui ſcopo cataplasmata e cicuta, hyoſciamo, ſeminibus lini, croco et oleo paratum inſeruit. Laudatur quoque axungia cum ſale cornu cerui. Semper comitatur reſolutionem tumoris effluxus lactis per papillam. Poſt nouam grauiditatem, ſub lactatione infantis, tumores lacteos inueteratos ſponte euanuiſſe compertum eſt.

DCCXIII. In ipſa mamma nimia lactis a qualicunque cauſſa (DCCXIV.) congeſtio, mammam ſaepe mirum in modum diſtendens, primo *tumorem* creat inaequabilem, nodoſum, ſerpentinum, quaſi a ductibus lactiferis extenſis, verſus axillam praecipue. Subſiſtente cauſa accedunt dolor, inflammatio ampla quidem, attamen raro totum mammae ambitum occupans, ſaepius

no-

nodoſa, et deſinens in *abſceſſum* vnum aut plures a ſignis (CDLXXXIV.) recenſitis dignoſcendos.

DCCXXIV. Talis abſceſſus *auertitur*, tempeſtiua ac ſufficiente lactis eductione ab alumno vegeto, ſano; ſtrenue cauſarum nocentium euitatione; ſpontaneo effluxu lactis ſollicitato, frictione blanda repetita; attractione et ſuctione papillae plures ante partum hebdomades bis vel ter quotidie inſtituta; epithemate relaxante, reſoluente, tepido, cui ſcopo inſeruire poſſunt lac ſapone commixtum, farinoſa varia, ſemina petroſelini, chaerefolii, hujusue folia contuſa, ſolutio ſalis ammoniaci in aqua pura addita aqua reginae hungaricae cet. Niſi hoc ſuccedat, lactis eductio artificialis tentetur, ſuctrici experta (CCLXXVIII.), catulo, vitro lactiſugo, cucurbita, vaſculo lactiſugo e reſina elaſtica parato, aut antlia denique lactiſuga. Notandum tamen talem lactis eductionem vix ac ne vix quidem conducturam, ſi jam in mammis adfuerit phlogoſis, et grauis ab eductione tentata dolor exſurgat. Subjungatur porro diaeta tenuis, adminiſtretur methodus antiphlogiſtica viribus aegrotae reſpondens, hirudines praecipue, laxantia, clysmata, lochiorum fluxum prouocantia. Dolor grauiſſimus opium poſcit, ſub cautelis (CCCCLXXI.) expoſitis. Emollientia denique his incaſſum tentatis haud differenda.

DCCXXV. Abſceſſus lacteus in mamma jam formatus, haud *aperiendus* eſt, antequam perfecte maturuerit, ſaepiſſime rupturae ſpontaneae committi poterit. Sectio ſi judicetur neceſſaria, punctione parua educatur liquidum. Majores inciſiones vel ante perfectam maturationem inſtitutae, vlceribus malignis anſam dare poſſunt. Neque omne pus ſimul educatur. Vulnuſculum inflictum turunda tenui aperta teneatur, ad omnis duritiei plenariam abſentiam. Inciſiones prope papillam haud niſi vrgente neceſſitate fiant, et, ſi talibus opus eſt, culter verſus papillam dirigatur; etenim ductuum lacteorum transſciſſio papillae retrotractioni, ac impeditae lactis excretioni anſam dare poteſt. Reliqua communem abſceſſuum curationem (DCCIV. ſeq.) ſequuntur. Vlcera interdum ob diuturniorem lactis effluxum, haud niſi ſuppreſſione ſecretionis lactis ſedandum, difficilius ſanantur; huic ſcopo inſeruiunt diaeta parca, lenis mammae compreſſio, repetita laxantia leniora, diaphoretica, diuretica, interdum humerum qualecunque vitium ſanationi obſtat, ad ſpecialem illius indolem debellandum; nec raro indurationes remanent, minime tamen genii ſcirrhoſi aut carcinomatoſi, ad horum morborum rationem ſuo loco dicendam, tractandae.

DCCXXVI.

DCCXXVI. Lac, prauae indolis praecipue, in corpore retentum, *vix* absque noxa *humoribus* admiſceri, aut eis *adſimilari* poteſt, ſed

*a*) aut per varia *emunctoria*, fluxu lochiorum, diarrhoea, vrina, ſudore, emeſi, ſaliuatione; per fonticulos ſeu alia vlcera *ejicitur*.

*b*) aut ad aliam qualemcunque *partem corporis deponitur*, metaſtaſin lacteam formans.

*c*) aut denique *febrem lentam hecticam* inducere poteſt.

DCCXXVII. Metaſtaſis lactea multa eaque grauiſſima *mala inducere* poteſt. Delata

*a*) ad *caput*, apoplexiam, cephalalgiam, delirium, fatuitatem, paralyſin, ſpasmos, coecitatem, cophoſin, ophthalmiam, epiphoram cet. parit.

*b*) ad *thoracem*, phthiſin pulmonalem, peripneumoniam, pleuritidem, tuſſim, aſthma, catarrhum ſuffocatiuum gignit.

*c*) ad *abdomen*, aſcitidem, morbos viſcerum, vteri, ouarii, tubae, ligamenti lati, rotundi, ſinguli ſeu vtriusque.

*d*) ad *partes exteriores;* ad partes abdominis contentas, dorſum, lumbos, nates, articulos, glandulas inguinales, axillares metaſtaſis lactea deponi poteſt.

*e*) ad

*e*) ad *cutem* denique, eruptiones varias herpeticas, ſcabioſas, paronychias cet. inducere poteſt.

DCCXXVIII. De metaſtaſi lactea *ſuſpicio alitur* juſta, quoties aut nullum aut parcum lac in mammis puerperarum adfuerit, lochia parca fluant, dolor inſurgat ad aliquam partem fixus, ſub horroribus intercurrentibus, febri, partis adfectae tumore, tractum vaſorum in extremitatibus ſequente, tenſione, functione laeſa, et inſequente denique fluctuatione, absque notabili inflammatione externa praegreſſa. In cacochymicis interdum in gangraenam tranſit morbus, vrbium incolis ac diuitibus longe frequentior, quam ruriculis atque pauperibus. Prognoſis pro conſtitutione aegroti, ſitu ac dignitate partis adfectae, ac morbi denique grauitate variat.

DCCXXIX. Malum *auerti* poteſt tempeſtiua lactis eductione per mammas ad modum (DCCXXVII.) expoſitum, per vterum remediis lochia prouocantibus, per aluum laxantibus ſalinis, inter quae arcano duplicato majori doſi adſumpto ſpecificam virtutem tribuunt nonnulli, per vrinam diureticis, per ſudorem diaphoreticis variis; horum remediorum prudenti et tempeſtiuo vſu incipientem metaſtaſin omnino *reſorberi* poſſe certa experientia conſtat. Vbi autem adoleuit malum in

in loco inciſionem admittente, mox ad maturantia, irritantia (DCLXXXIX. c.) et ad tempeſtiuam liquidi contenti lactei, grumoſi, purulenti *eductionem* recurrendum erit. Vlcus remanens therapiam hujus morbi ſequitur.

DCCXXX. Singularis *oedematis* ſpecies, puerperarum extremitates inferiores haud infrequenter occupans, nonnullis *lacteum*, aliis *lymphaticum* dicta, tumore calente, dolente, retinente, foueam impreſſi digiti non renitente, interdum a ſuperioribus ad inferiora deſcendente facile dignoſcitur ac ab oedemate hydropico omnimode diſcrepat, et in oedematis expoſitione vberius pertractabitur.

## *Abſceſſus vrinoſus.*

DCCXXXI. Abſceſſus vrinoſus *eſt* tumor ab effuſo in telam celluloſam lotio poſt rupturam, vulnus vel aliam diſſolutionem viarum vriniferarum ortus, fluctuans, in perinaeo, natibus, ſcroto, abdomine obuius, quo inciſo vel rupto vrina effluit. Praeter loci fluctuantis inciſionem therapiam fiſtulae vrinariae inferius pertractandam deſiderat.

Ab-

## *Abſceſſus gangraeneſcens.*

DCCXXXII. Abſceſſus gangraeneſcens, *carbunculus* ſeu *anthrax* dictus, *eſt* furunculus malignus, ſaepiſſime genii putridi, rarius ab alia humorum labe inductus, nucham, dorſum, lumbos, nates frequentius infeſtans. Morbus ſeſe manifeſtat tuberculo duro, arido, circumſcripto, furunculum magnitudine ſuperante, admodum dolente, vrente, in cujus ambitu cito et late diffunduntur rubor et dolor, prouenientibus deinde in ſuperſicie puſtulis liuidis nigricantibusque ſaniem acrem continentibus ac breui in gangraenam tranſeuntibus; figura tumoris tunc in ellipticam mutata, epidermis ſecedit: rupto ſeu aperto tumore ichor tenuis, purulentus ſanguinolentus, nigricans, acris, putridus effluit, et continentia omnia gangraenoſa cum profundo hiatu apparent. Febris anthracis perpetuus comes, in morbi initio interdum ſub larua febris inflammatoriae inuadens, cito in putridam abit, alias mox indolem malignam prodit, ad horum morborum indolem tractandam.

DCCXXXIII. Diriſſimi mali *chirurgia*

*a*) acredinis cauſticae per carbunculum eliminationem,

*b*) ac

*b*) ac gangraenoſi deinde ſeparationem, molitur: per inciſiones profundas, ſcarificationes largiores, cataplasmata irritantia, ſuppurantia validiſſima et antiſeptica; inter quae oleum terebinthinae, balſamum terebinthinatum, vnguentum digeſtiuum ſale ammoniaco acuatum ac cortex peruuianus principem locum tenent. Nonnulli tempeſtiua exſtirpatione tumoris, aut illius ope cauterii actualis ſeu cauſtici profunda deſtructione, citiorem atque ſecuriorem morbi ſolutionem ſperant. Inflammatoria morbi incipientis indoles methodum poſcit antiphlogiſticam ad vires aegroti cito ac ſtrenue adhibendam; haud neglecta ſimul primarum viarum expurgatione. In putridam abiens febris largum corticis peruuiani vſum, acida, vinum generoſum aliaque poſcit in therapia gangraenae exponenda. Omni parte gangraenoſa ſeparata vlcus inſtar ſimplicis tractatur; interdum cutis ſolutae partem reſecare cogimus, antequam vlcus conſolidetur.

*Ab-*

## *Abſceſſus peſtilentialis.*

DCCXXXIV. Abſceſſus ſeu *carbunculus peſtilentialis*, malum in noſtris regionibus infrequens, a morboſa materia in febribus peſtilentibus ad telam celluloſam vel glandulam delata *exoritur.* Lati ſuppurantes, in celluloſa reſidentes, critici; in partibus glanduloſis, deteriores; reſolutione ſubſidentes, lethales. Curationem cum anthrace communem admittunt.

---

AB-

# ABSCESSUS IN SPECIE.

DCCXXXV.

Specialem in diagnosi, prognosi ac therapia differentiam constituit diuersa abscessuum sedes. Sic abscessus *encephali*, *sinus frontalis*, *maxillaris*, *gingiuarum*, *orbitae*, *oculi*, *genarum*, *glandulae parotidis*, *axillaris*, *inguinalis*, *lumbaris*, *faucium*, *pectoris*, *hepatis*, *articulationum* singularem sibi vindicant pertractationem quique.

## *Abscessus encephali.*

DCCXXXVI. Abscessus *intra thecam cranii*, a violentia praegressa, inflammatione, metastasi oriundus, a symptomatibus compressi aut irritati cerebri ejusque functionibus diuersimode laesis *dignoscendus*, attentissimam status praeuii et praesentis dijudicationem requirit. Vbi admouendi trepanum locus indicatur, hac sola operatione, et, si profunde haereat pus, ipsius cerebri incisione simul aegrotus seruari potest; quae omnia in historia vulnerum capitis explicabuntur.

## *Abſceſſus in ſinu frontali.*

DCCXXXVII. Abſceſſus *in ſinu frontali* ſaepiſſime ab inflammatione membranae ſinum inueſtientis, vera, mixta vel ſpuria, ab acrimonia quadam ſyphillitica, rheumatica, ſcabie, tinea, herpetibus, aliisue eruptionibus cutaneis repreſſis, *inducitur*, rarius a foraminum pituitam in nares transmittentium obſtructione, violentia externa, muco craſſiore, vel ſero collecto, vlceribus, carie, polypo aliaue cauſa ortum trahit. *Diagnoſis* in principio morbi haud raro eſt *ambigua*. Status tamen inflammatorius genuinus, a certis ſignis characteriſticis, dolore nimirum fixo, graui, ac febre cognoſcitur. Mixta autem vel ſpuria phlogoſis, vel liquidi cujuscunque accumulatio, difficilius a dolore grauatiuo chronico in fronte dijudicantur; diu inde morbus, grauedinem mentiens, interdum latere poteſt, donec grauiora demum mala ſurgant. Si poſt genuinam inflammationem dolor frontis obtuſus, chronicus cum narium ſiccitate remanet, ſuppurationis, aut collecti ſaltem liquidi, in ſinu frontali ſuſpicio merito oritur. *Clarius* morbi indolem docent effluxus ex nare puris, prudenter tempore matutino dijudicandi (DCLXXX.), tumor palpebrae ſuperioris oedematoſus, eryſipelatoſus, ſuccedens laterum ſinus diſtenſio, coecitas, caries et diſſolutio oſſis ſequens aut externa, quae

quae ſalutarem puri exitum parat, aut, quod ob tabulae interioris minorem craſſitiem ſaepius accidit, interna, periculoſiſſimam, vt plurimum lethiferam puris intra cranium effuſionem ſecum vehens. Quamquam ſigna compreſſionis cerebri, forſan ob lentiſſime auctum compreſſionis gradum abeſſe ſoleant.

DCCXXXVIII. *Therapia* hujus morbi includit

*a*) *prophylaxin*, qua phlogoſis, quae interdum parui aeſtimari ſolet, tempeſtiue cognita, methodo antiphlogiſtica, deriuante, reuellente tollitur.

*b*) liquidi collecti *eductionem*, quae, niſi per naſum ab injectione liquidi emollientis, ſeu vaporibus tepidis attractis, ſuccedat, nec per corroſionem ſimplicem externam puri exitus pateat, nec denique per dilatatum vlcus externum et hiatum oſſeum parari poſſit, deſiderat trepanationem, et pure in vtrumque ſinum effuſo, ſepti ſufficientem perforationem, vlcerisque demum tractationem juſtam ſuo loco exponendam, cauſae morbi ſubſiſtenti adornatam.

DCCXXXIX. Liquido ab abſceſſu ſinus frontalis per aperturam externam educto, triplex ſuccedere poteſt *euentus*. Etenim

*a*) aut, vbi ex fundo ſinus *patet hiatus* in naſum internum, (id quod tam ex injectis per vlcus externum in nares penetrantibus ipſas, quam ex egreſſu aëris exſpirati per vlcus externum dignoſcitur tuto) vlcus externum rite obtectum, juxta regulas artis ſuo loco dicendas, ſanatur ſimpliciter.

*b*) aut, *cauitas* ſinus frontalis tota a papillulis carneis lente prorepentibus demum *repleta* atque occluſa, admittit conſolidationem facilem atque tutam vlceris externi.

*c*) aut denique ex occluſa naturali apertura naſali ſinus frontalis, enata et praeſens fiſtula ſtillans liquidum purulentum aut mucoſum, aliam jubet ineundam methodum medendi: *ſtillicidium purulentum* quidem indicare ſolet cariem oſſis latitantem, ſollicite et caute explorandam atque modo, ſuo loco dicendo, tractandam; *mucoſum* autem ſecure et certo aufertur *dilatatione foraminis naturalis* in cauitatem narium patuli, detecti, aut nouo exitu pituitae per *perforationem artificialem* oſſis parato. Judicamus e contrario eſſe plenum aleae opus, et medendo huic malo

vix

vix ſuffecturum, tentare in hoc caſu *deſtructionem membranae* ſinum frontalem intus veſtientis *cauſtico*, ſemper in tanta cerebri vicinia et ob metuendam ſimul oſſis corruptelam maxime ſuſpecto. De excreſcentiis, polypis aliisque, quae forte accedere poterunt, dicetur infra ſuo loco.

## *Abſceſſus ſinus maxillaris.*

DCCXL. Abſceſſus ſinus maxillaris *eſt* collectio materiae purulentae, ſeroſae, lymphaticae, ſanguinolentae, gelatinoſae, pultaceae, in cauo oſſis maxillaris; cujus *cauſam* ſuppeditant praegreſſa inflammatio vera, mixta, ſpuria membranae ſinum inueſtientis; obſtructio aperturae naſalis, et inde impeditus muci effluxus; ipſius muci acrimonia; caries dentis vnius ſeu plurium; ipſa maxilla carioſa, hujus ſub euulſione dentis laeſio qualiscunque; vulnera; contuſiones; corpora aliena, alimenta, vermes, acus, feſtuca lignea, calculus, aliaque in ſinum apertum immiſſa; acrimonia varia rheumatica, venerea, varioloſa, eruptiones cutaneae ſuppreſſae aliaque dicta, quae abſceſſum inflammatorium (DCCXCI.) aut metaſtaticum (DCCLV.) inducere valent.

DCCXLI. *Diagnoſis* abſceſſus genuini in ſinu maxillari differt pro gradu morbi.

*a)* *antecedit* hunc *inflammatio* membranae ſinum inueſtientis, cum calore et dolore pulſante, profundo lateris faciei ad orbitam ſe extendente, et aliquali febri conſenſuali; *ſequitur* dolor obtuſus profundus a preſſione genarum non augendus, odontalgia et emunctio materiae purulentae, vbi apertura ſinus naſalis non occluſa fuerit, ejusdemue e naſo effluxus, dum aeger ſano lateri incumbat.

*b)* abſceſſus tunc ſibi relictus *oſſis maxillaris intumeſcentiam* parit, aut verſus naſum hujus cauum anguſtantem, aut ad orbitam proptoſis ſpeciem inducentem, aut ad palatum oris cauum anguſtantem, aut foſſae caninae, quod ſaepiſſime accidit, difformem faciei diſtractionem creantem, aut denique os in toto ambitu extenditur. Pro vario diſtenſionis oſſeae gradu molliores et flexiles euadunt parietes, ita vt per hos fluctuatio interdum diſtincte ſentiri poſſit.

*c)* *oſſe* denique *eroſo*, *prorumpit pus* per fiſtulas in ore, gena, naſo, orbita, inter dentem et gingiuas, pone aures, ſae-

ſaepiſſime ſub odontalgia ſatis graui. Stylus exploratorius in oſſis antrum penetrare poteſt. Sequuntur, niſi tempeſtiuum adferatur auxilium, mala grauiſſima ſaepe inſanabilia.

DCCXLII. *Obſtructio* aperturae naſalis ſinus maxillaris interdum abſceſſum antecedens, interdum ſequens *indicatur* a ſiccitate praeternaturali caui naſalis, et deficiente effluxu muci, puris, liquidi per fiſtulam ſi adfuerit in ſinum oſſis injecti, vel ſub decubitu aegri in latere ſano. Odontalgia carioſa nunc cauſam abſceſſus ſinus maxillaris praebet, nunc ab hac inducitur, ſi pus in antro contentum radices dentium corrodat.

DCCXLIII. Abſceſſus ſinus maxillaris ſibi relictus ſemper ancipitem dat *prognoſin.* Sub priori ſtadio, ob minores moleſtias, odontalgiam rheumaticam haud raro mentientes, flocci fieri ſolet morbus interdum. Ad ſecundum vel tertium ſtadium vero increſcens morbus, ob auctam cariem, puris acrimoniam, ejusque reſorptionem, induit indolem malignam, cancroſam mentientem, et ſaepe necare valet. Fiſtulae prorumpentes vix vnquam pro educendo liquido contento ſufficiunt, maxime, quae ad partem ſuperiorem ſinus haerent. Inflammatio tempeſtiue cognita omnino per methodum antiphlogiſticam, deri-

deriuantem, reuellentem, reſolui et ita grauius malum futurum auerti poteſt.

DCCXLIV. *Curatio* abſceſſus in ſinu maxillari nati, deſiderat

*a*) puris eductionem tempeſtiuam,

*b*) vlcerisque therapiam.

DCCXLV. *Puri paratur exitus* variis modis, et primo quidem, ſecundi vel tertii *dentis molaris*, cujus radices mediam ac inferiorem caui maxillaris partem reſpicere vel adire ſolent, aut alius carioſi, dolentis, decoloris, aut plurium ſimul, *euulſione*; quod ſi a dente euulſo aditus in ſinum non pateat, fundus alueolaris ac membrana ſinum inueſtiens perforantur inſtrumento acuto polygono, cujus circumductione apertura facta ſimul dilatari poteſt; perforatione facta, pus contentum, cum muco naturali omnino non confundendum, effluit. Liquidum inter plura ſepta oſſea haerens plurium dentium euulſionem, offisque deinde perforationem poſcit. Haec ſinum aperiendi ratio omnino praeferenda erit, quoties dentis caries, puris inter hunc et gingiuas effluxus aut fiſtula ad gingiuas hunc locum indicant. Minus vero conueniens merito habetur eadem, vbi major apertura requiritur, vbi caries late ſerpens, polypi, exoſtoſes, corpora aliena in ſinu adſunt, denique vbi margo al-

ueo-

ueolaris ob dentium defectum complanatus eſt, vel plane nullum veſtigium dentis adfecti aut carioſi cernitur.

DCCXLVI. Recurrendum in hoc caſu erit ad *perforationem oſſis externam* ſupra dentes molares *in foſſa canina* dicta juxta baſin proceſſus zygomatici inſtituendam encheireſi ſequenti. Clauſis maxillis, angulus oris vnco obtuſo extrorſum ducitur, vt locus perforandus pateat; integumentis loci ſelecti hujus inciſione cruciata diuiſis, os denudatum perforatur inſtrumento acuto angulato, ſeu paracenterio, ac hiatus deinde inſtrumenti circumductione ampliatur, quae ampliatio, ſi antrum oſſeum dilatatum fuerit, ſatis facili negotio ſuccedere ſolet. Vbi *tumidum* prope dentes *palatum* foret et per emollitam oſſis ſubſtantiam diſtinguitur fluctuatio, omnino in hoc loco *perforatio* inſtituenda eſt. Perforatio ad ſuperiorem et anteriorem ſinus partem ob altiorem ſitum, effluxui puris obſtantem, parum prodeſt; attamen perforatio in parte inferiori ſinus inſtituta paracenterio fiſtula incluſo, trans ſinum in parte ſuperiori ejusdem extruſo, et mediante fiſtula, *ſetacei transjectio*, cum ſucceſſu adhibitae fuerunt.

DCCXLVII. Apertura facta *ſeruatur peruia* ad abſentiam effluxus purulenti, cum muco naturali

turali haud confundendi, plenariam, ope *turundae*, *chordae*, *ſpongiae* aut *cannulae* e reſina elaſtica, vel auro confectae vel auro obductae ſub debitis, ne in cauum illabantur, cautelis. Cauum ipſum vero injectionibus conuenientibus, dicendis in chirurgia vlcerum, depuretur. *Vermes* injecto decocto nicotianae certiſſime necantur: explorandum interea, vtrum apertura naſalis ſinus peruia ſit, an occluſa, ſiue ante morbi acceſſum aut ſub curatione: quod ex (DCCXL.) dictis dijudicatur. Status prior radicalem ſanationem admittit, in poſteriori caſu fiſtula pro effluxu materiae mucoſae ſeruanda, vel noua apertura naſalis ope paracenterii curuati paranda erit, niſi apertura naturalis, vapore emolliente inſpirato, et injectione, aut errhino iterum reſerari poſſit, aut membrana ſinum inueſtiens plane deſtructa et cauum repletum fuerit. *Injectionem in aperturam* ſinus maxillaris *naturalem*, naſalem nempe, ope ſyphonis tubulo curuato inſtructi inſtituendam, ob inductionem difficiliorem ac ſaepe impoſſibilem, ac effectum in abſceſſu ſinus maxillaris minime ſufficientem, ſcopo ſuo haud plane ſatisfacere comperimus. De carie, exoſtoſi, polypo, hujus morbi cauſſa vel effectu, vti et de enchereiſi ad euellendum dentem, alio loco dicetur.

*Ab-*

## Abſceſſus orbitalis.

DCCXLVIII. Abſceſſus in *orbita* inflammationis ſeu metaſtaſis, partes pone oculum occupantis, *proles*, acutiſſimam febrem, dolores intolerabiles, oculique prominentiam *creans*, tempeſtiua inciſione, in ea, quae fluctuationem monſtrat, parte inſtituenda, et reliqua vlceris apoſtematoſi tractatione *curatur*, interdum in ipſum cranii cauum proſerpit pus, ſymptomata grauiſſima inducens. Abſceſſus in *oculi cantho interno*, ſi ſentiri poſſit fluctuatio, cito aperiendus erit, quo corroſio viarum lacrymalium auertatur.

## Abſceſſus bulbi oculi.

DCCXIX. Pus ophthalmiae verae, mixtae, ſpuriae ſequela in variis *locis bulbi oculi* accumulari poteſt, quorum abſceſſuum quisque propriam medelam poſcit. Etenim adeſſe poteſt

*a*) *inter conjunctiuam atque corneam*,

*b*) *inter lamellas corneae transparentis, vnguis* nomine gaudens, aut denique

*c*) *in cameris oculi* humorem aqueum continentibus, qui abſceſſus *Hypopion* ſalutatur.

DCCL.

DCCL. Materia *purulenta* inter *corneam* atque *conjunctiuam* duplicem abſceſſum formare poteſt. Etenim

*a*) ſub ophthalmia plus, minus graui, interdum ad corneam transparentem vel opacam ſurgit *veſicula liquido purulento repleta*, vel plures ſimul, parum tamen ominoſae, cum therapiae ophthalmiae (DLVII.) expoſitae vt plurimum cedant. Inciſionem ſaltem haud ferre videntur.

*b*) interdum *major puris copia* inter conjunctiuam atque corneam accumulatur, abſceſſum formans interiorem illius partem occupantem, lenta adſcendentem atque prominentem, coloris albicantis ſubflaui. Morbus niſi therapiae antiphlogiſticae ac frequenti oculi elutioni cum decocto maluae breui cedat, aut abſceſſus ſponte rumpatur, inciſionem poſcit, apice lanceolae ad marginem corneae peragendam, quo facto materia contenta ſpecilli ope educitur. Morbum interdum ſequitur macula, abſente plane inflammatione, therapiae denique cedens alio loco pertractandae.

Vn-

## Vnguis.

DCCLI. Vnguis *eſt* collectio materiae purulentae inter lamellas corneae pellucidae ab inflammatione vel metaſtaſi varioloſa, venerea, ſcrophuloſa ortum ducentis. *Sedem* vngui praebent, tam exteriores quam interiores laminulae, quemadmodum pus mox ſuperius, mox verſus mediam partem, ſaepiſſime ad circulum corneae inferiorem congeritur; figura modo imitatur ſegmenta ex vnguibus digitorum, modo lunulam ad radices vnguium digitalium, modo lunam cornutam, maxime ſi exigua puris copia adſit; major totum corneae ambitum occupat. N*oſcitur* morbus a macula alba vel flaua, viſui plus minus infeſta, pro majori vel minori, quam obtegit, parte pupillae; cornea caeterum transparente, laeui, polita, ſine abſceſſu aut vlceratione ſuperficiei, irideque ac pupilla conſpicuis inſpicienti oculum a latere maculae oppoſito. Vnguis valde ſuperficialis valet gignere veſiculam in cornea externam, (DCCL.) et prominentiam internam, ſi inter laminas corneae interiores haereat pus.

DCCLII. Hujus morbi *prognoſis* ex copia et qualitate puris effuſi, nec non loco, quem in cornea occupat, pendet. Parcum nempe et benignum pus ſubinde a natura medicatrice ſola,

vel

vel arte adjuta, refoluitur, interdum per fuperuenientem ophthalmiam, quae plurimum materiae pituitofae et glutinofae e glandulis palpebrarum febaceis fundit, deriuatur. Abundans vero pus et acre, quale metaftafis adferre folet, erodit lamellas corneae, vlcusque, fi anteriores; hypopion, fi pofteriores; fiftulam, cum humoris aquei effufione, fi omnes exeferit, inducit. Quo major, profundior centroque corneae propior eft vnguis, eo difficilior eft curatu, faepeque vifus immedicabilem abolitionem parit. Pure condenfato aut exficcato *albugo* feu *leucoma* nafcitur. Poft operationem vnguis, dextre licet peractam, haud raro reftat in loco macula et cicatrix alba, praecipue in adultis et fenibus; e contrario: quo fubjectum eft junius, minus cacochymicum, quo vnguis benignior, a centro corneae remotior, quo magis fuperficialis, quo citius rectiusque fubjicitur debitae therapiae, aut medicamentis cedere nolens operationi chirurgicae, quo citius denique ab operatione facta lamellae euadunt flaccidae atque rugofae, eo magis adfulget fpes curationis fucceffurae.

DCCLIII. *Therapia* vnguis defiderat fequentia:

a) vt *adfluxus humorum* ad oculos nimius *moderetur, reuellatur, deriuctur,* methodo

thodo antiphlogiſtica expoſita in chirurgia ophthalmiae (DLVII.) cito ac ſtrenue adhibita,

b) vt *ſtaſis ſanguinis atque puris* tempeſtiue *diſcutiatur*, reſoluatur, cui indicationi inſeruiunt eadem deriuantia, veſicatoria ad tempora et pone aures, epithemata, ſacculi, collyria ex remediis reſoluentibus (DLXVIII.) parata tepide admota; inter haec decoctum ſaturatum maluae inſignem virtutem monſtrauit; vbi vero ſpes horum fruſtratur,

c) *puri* inter lamellas corneae ſtagnanti, tempeſtiue, antequam inſpiſſata fuerit materia purulenta, cultro *paretur exitus;* aegroto nempe in ſedili collocato, chirurgus diductis palpebris, ſuperiorem attolli curat per adſtantem, ipſe deprimit inferiorem; quo facto apicem ſcalpelli exilis, ancipitis, in locum corneae adfectae tumidiorem, albidiorem ac decliuiorem, a centro corneae remotiorem, illaeſis laminis *internis* caute ad puris ſedem intrudit, vt major efficiatur hiatus, cum minor materiam ſpiſſiorem haud emittat; alii inciſionem ad cameram oculi anteriorem protractam praeferunt, vt materia purulenta effluente

fluente humore aqueo eo certius elui possit. Incisionem cruciatam, quam commendatam legimus, obscuratio corneae sequi solet.

*d)* pure leni specilli pressione educto, vulnusculum *lauandum* atque *fouendum* erit, admisso vapore tepido vel aliquot guttulae decocti seu infusi maluae, altheae, hyssopi cet. jugiter oculo instillantur, aut labrum ophthalmicum tali decocto repletum ad oculum admouetur, et cornea ab hoc decocto alluitur identidem, donec aut vulneris sanatio, aut partis adfectae exfoliatio succedat.

Metastasis morbosa, praeterea therapiam poscit morbi genio adornatam.

DCCLIV. Cicatricis albae, opacae, remanentis, si superficialis fuerit, detersio tentari potest, per puluceres aut vnguenta leniter detergentia et mitissima septica. Vasa sanguifera supra maculam repentia, eamque nutrientia, subducta acu scindente vel lanceola, vel forfice idonea transscindantur vel auferantur. Ipsius cicatricis ope scalpelli separationem cum successu administratam fuisse legimus. Vulnera corneae ad primam indicationem absque cicatrice remanente sanantur, si vero inflammatio accedat opacitas remanere solet.

Hy-

# Hypopion.

DCCLV. Hypopion *est* collectio puris in camera oculi inter corneam, iridem atque lentem, a praegresso abscessu inflammatorio, corneae, iridis, vueae, circuli seu coronae ciliaris aut per metastasin orto. *Cognoscitur* e caussa praegressa, et pure ab initio albido, deinde flauescente, ex inferiore camerae anterioris parte sensim adscendente, a diuerso capitis motu situm mutante, per pupillam in cameram posteriorem penetrante, indeque pupillam offuscante, totam denique cameram implente, iridem et pupillam obtegente, sub segniore, si obseruari possit, motu pupillae, visus debilitate, obscuratione, abolitione, cornea transparente vel illaesa vel nebulosa, vel denique in ellipsin prominentem coacta; saepissime praeuia aut comitante graui ophthalmia externa, vel interna, sub febri acuta, dolore pulsatorio, terebrante, aliisque symptomatibus inductis a continuo irritamento organi stimuli impatientissimi.

DCCLVI. Praeter Hypopion genuinum purulentum, dantur aliae *Hypopii spuriae species*, a depositione periodica materiae mucosae visum turbantis, a metastasi lactea, a gonorrhoea suppressa, a sanguine effuso. Qui morbi quamuis in-

indole diuerſſimi eandem tamen therapiam chirurgicam poſcunt, quam effuſio purulenta.

DCCLVII. Succedanea hypopii *ſymptomata* eſſe poſſunt corneae corroſio, vlcera, fiſtulae, vueae procidentia, proptoſis; porro iris a ligamento ciliari auelli, motumque tremulum ſubſultorium, qui *hippus* dicitur, retinere, aut diſſipato vel euacuato pure cum interna corneae ſuperficie concreſcere poteſt, quod *ſynechia* audit: tota denique oculi ſtructura externa atque interna curruptioni et deſtructioni ex hac cauſa obnoxia eſt. Accidit interdum, vt diſſipata tenuiore puris parte, inſpiſſata pars, interiorem corneae ſuperficiem, iridem et capſulam cryſtallinam obtegat, vnde viſus turbatio, diminutio, abolitio. Ad leuiores hypopii ſequelas pertinent color iridis obſcurior, cataracta membranacea a capſulae opacitate, macula ſeu cicatricula in cornea remanens, non moleſta, niſi nimis extenſa vel pupillae e directo oppoſita fuerit, et viſus aliquantum debilior. Ambigua eſt hujus morbi *prognoſis:* pus copioſum, acre, flaueſcens, ejusque diuturna remora, ſuſpectum omnino euentum reddit. Malum ſibi commiſſum, oculi oeconomiam corrumpendo, ſaepiſſime coecitatem inſanabilem inducit; dum tractatio tempeſtiua, juſta, dolores, periculum, coecitatem, difformitatem ab aegroto auertere valet.

DCCLVIII.

DCCLVIII. Communis hypopio cum vngue competit *chirurgia* (DCCLIII.) in vniuerſum tamen ſolertiſſime adminiſtranda diuerſoque morbi gradui adcommodanda. Vbi reſolutio et reſorptio, ſi a methodo antiphlogiſtica, deriuante, reuellente rite et tempeſtiue adhibita exſpectari aut obtineri nequit, cita puris eductio omnino indicatur; quae operatio ſequenti modo perficitur: aegro in ſedili quodam ſtabili, firmoque collocato, alteroque oculo obtecto, operator ipſe vel ſtat in alia ſella e directo conſidet, ex altitudine qua commode oculum aegri contingere poſſit. Diductis mox palpebris, ſuperiorem leuatam per adſtantem teneri curat, mediantibus vel digitis vel hamulo ſuſpenſorio, ac ipſe deinde inferiorem deorſum trahit. Apicem tunc lanceolae paruae, communis, circumducta faſciola aut emplaſtro circumglutinato munitae, nec remiſſo nimis valido impetu intrudit per inferiorem corneae transparentis partem, diſtantem circiter paulo vltra lineam a circulo corneae exteriori, eumque ad ſuperiora verſus ita dirigit, vt intacto iridi vulnuſculum corneae infligatur transuerſum pro educendo pure idoneum. Cum vero talis inciſio pro educenda tenaciori materia purulenta vix ſufficiat, inciſio ei ſimilis, qua ad extractionem cataractae vtimur, tertiam partem ambitus corneae comprehendens omnino praeferenda erit.

Apertura, ſi pus denuo collectum fuerit, ſtylo plano iterum renouanda eſt; pus ſpiſſum vero ſi, quod ſaepiſſime accidit, haud ſponte euacuetur, aqua cautiſſime injecta diluendum. Corneae corroſio, vlcera, fiſtulae, vueae ſeu lentis procidentia, proptoſis aliaque ſymptomata morbum aut operationem ſequentia, alio loco pertractabuntur.

## *Abſceſſus ad gingiuas.*

DCCLIX. Abſceſſus *gingiuarum*, omnium frequentiſſimi occurrunt, quum nulla pars tot irritamentis ſit expoſita. *Naſci* autem poſſunt

*a*) vel a *morbo generali*, refrigerio, rheumatismo, metaſtaſi; ſub quo ſtatu totum latus gingiuae occupare ſolet tumor,

*b*) vel *locali*, tartaro inter dentes et gingiuas, carie dentis vel maxillae, ſeu alio irritamento locali, gingiuarum, perioſtei, dentis vel ipſius maxillae phlogoſin inducente: tumore tunc ad ſingulam, plerumque exteriorem gingiuae partem, limitato

*c*) vel denique morbus his ſimul junctis accedit.

DCCLX. *Incipit* morbus a dolore partis adfectae, ſequitur tumor totum interdum faciei latus

tus comprehendens, qui eleuatur deinde in prominentem abſceſſum in parte primo adfecta, et aut *ſponte ruptus*, maximo cum aegroti leuamine pus effundit, vel per propriam aperturam vel inter dentem et gingiuas vel denique per ipſum dentem carioſum; aut *cultro inciditur*. Educto pure

a) aut radicitus *ſanatur* malum,

b) aut a leui qualicunque cauſa *recrudeſcit* morbus;

c) aut *fiſtula remanet* ichorem purulentum fundens, non niſi cauſſae primitiuae ablatione ſananda.

Profundior abſceſſus interdum apoſtema ad genas infra maxillam ſeu pone aures inducit.

DCCLXI. *Therapia* includit

a) *prophylaxin*, qua abſceſſus tempeſtiua hirudinum admotione aliisque (CCCCLXVII.) monitis ſaepiſſime auerti poterit, haud neglecta therapia morbo generali adornata;

b) *puris eductionem*, ope inciſionis tempeſtiuae haud exiguae obtinendam, qua facta vlcus ſimpliciſſima methodo ad ſanationem ducitur.

c) *cauſſae* denique *ablationem*, tartari ſeparationem, dentis adfecti ſeu ſuſpecti euulſionem, cariei therapiam. Quae om-

omnino indicata ſunt, ſi vulnus inflictum, vel vlcus ſponte exortum haud breui ſanetur, vel iterum recrudeſcat vel epulis accedat.

## *Abſceſſus ad genas.*

DCCLXII. *Abſceſſus ad genas*, aut oris cauo vicinus, maturantia irritantia (DCXCIV.) intus admota; fluctuationem vero exhibens inciſionem *exigit*, ad foedam cicatricem auertendam, et faciliorem ſanationem, in oris cauo inſtituendam. Talis interna inciſio, leniori externa compreſſione adhibita, tunc quoque ſuccedere poteſt, ſi cutis externa jam rubra, attenuata, prominens, fluctuans, adparet. Saepe dens adfectus, carioſus, dolens, decolor, ſeu alio modo ſuſpectus, abſceſſum ad genas inducit; vlcus ſequens tunc haud ſanationem admittit, niſi dente in anteceſſum euulſo. Sub inciſione externa abſceſſus ad genas cavendum ne ductus ſalivalis laedatur.

## *Abſceſſus glandulae parotidis.*

DCCLXIII. *Abſceſſus glandulae parotidis* aut ſimplex inflammatorius, aut metaſtaticus, aut criticus ad rationem apoſtematis inflammatorii (DCXCI.) aut metaſtatici (DCCV.) aut parotidis inflammatae (DLXXII.) expoſitam *tractatur*. Sedes

des puris, aut in celluloſa vicina, aut infra aponeuroſin in ipſa glandulae ſubſtantia adeſt; in priori caſu diſtincta fluctuatio adeſt, cutis inciſionem poſcens, in poſteriori, ſignis rationalibus indicato, fluctuatio abeſt, profunda requiritur inciſio, ſedem puris attingens. Major abſceſſus ob partium adjacentium preſſionem, ſaepe ſurditatem, deglutionis impedimentum, ſoporem, apoplexiam, triſmum, deliria, ſuffocationis periculum inducens, cito ac larga profundaque inciſione aperiendus eſt, licet nulla fluctuationis veſtigia adfuerint. Interdum pus per aurem vel per ductum Stenonianum ejicitur; ſparſim ſibi viam pone ſternum in pectoris cauum parare poteſt. Abſceſſus parotidis cito in gangraenam tranſiens, quod metaſtaticis haud infrequenter accidit, therapiam poſcit, in abſceſſus gangraenoſi chirurgia (DCCXXXII.) expoſitam. Calculus in abſceſſu obuius illius extractionem poſcit. Vlcus remanens therapiam mox exponendam ſequitur.

## *Abſceſſus faucium.*

DCCLXIV. *Abſceſſus faucium* inflammatorius vel metaſtaticus, frequentiſſime in amygdalis obuius deglutitionem, aut reſpirationem, aut vtramque notabiliter impediens, ex ſignis ſuis characteriſticis (DCLXXXIV.) *cognoſcendus*, indicat inciſionem,

ſionem, ſatis licet difficilem, in loco eleuatiore inſtituendam miniſterio pharyngotomi idonei, ſeu lanceolae verſus apicem vsque inuolutae, poſt depreſſam linguam. E rupto tonſillarum apoſtemate pus per tubam Euſtachianam in cauum tympani adſcendere poſſe, et aut per aurem externam exitum ſibi parare, aut immedicabiles oſſium corroſiones inducere poſſe, conſtat; quemadmodum major abſceſſus, profunde latens, ruptus, a pure in tracheam effuſo citam ſuffocationem cauſauit.

## *Abſceſſus mammae.*

DCCLXV. Praeter abſceſſus lacteos (DCCXX.) notari meretur, materia purulentae *inter mammae ſubſtantiam* et *muſculum pectoralem*, vel intra hunc accumulatio, ob profunditatem difficulter diſtinguenda, praecipue ſi absque grauiori inflammatione lente accidit, et materiam lymphaticam continet. Sedes morbi haud niſi profunda inciſione per totam glanduloſam mammae ſubſtantiam attingi poterit. Interdum pus ſibi viam in celluloſam mammae ſubſtantiam parare poteſt, oedematis ſpeciem conſtituens; in ipſum thoracis cauum tranſiiſſe legimus. De cyſtide purulenta mammarum alio loco agetur.

*Ab-*

## *Abſceſſus thoracici.*

DCCLXVI. *Abſceſſus thoracici externi,* haud difficulter dijudicandi, communem inflammationum et abſceſſuum therapiam ſequuntur. Dantur tamen profundiores, *pone ſternum* in mediaſtino, atque *inter pleuram* coſtas ac muſculos intercoſtales, qui abſceſſus quoad diagnoſin et therapiam, de ſolita via notabiliter recedunt.

DCCLXVII. *Abſceſſus mediaſtini anterioris,* inflammationis, metaſtaſis, injuriae externae, vulneris, fracturae, contuſionis proles, diagnoſis matura, haud niſi ſcrupuloſiſſimo ſtatus praegreſſi atque praeſentis examine eruitur. Pus ex abſceſſu externo neglecto per os ſterni carioſum, vel per interſtitia cartilaginum ad mediaſtinum tranſire poteſt, vel ex abſceſſu colli deſcendere. Therapia tempeſtiuam puris eductionem poſcit. Interdum materia purulenta inter cartilagines coſtarum vel ad proceſſum enſiformem tumorem creat fluctuantem, quo inciſo pus euacuari poteſt; ſaepiſſime trepano opus eſt, vel plurium, vt inferior abſceſſus pars attingatur, vel caries ſterni ſaepiſſime obuia, auferatur; partem cartilaginis coſtarum cum ſucceſſu ablatum fuiſſe legimus. Materiam purulentam ex abſceſſu mediaſtini per eroſam pleuram et pericardium, in pe-

pericardium et ſaccum pleurae effuſam fuiſſe ipſi vidimus.

DCCLXVIII. Abſceſſus *inter pleuram et coſtas*, vel inflammationis praegreſſae vel violentiae externae ſequela, tempeſtiuam puris eductionem poscit; quo citior haec inſtituitur, eo major ſanationis ſpes affulget. Praeuia inde inflammatione, ac praeſentibus ſuppurationis ſignis (CDLXXXV.) mox locus maxime dolens ad ſedem puris vsque incidendus erit. Hoc ſi neglectum fuerit, vel oedema abſceſſum indicat, vel tumor externus fluctuans puris ſedem monſtrat, vel fiſtula jam praeſens ad ejus originem proſequenda erit, ad regulas alibi exponendas. Dilata nimis abſceſſus inciſione, pleura a puris mole in majori ambitu ſeparari poteſt, qui ſtatus, aperto abſceſſu, incautis empyema genuinum mentiri poteſt, integra licet pleura.

## *Empyema.*

DCCLXIX. Empyema *eſt* puris in cauo pleurae effuſio,

*a*) vel ex rupto abſceſſu in ſubſtantia pulmonali per hujus viſceris ſuperficiem;

*b*) vel ex apoſtemate externo inter muſculos intercoſtales et pleuram, pure per hanc in cauitatem delapſo.

*c*) vel

c) vel denique pus transſudare poteſt per ſuperficiem pleurae vel ipſius pulmonis inflammatam, aut per metaſtaſin deponi.

*Noſcitur* a ſignis inflammationis, ſuppurationis, vomicae pulmonalis, vel alius apoſtematis thoracici praegreſſi; his itaque empyema a ſanguine in cavo thoracis effuſo atque hydrothorace *diſtinguitur;* ſequuntur communes liquidi peregrini in thorace effuſi notae, in vulnerum pectoris chirurgia tradendae, interque reliquas tumor oedematoſus telae celluloſae in latere adfecto. Copioſi puris in pectore collectio, haud tempeſtiue cognita, neque educta, inter coſtas tandem eruptionem moliri, tumoremque extus conſpicuum, diſtincte fluctuantem, creare poteſt: qui tumor, ſi ingens fuerit puris moles, cordis arteriarumque pulſationis particeps fieri, hinc aneurisma mentiri valet, niſi per ſcrupuloſiſſimum examen vera morbi natura eruatur.

DCCLXX. Sub pleurae et pulmonum praegreſſa vel praeſenti inflammatione, transſudante lympha, ſub diatheſi inflammatoria ad organiſationem prona, partes contiguae vera concretione allongatis vaſis vniri ſolent. In hoc vel vicino loco, ſi abſceſſus vel plures oriantur, omnino limitari poteſt pus in ſacco pleurae contentum. Qui ſtatus attentiſſimo examine cognitus, inciſionem

nem admittit tempeſtiuam; ſin minus, aut tumor externus fluctuans ſurgit, aut pus per pulmones et tracheam ejicitur, aut denique ſoluta pulmonis cum pleura concretione, pus in cauum pleurae effunditur, empyema genuinum ſiſtens.

DCCLXXI. *Prognoſis* empyematis differt pro varia effuſi puris copia ac indole, pro gradu laeſionis, vlcerationis, corroſionis partium vicinarum, harumque dignitate, pro ipſa effuſione vel illimitata, vel per concretionem pleurae cum pulmone limitata, ac denique pro conſtitutione et viribus aegroti, paribus morbo grauiori. In vniuerſum prognoſis eſt ambigua. Morbus ſibi relictus, niſi puri exitus aut naturae, aut artis auxiliis paretur, ſemper lethalis, aegroti namque ſic, aut aſthmate, aut marasmo, aut phthiſi, aut pulmonum inflammatione, aut ſuffocatione cita, ſi rupto abſceſſu pus majori quantitate, per bronchias et tracheam prorumpit, aut hydrope denique pereunt. Coſtarum atque pulmonum ſub reſpiratione motus, ſanationi haud parum obſtat; inde haud raro poſt abſceſſum, vel ad exteriora ſponte ruptum, ſeu inciſum, fiſtula remanet, quae materiam purulentam fundit, per totam vitam remanet, et vix vnquam impune clauditur.

DCCLXXII. *Chirurgia* empyematis verſatur, in educendo pure tempeſtiue, antequam a mora acri-

acrimoniam contraxerit; educitur autem paracentheſi thoracis exponenda alibi, et inſtituenda vel in loco electo, vel indicato ab intumeſcentia ſub cautelis recenſendis in chirurgia vulnerum pectoris atque hydrothoracis. Ex ipſo pulmone pus paracenteſi educi poteſt, vbi concretus cum pleura pulmo, et fluctuatio ſentiri poteſt in tumore externo. Facta inciſione, et digito in pleurae cavum immiſſo, abſceſſum fluctuantem in ipſo pulmone detectum inciſum et aegrotum ſanatum fuiſſe compertum eſt. Apertura paracenteſi facta, ſeruetur patula vsque ad abſentiam plenariam effluxus purulenti, immiſſa inter coſtas ſpongia, linteo, leni turunda, cannula e reſina elaſtica, auro ſeu argento confecta; ſeu cereo, haud multum in cauo prominente ſub debitis cautelis, ne in cauum decidant. Injectio decocti corticis peruuiani vel ſimplicis vel melle commixti, et per aliquod tempus in thoracis cauo relicti eximium vſum praeſtitit. Specialiora vulnerum pectoris chirurgia tradet.

DCCLXXIII. Abſceſſus *alii thoracici* in vniuerſum generalem abſceſſuum rationem expoſitam ſequuntur. *Profundius in ipſa pulmonis ſubſtantia* haerens pus, haud inciſione (DCCLXXXII.) attingendum vix remediis chirurgicis aliis attingitur; a vapore tamen leniter ſtimulante, tuſſim ciente, frequentius inſpirato, abſceſſus, in tracheam rup-

tus

tus ac pus copioſiſſimum, interdum quidem cum imminenti ſuffocationis periculo, per os ejectum fuit.

## *Abſceſſus hepatis.*

DCCLXXIV. Abſceſſus in gibba jecinoris parte, poſt inflammationem acutam, chronicam, vel metaſtaſin exortus, ad regionem epigaſtricam, marginem coſtarum ſpuriarum aut ad earum interſtitia, interdum tumorem format primo durum, deinde oedematoſum, denique fluctuantem, in circumferentia duriorem, vnde a veſicula fellea expanſa diſtinguitur. Dolor ad ſcapulae angulum inferiorem extenſus abſceſſus hepatis comitari ſolet. Interdum ſub majori hepatis abſceſſu aucta viſceris moles adſcendit, diaphragma ſurſum premit, ſupra mediam interdum thoracis altitudinem, inter coſtarum interſtitium tumorem formans, obſcure fluctuantem, ac empyema mentientem, qui ſtatus non niſi ab attenta ſtatus praegreſſi dijudicatione dignoſcitur. Hepar quoque poſt praegreſſam phlogoſin praeter naturam cum diaphragmate concreſcere, et per hoc, rupto abſceſſu, pus in pleurae cauum et ipſum pulmonem effundere poteſt. Hepatis inflammatio tempeſtiue cognita reſolui ſaepe, ac ſuppuratio auerti poterit, methodo antiphlogiſtica, mercurio, opio nupta, ac laxantibus lenioribus.

Tu-

Tumor externus fluctuans, inciſionem purisque ſpecifici vt plurimum odoris, eductionem, admittit, quum phlogoſis praeuia coalitum hepatis cum peritonaeo relinquere ſoleat; qui niſi adſit, pus fecibus vini ſimilis in peritonaei cauum effundi poteſt. Concauam vero hujus viſceris partem occupans apoſtema cognitu longe difficilius, vix arte chirurgica attingendum, per ventriculum aut colon inteſtinum pus ſuum effundere poſſe conſtat. Abſceſſus lienis ſimili modo per ventriculum euacuari poſſe compertum eſt.

## *Alii abſceſſus abdominales.*

DCCLXXV. Vti in hepate ita quoque in *aliis viſceribus abdominalibus* oriri poſſunt abſceſſus inflammatorii ſeu metaſtatici, qui aut *limitati* poſſunt formare tumorem pus continentem, ex ſignis rationalibus, ſcrupuloſiſſimo examine indagandis, certius quam fluctuationis obſcurioris et oedematis ſenſu dijudicandum, et inciſionem interdum admittentem; aut *illimitati*, peſſimo omine pus in cauum peritonaei effundunt, ſub quo ſtatu aſcites ſimul adeſſe ſolet. Effuſiones purulentae in cauo abdominis therapiam poſcunt alio loco exponendam. Per *abſceſſus renales* et *veſiculae felleae* calculos excluſos fuiſſe compertum eſt. *Abſceſſus teſticulorum* cito aperiendus eſt, quo corruptio textus filamentoſi auertatur.

VI-

Vlcus ſequens, minime puris deterſione vexandum, quin ad ſanationem potius opituletur aut methodo antiuenerea ſi indicatur, aut remedio ex aqua calcis, extracto ſaturni et ſapone compoſito, ſeu alio leni ſimili tractetur.

## *Abſceſſus celluloſae lumbaris.*

DCCLXXVI. *Abſceſſus celluloſae lumbaris* inflammationis genuinae, ſaepius chronicae, effectus, *dijudicatur* praegreſſis ſignis inflammatoriis, dolore nunc acuto, nunc leniori grauatiuo, nephritidem incautis mentiente, debilitate lumbari, motu trunci ac femorum dolorifico. *Auerti* abſceſſus poteſt occurrendo inflammationi tempeſtiue cognitae, ad methodum antiphlogiſticam, ſanguinis miſſione generali, locali, veſicatoriis, vlceribus artificialibus ad lumbos, quiete corporis femorum praecipue. Niſi tempeſtiua prophylaxi auerti poſſit abſceſſus, ob locum vix vlla arte attingendum, grauiſſima mala parit; materia purulenta nimirum late per carnium interſtitia vagatur, vicina corrodit, deinde in perinaeo, inguine, natibus, femore deſcendit, atque poſt longas miſerias denique febri hectica conſumtos aegrotos necare ſolet. Caries vertebrarum interdum cauſa ſaepius effectus morbi eſſe videtur. Tumor externus fluctuans haud dolorificus ſub tuſſi et ſitu erecto augetur et a minus attentis cum tumore hernioſo

nioſo confundi poteſt, de quo tamen comparatis vtriusque morbi ortu, progreſſu ac ſymptomatibus haud difficulter diſtinguitur.

DCCLXXVII. Abſceſſus ſibi relictus ſenſim augetur, denique rumpitur, quo facto a larga ſuppuratione, humorum jactura, atque puris reſorptione lente miſeri necantur. Idem fere accidit, ſi abſceſſus ad modum ſolitum (DCXCIIX.) aperitur, vnde horum tumorum inciſio nonnullis ſuſpecta eſt. Auertenda tamen eſſe pericula, ſub materiae purulentae eductione, omnino indicatae, caute omnem irritationem aërisque acceſſum vitando. Inſtituatur inde liquidi eductio ad methodum ei ſimilem, quam ſub abſceſſus lymphatici chirurgia (DCCXVI.) expoſuimus.

## *Abſceſſus circa anum.*

DCCLXXVIII. *Abſceſſus ani* phlegmonoidei metaſtatici, furunculi, anthraces, tumores haemorrhoidales ſuppurati, corporis alieni deglutiti in inteſtino recto haerentis, effectus et ſequela, partim ex ſignis externis obuiis, partim tactu tumoris per explorationem in inteſtino recto cognoscuntur, interdum iſchuria, dyſuria, ſtranguria, obſtipatio, diarrhoea, tenesmus, mariscae hos comitantur. Quum ſuppuratio horum cito ſuccedat, mox ad remedia emollientia refugiendum

 erit,

erit, et quamprimum puris veſtigium cernitur, abſceſſus, absque exſpectatione maturationis perfectae, aperiendus erit, incifione parua, deinde, ſi opus fuerit, dilatanda, cujus extremitas orificium ani reſpicit, vt fiſtula ani auertatur, deinde therapia vlceris apoſtematoſi ſinuoſi mox dicenda adhibenda erit. Si aperto abſceſſu, et congrua exploratione facta, inteſtinum rectum jam denudatum vel adfectum vel a corpore alieno laeſum inueniretur, mox ad transſciſſionem inteſtini, explicandam in chirurgia fiſtulae ani, recurrendum erit.

## *Bubones ſuppurati.*

DCCLXXIX. *Bubones* in vniuerſum quidem varias glandulas externe ſitas infeſtant, inguinales tamen inflammationibus ejusque ſequelis maxime ſunt obnoxiae. Attentiſſimum autem requiritur examen dijudicaturi, vtrum bubo ſit

a) *ſimplex inflammatorius*, an

b) *metaſtaticus* vel *criticus*, an denique

c) *venereus.*

Priores ſpecies therapiam (DCXCVIII.) expoſitam plane ſequuntur, poſterior ſpecialem ſibi tractationem vindicat.

DCCLXXX. *Bubones venerei* infeſtant glandulas inguinales ſuperiores ſitas in ipſa flexura in-

inguinali femoris, e morbo extremitatis inferioris a confenfu oborti autem glandulas inferius pofitas occupant. Vtrique ortu, decurfu et fymptomatibus, a fe invicem haud fecus ac ab hernia aliisque morbis, probe diftinguendi. Triplex autem bubonis a coitu impuro genius diuerfiffimus venit notandus. Sunt enim tales bubones aut

*a*) primitiui benigni non fyphilitici, aut
*b*) confecutiui vere venerei, aut denique
*c*) ex his compofiti, miasmate fcrophulofo, rheumatico, fcabiofo cet. juncti.

DCCLXXXI. *Prior fpecies* fub ftadio irritationis (DCXVII.) et inflammatorio (DCXVIII.) gonorrhoeae, a coitu impuro contractae, oritur primis morbi diebus, a mero confenfu absque excoriatione, vlcere, aut vllis fymptomatibus fyphiliticis externis manifeftis. Haec fpecies fimplici methodo antiphlogiftica, remedio externo repercutiente, acido, refoluente ac hirudinibus admotis *debellatur* plerumque et refolui folet. Cum vero dijudicatio planariae abfentiae virus fyphilitici fit difficillima atque ambigua, vfum mercurii internum huic therapiae quoque jungere, prudentia fuadet. Suppuratio autem non auertenda generalem therapiam fuppurationum in partibus glandulofis fequitur expofitam.

DCCLXXXII. Ipſe *bubo venereus*, ſerius poſt coitum impurum accedens, aliis ſymptomatibus ſyphiliticis excoriatione aliquali, vlcere mala praecipue arte tractato, gonorrhoea virulenta, junctus, aliam therapiam poſcit, ſaepiſſime in ſuppurationem tranſit. Nonnulli tempeſtivum reſolutionis tentamen, hirudinum et epithematis ſaturnini ope, ſuadent, ſub ſtrenuo mercurii vſu interno. In vniuerſum tamen reſolutionem bubonis venerei, vix niſi ab vſu mercurii interno ſolo cum ſecuritate expectare licet; praeterea rarius reſoluuntur. Satius inde videtur mox imponere cataplasmata emollientia, et ſi notabilis durities adfuerit, et maturatio lentiſſime ſuccedat, leniter irritantia; ad hunc ſcopum radices atropae mandragorae, daphnes mezeraei ſeu laureolae, emplaſtra gummoſa, vnguenta digeſtiua, cucurbitae, aliaque cum ſucceſſu adhiberi poſſunt, quo cita ſuppuratio acceleretur. Tumor plane maturus aut rumpitur ſponte, aut in loco decliuiori ſimplici eaque parua inciſione vel ſetaceo trajecto (DC-CII.) aperiendus erit. Si ante perfectam maturationem aperiatur tumor, vlcera impura ſordida ſequi ſolent. Semper tamen bubones vere venerei, *vſum mercurialium* internum, vel frictionem in aliquali de loco adfecto diſtantia, et vbi ſymptomata irritationis ſimul vrgent, opio jungendorum poſcunt.

poſcunt. Mixtus morbi genius methodum genio complicationis adornatam indicat.

DCCLXXXIII. Omnis *bubo*, ad quem ſeſe iungunt ſymptomata inflammationis, *grauior febris*, *dolor*, *agrypnia* inſignior, *methodum antiphlogiſticam*, venaeſectiones, hirudines, lenia laxantia, externa emollientia poſcit; nec mercurialium vſus niſi fracta in anteceſſum ſymptomatum vehementia, conuenit. Tumor vero durus, indolor, parum inflammatus, difficulter ſuppurans, aut ſub ſymptomatibus ſyphiliticis retrocedens, vel apertus diu prauum pus fundens, absque duritiei imminutione, cum marginibus inflexis, formam cancri induens, vix ſolis remediis externis topicis debellatur, ſed therapiam antiuenercam in vlceris venerei chirurgia tradendam requirit. Morbus, praecipue habitu ſcrophuloſo complicatus, interdum ab vſu mercurii exacerbatur; ſub hoc ſtatu omiſſis mercurialibus, cicutam, corticem peruuianum, ſarſaparillam, balnea marina, aliaque indicata, adhibere cogimur per aliquod tempus, et denique iterum ad mercurium refugere. Abſceſſus gangraeneſcens curationem (DCCXXII.) expoſitam ſequitur. Gonorrhoea ſuppreſſa cereo immiſſo reuocanda erit.

*Ab-*

## *Abſceſſus articuli.*

DCCLXXXIV. *Abſceſſus articulationum* raro ſunt ſimplices *inflammatorii*, ſaepiſſime *metaſtatici* a cacochymia ſcorbutica, ſcrophuloſa, varioloſa. In articulationibus multa carne circumdatis ex ſignis rationalibus maxime *dijudicantur* abſceſſus hi; in reliquis ſignis ſimul ſenſualibus, fluctuationis nimirum, haud cum tumore fungoſo fluctuationem mentiente confundendae, dignoscuntur. Diri mali *prognoſis* ſemper ambigua atque diſcriminis plena eſt, etenim niſi deriuantibus, reuellentibus variis, ſtrenue ac tempeſtiue adhibitis, auerti poſſit malum, aut laeſa articuli cruſta cartilaginea, anchyloſis remanet inſanabilis, aut caries ſuccedit per celluloſam osſium texturam late ſerpens, vnde haud raro tabes inducitur, quin aegrotus necatur, niſi tempeſtiua amputatione interdum mors auerti poſſit. *Therapia* itaque tempeſtiuam puris eductionem poscit. Notandum hic aëris acceſſum quantum fieri poteſt de articuli cauo arcendum eſſe; inde contenta materia purulenta aut parua inciſione in loco eminentiori, decliuiori, fluctuante, retracta in anteceſſum cute, aut quod nonnulli malunt, ſetaceo ad modum (DCCII.) expoſitum perducto eliminatur, qualem irritationem tamen cauitatem articuli vix impune ferre obſeruauimus.

Vul-

Vulnus inflictum vero ad rationem laeſionis partium aponeuroticarum tractatur. De abſceſſibus in ipſa oſſis cylindrici vel alius ſubſtantia, vbi de carie occulta ſermo erit, agetur.

## *Abſceſſus articuli oſſis innominati.*

DCCXXXV. *Abſceſſus articularis oſſis innominati*, nunc iniuriae externae ad trochanterem, contuſionis articuli a ſaltu crure extenſo, vel alius violentiae externae *ſequela*, nunc ſymptomaticus, metaſtaticus alius morbi *effectus*, in omni quidem aetate accidere poteſt, ſaepiſſime tamen ante decimum quartum aetatis annum oritur. Saepiſſime antecedit abſceſſum articularem inflammatio chronica (DCCLXXXIV.); nunquam genuinum pus, ſed materiam ſeroſam lymphaticam, ſynouialem, partibus purulentis intermixtam continet abſceſſus. Grauiſſimus varia *ſtadia* percurrere ſolet morbus. *Primitiua ſymptomata* ſunt leniſſima, ſenſus nempe debilitatis femoris et aliqualis claudicatio, ſuccedit lenis macilentia totius extremitatis et longitudo femoris paullo adaucta, nates adfecti lateris ſub ſitu erecto magis applanatae, ad inferiorem partem magis tumida apparent. *Accedit* tunc dolor genu ſatis grauis, vt incauto ſedem morbi mentiatur, absque tumore ſenſibili et ſub longitudinis femoris lento augmento. Aeger nunc vtro-

que

que pede haud aequaliter inſiſtit, ſed lateris adfecti digitis potius quam plantis innititur; in ſitu horizontali genu paullo inflexum haud plane extendi poteſt. Senſim augetur debilitas motusque difficultas; articulationis ambitus hucusque nec tumidus eſt nec dolens, regio tamen pone trochanterem, magis prominentem atque depresſum, preſſa dolet, et glandulae inguinales lente intumeſcunt. Breuius *deinde* euadit membrum, trochanter verſus poſteriora et ſuperiora adſcendit, ambitus articuli dolet magis tumetque, flectitur magis genu, marceſcit tota extremitas. *Denique* materia purulenta, plerumque infra gluteum majorem vel ſupra muſculum vaſtum externum, vel in alia femoris parte, tumorem format fluctuantem, quo rupto ſeu majori plaga aperto, a larga ſuppuratione, humorum jactura graui et irritatione perenni, ſurgit febris lenta, marasmus, tabes; vnde miſeri poſt longas miſerias necari ſolent. Materiam purulentam ex articulo coxae viam ſibi in celluloſam peluis paraſſe ſemel obſeruauimus. Cariem ipſius articulationis diu absque puris eruptione latere poſſe conſtat.

DCCLXXXVI. Malum ab injuria externa exortum *auerti* ſaepe poterit methodo antiphlogiſtica, reſolventibus externis efficaciſſimis, atque quiete membri. Malum ſymptomaticum, balnea

nea tepida atque veſicatoria *poſcit;* nullum tamen remedium grauiſſima pericula certius auertit quam fonticulus major, ad cauum pone trochanterem majorem, moxa vel cauterio excitatus, et jugi irritatione ſuſtentatus, haud neglecta therapia interna morbi cauſae adornata. In priori morbi ſtadio, hancce medendi methodum eximium vſum praeſtare ipſi obſeruauimus. Tumorem fluctuantem naturae viribus reſorbentibus committere ſuadent nonnulli; ſatius tamen nobis videtur, liquidum contentum, parua punctura facta emittere ad methodum in abſceſſus lymphatici chirurgia expoſitam (DCCXIV.) cautiſſime euitando irritationem aërisque acceſſum.

---

ORDO

## ORDO II.

## VLCERA EORVMQVE MEDELA.

DCCLXXXVII.

Vlcerum perinde ac apoſtematum et vulnerum expoſitionem bipartitam vult inſtituti ratio: paucis itaque de vlceribus *in vniuerſum* praemiſſis *ſingularia* perluſtrabimus.

## CAP. I.

### *Vlcera in vniuerſum.*

DCCLXXXVIII.

Vlcus in genere *eſt* ſolutio continui in partibus organicis, lente exorta, pus, ichorem aut ſaniem quamcunque fundens.

DCCLXXXIX. Vlcerum *cauſſae communes* ſunt abſceſſus rupti vel aperti; vulnera haud, vt dicunt, ad primam indicationem ſanata, ſup-

pu-

purata; operationes chirurgicae, in quibus incisionibus opus eſt; acria interna vel externa varia, in corpore genita, ingeſta, aut adplicata, ad diuidendas vel corrodendas partes organicas idonea. Interdum ſingula cauſſa inducit vlcus, interdum plures junctae adſunt; interdum abſceſſum vt cauſam breui tempore ſequitur, interdum poſt ſeptimanas vel menſes demum accedit vlcus.

DCCXC. *Prognoſis* vlcerum in vniuerſum differt

*a*) pro *cauſſa* (DCCLXXXVIII.) vlcus inducente ac difficultate eandem tollendi majore, minore.

*b*) pro *partibus laeſis*, nobilioribus, ignobilioribus, illis vel his vicinis, vtrum cutis, celluloſa et carnes, an tendines, aponeuroſes, glandulae, vaſa, oſſa, viſcera adfecta ſint.

*c*) pro *aetate*, *habitu* et *ratione vitae* aegroti.

DCCXCI. *Sanatio* vlcerum in vniuerſum *naturae viribus* principii vitalis energia abſoluitur; ars vix aliud confert, niſi vt remoueat impedimenta, quae ſanationi obſtare poſſunt. Sanationem perficit natura

*a*) *ſubſidentia labiorum* vlceris,

*b*) *pa-*

*b*) *papillarum* carnearum *productione.*

*c*) *allongatione* lenta *cutis* a peripheria ad centrum, rarius a centris pluribus; denique hoc facto:

*d*) in loco haud obtecto *generatur* ſubſtantia durior cute, rubicunda ac tenuis in initio, deinde albicans craſſior, haud perſpirabilis, ex vno vel pluribus punctis ſe extendens, quae *cicatrix* appellari ſolet.

DCCXCII. *Ars occurrit* viribus naturae ſublatione impedimentorum ſanationi obſtantium

*a*) *cauſarum* (DCCLXXXIX.) *ablatione*, imminutione debita, juſta.

*b*) *remotione* omnium *irritantium nocentium*, quoad regimen, motum, ſitum, remedia externa.

*c*) *ſuppurationis* atque *papillularum prodeuntium modificatione* juſta et cum indole vlceris conueniente.

*d*) fouendo partem vlceratam gradu *caloris debito.*

*e*) leniori *compreſſione* rationi vlceris adcommodata.

*f*) praepediendo, *ne humores* in vlcere *accumulentur* nimii, eosque, ſi opus

eſt,

eſt, ad alias partes *deriuando*, reuellendo.

g) *regimen* ad habitum corporis et vlceris rationem *accommodando*.

Quae omnia ex ſpeciali pertractatione vlcerum vberius patebunt.

DCCXCIII. Vlcera in genere diuiduntur

*a*) in *ſimplicia* et

*b*) *complicata*.

Ordimur jam ab vlceribus ſimplicibus, deinde ad varias complicationes earumque therapiam progreſſuri.

## *Vlcus ſimplex.*

DCCXCIV. Vlcus *dicitur* ſimplex, quod nullis alienis ſymptomatibus interruptum ad ſanationem ducitur. *Dignoſcitur* autem tale ex ſede in cute vel textu celluloſo, ſuperficiali, pure laudabili, coloris ex albo flaueſcentis, ſpiſſo, pultis mollioris conſiſtentiam habente, inodore, blando, nec ſuperfluo neque nimis parco, margine, in nuper exorto abſceſſu, duriuſculo, deinde molli, vix ac ne vix quidem inflammato; fundo aequo, coloris ex albo laete rubeſcentis; parum dolente; hiatu externo materiae purulentae effluxui fauente et ad ambitum vlceris proportionato.

In-

*Inducitur* vero vlcus ſimplex

*a*) vel a vulnere ſuppurato,

*b*) vel ab apoſtemate aperto.

In vtroque caſu pus primis morbi diebus tenue, ſanguinolentum eſt, breui tamen dictam antea formam induit et conſiſtentiam deinde ad ſanationem vsque ſeruat.

DCCXCV. *Prognoſis* vlceris ſimplicis infauſta eſſe nequit, dum omne periculum a complicatione inducitur; in corpore alias ſano, debite tractatum, vlcus haud difficulter ſanatur, in corpore autem cachectico haud raro, vel praua medicatione vexatum, vlcus variis eisque grauibus complicationibus anſam dare poteſt.

DCCXCVI. *Curationem* vlceris ſimplicis praeſtant actiones ſanatrices *naturae*, ſed facilitat, imo promouet *ars*, in impedimentis his obfuturis, tollendis occupata vnice, atque adeo reſtringenda ad

*a*) *ſolutionem duritiei* in ambitu vlceris;

*b*) *moderamen ſuppurationis* et propulſionis papillularum;

*c*) denique *prohibitionem nocentium* quorumcunque.

*Durities* in circumferentia vlceris ſimplicis plerumque a ſolis naturae viribus leni caloris gradu, quiete

quiete ac vitatis irritantibus nocentibus refoluitur fub debita vlceris fuppuratione. Sin minus fua fponte breui fuccedat haec marginum emollitio, continuatis remediis emollientibus, quin ipfis interdum antiphlogifticis promouetur eadem, minime tamen citra neceffitatem continuanda; neque fanatio vlceris vix fecura fuccedit, nifi poft duritiem ambitus omnem natura vel arte difpulfam. *Deligatio* vlceris femper fit leniffima. Vlcus linteo carpto ficco, puro, nitido leniffime impleatur, et plumaceolis ambitum vlceris excedentibus obtegatur. Si linteum carptum margini vlceris ita adhaerefcat, vt absque irritatione feu cruentatione vlceris auferri haud poffit, recenti pingui quodam, vel cerato blando illinantur plumaceoli. Quo minus adplicata decidant, firmentur ftriis emplaftri adhaefiui fuperimpofitis, et, vbi inflammatio abeft, omnibus fplenio tectis, congrua circumjicitur fafcia circularis fiue contentiua, ftringenda modice ad compreffionem lenem.

DCCXCVII. *Puris* ex vlcere liber *effluxus* facilitandus erit, fitu membri aut corporis idoneo, effluxui fauente, deligatione leni, effluxum non occludente, ac leui apparatu, liquido effluente facile imbuendo. *Carnes* fub cura nimis *luxuriantes*, leni compreffione compefcuntur, vti tar-

tardius crefcentes papillulae haud raro vfum vnguenti lenioris digeftiui pofcunt. *Incauta* puris *abfterfio* femper nociua, et motus partis adfectae violentior, aërisque frigidi, corrupti praefertim, incauta admiffio, vitentur. *Deligatio* vlceris fimplicis in vniuerfum fit *rara*, nifi fuppuratio largior frequentiorem ejus repetitionem defideret: folet fufficere, vt inftituatur femel quotidie. Solutus a fuppuratione, vortex fibrofus, tota vlceris fuperficies papillis carneis laete rubicundis impleta, aequalis, et haud interrupta vlceris coarctatio, *fanationem breui fecuturam* promittunt. Sub vlcerum curatione in vniuerfum diaeta fit nec nimis ftricta neque lauta, debito fimul refpectu ad munditiem aëris, animi corporisque quietem, atque excretiones naturales haud neglecto. *Cicatricis deformitas* lenta ac leni labiorum vlceris adductione atque carnis propullulantis debito moderamine quodammodo auerti poteft. Vfus *turundae durioris* ab omni vlcere fimplici plane arcendus, *molliffimae* anguftiori vlceris oftio committi poffunt, ne orificium externum intempeftiue occludatur.

## *Vlcus complicatum.*

DCCXCVIII. *Complicatum* in genere *dicitur* omne vlcus, cujus fanatio inftar illius vlceris fimplicis (DCCXCVI.) haud fuccedit, fed a qua-

licun-

licunque caufa aliena retardatur. Praecipue vlcerum complicationes ortum trahunt

*a*) a *cauffa* quadam *interna*, feu *morbo alieno* vlcus antecedente, comitante, vel fequente.

*b*) a varia *cauffa externa.*

quae omnia in fequentibus figillatim exponentur.

---

## CAP. II.

## *Vlcera in ſpecie.*

DCCXCIX.

Specialem vlcerum differentiam conſtituit diuerſa eorum *complicatio* (DCCXCVIII.). *Indicationes curatiuae* praecipue vlcerum complicatorum in eo verſantur, vt complicationis *ratio* ſcrupuloſiſſimo examine *exploretur* et *dirimatur*, vtrum vitium complicans ſit mere *locale* et ſolis adeoque remediis externis debellandum, an a *cauſſa interna* ortum ducat et therapiam inde internam poſcat, aut an complicatio denique *mixti* ſit *genii*, ab externa et interna ſimul cauſſa prognata. Cauſa complicationem inducente ablata, in vlcus ſimplex mutatur morbus atque ad hujus modum (DCCXCIV.) expoſitum ſanatur.

### *Vlcera a cauſſa interna.*

DCCC. *Cauſſae internae* vlcus inducentes, complicantes, ſuſtinentes, vel deteriorantes, in labe humorum corporisue generali, ſeu locali ſunt quaerendae, vnde vlcera ſurgunt complicata

*a*) ſcor-

*a*) fcorbutica.
*b*) fcrophulofa.
*c*) rheumatica.
*d*) rhachitica.
*e*) cancrofa.
*f*) venerea.
*g*) ab euacuatione folita fuppreffa.
*h*) a vitiis cutaneis, exanthematicis variis, herpeticis, fcabiofis, cet.
*i*) a debilitate aegroti.
*k*) a plethora.

quae omnia nunc veniunt confideranda.

Haud diffitendum tamen minime ab omnibus et quibuscunque cachexiis femper complicari vlcera, e contrario fub manifefta humorum acrimonia, vlcera haud raro fimplicium ad inftar fanantur. Neque vna et fingularis acrimonia femper adeft, quae vlcera complicata reddit, fed plures quoque interdum junctae genium morbi difficiliorem reddunt.

## *Vlcera fcorbutica.*

DCCCI. Vlcera *fcorbutica*

*a*) aut *fcorbuto genuino*, vero, *manifefto*, ex fignis fuis facile dignofcendo, comitantur.

*b*) aut *abſconditae* magis *acrimoniae ſcorbuticae* originem ſaltem ac complicationem debent.

Morbi *principium* in diſſolutione humorum putrida conſiſtere videtur. *Cauſſam* praebent communiſſimam alimentorum ſalitorum vſus diuturnus, defectus plenarius nutrimenti vegetabilis, aut animalis recentis, aër humidus frigidus, neglecta munditiei cura, morbi graues nuper perpeſſi, motus corporis debito minor, labores aſſidui vehementes, animi dejectio, noſtalgia, quare nautis, facientibus itinera longa, ſatis frequens eſt morbus, viris magis quam foeminis infeſtus. Minor ſcorbuti gradus, inter pauperes degentes in locis paludoſis humidis, vt plurimum a defectu nutrimenti ſufficientis, ſeu ejus praua indole, interdum epidemice graſſatur. Major ſcorbuti gradus per ſe vlcera ſcorbutica inducere poteſt, minor, a leuiſſima cauſſa exortas diſſolutiones cutis, excoriationes, vlcera, vulnera, tali modo mutat, vt veris ſcorbuticis ſatis fiant ſimilia, et eandem therapiam poſcant.

DCCCII. Scorbuticorum vlcera *cognoſcuntur* ex

*a*) *ſignis morbi ſcorbutici generalibus*, humorum nempe diatheſi ſcorbutica obuia, et inducente dolores artuum vagos, maculas

culas marmoris inſtar variegatas, indolores, crura praecipue occupantes, gingiuarum tumorem profunde rubrum, caeruleum, facile ab attactu ſanguinem tenuem, diſſolutum, nigricantem fundentem, foetorem oris ſpecificum, luridum faciei colorem, reſpirationem a motu quocunque leuiori difficilem, anheloſam, laſſitudinem ac debilitatem motus voluntarii, corporis, genuum rigiditatem, oedoema, hydropem.

b) *ipſum vlcus noſcitur ſcorbuticum* ex orta vlceris a macula rubra, ſenſim increſcente, haud inflammata, quae deinde in veſiculam eleuatur, humorem profunde rubrum continentem, qua rupta denique vlcus adparet; ex ſuppuratione praua, pure tenui, ſanguinolento, ſanioſo, glutinoſo, foetore peculiari, circumferentia liuida vt plurimum ex atro rubeſcente, fundo ſpongioſo, facile cruentato, gingiuarum ſtatum aemulante, excreſcentiis fungoſis citiſſime in locum ablatarum redeuntibus, a compreſſione facile ad gangraenam pronis; ſparſim ad oſſa ſubjecta penetrantia, indole in genitalibus quidem cum vlceratione venerea ſatis conueniente,

in

in vniuerſum tamen hydrargyri vſu exaſperata.

DCCCIII. *Therapia* inde duplex eſt: etenim

*a*) et *morbus generalis*

*b*) et *vlcera* ſuam poſcunt medelam.

*Interne conducunt* vegetabilia praeſertim acidula, fructus horraei, braſſica, inprimis capitata, fermentata, ſalſa, herbae antiſcorbuticae earumque ſuccus expreſſus, cereuiſia fortis cum ſtrobulis pini, decoctum polentae, lac ejusque ſerum aluminoſum, ſinapinum; vinum generoſum; diaeta ex carnibus recentibus; cortex peruuianus; exercitium corporis viribus aegroti adcommodatum; frictiones; balnea frigida; aëris puri atque munditiei cura; plenaria nutrimenti ſaliti et aliarum cauſarum nocentium euitatio. Oleum balaenae recentiſſimum quotidie ſumtum et prophylactice et curatiue ſcorbuto potenter obſtitiſſe, nuperrime experimenta docuerunt. Sub ſola diaeta antiſcorbutica morbus non ſolum primarius, ſed vlcera quoque, cito ſanari ſolent.

DCCCIV. *Vlcera* ſcorbutica *ipſa tractantur* topicis antiſepticis, acido ſalis pro diuerſa fungoſitate plus minus diluto ſeu melle commixto, aqua aluminoſa, vnguento aegyptiaco; cataplasmate e daucis vel rapis; optime plumaceoli, decocto corticis peruuiani concentrato imbuti, vl-

ceri

ceri imponuntur. Sedum acre recens contuſum vlceri impoſitum, ſucci citri recentis, vel fructus citri contuſi externus vſus ad purificanda vlcera putrida, inprimis ſcorbutica mire faciunt, quod ipſi pluries obſeruauimus; vnguenta reliqua et pinguia quaecunque hic nocent. Lenis ſed prouida ſimul adhibeatur compreſſio. Ex dictis patet, quid in adfectione gingiuarum ſcorbutica ſit faciendum.

DCCCV. Probe tamen meminerit chirurgus, a dentitione altera interdum naſci poſſe corruptionem gingiuarum, vix vnquam impune acidis tractandam, ſed ſimplici dentis emortui ablatione, ſolitisque balſamicis curandam. Probe porro inter vlcera ſcorbutica et vlcera gingiuarum ab hydrargyroſi diſtinguat, quippe quae, a cauſſa manifeſta praeuia, morbi decurſu ac odore denique ſpecifico facile dignoſcuntur.

## *Vlcera ſcrophuloſa.*

DCCCVI. Vlcera ſcrophuloſa *ſunt*, quae a *ſcrophulis ſuppuratis*, vel a *miasmate* ſaltem *ſcrophuloſo* inducuntur. *Suſpicionem* hujus ſeminii mouent cutis tenerior, labii ſuperioris naſiue inſolita craſſities, facies plena, oculi lacrymantes, muci naſalis copioſior effluxus, genarum turgescentia ad aures accedens, venter tumidus, habitus a qualicunque cauſa debilis, notabilis ſyſtema-

ſtematis reſorbentis ac glanduloſi labes cet. Ipſae *ſcrophulae*, infantibus et foeminis maxime infeſtae, *ſunt* tumores glandularum lymphaticarum maxime meſenterii et colli, ſerius artuum, lenti, perennes, globulares, diuerſae magnitudinis, cuti concolores, duriuſculi, indolores, valde mobiles, haud raro de vno loco in alterum tranſeuntes, ab accummulato et inſpiſſato ſucco glandulari orti. Tumores ſcrophuloſi in vniuerſum quidem difficillime inflammantur et in ſuppurationem tranſeunt; accidit tamen vel violentia quauis, ſeu intempeſtiua medicatione excitatis, vel ab ipſius morbi grauitate, vt vlcera aut in ipſa glandula, aut in aliis corporis partibus oriantur. Nec diffitendum tamen, diagnoſin vlceris ſcrophuloſi, praecipue haud glandulas infeſtantis, ſparſim eſſe difficilem atque ambiguam; cum morbi ſcrophuloſi mira varietas, diuerſus habitus corporis indiuidui, et varia cum aliis morbis complicatio inſignem hic faciant differentiam, haud niſi attentiſſimo examine eruendam.

DCCCVII. Ipſa vlcera ſcrophuloſa ſaepiſſime ſunt ſordida, lardacea, ſerpentia, in principio viſcidam gelatinoſam lympham, deinde tenuem, acrem, copioſam fundunt, marginesque habent dolentes, tumidos, duros, pallidos; praeter glandulas, digitos manus pedesue vel alias partes

tes non raro inuadunt; peſſimam ſparſim monſtrant indolem, in carcinomatoſam interdum proniorem; vitii generalis *cauſſa* vel in ſpecifica glandulae vel ſucci hac contenti, vel, quod veriſimillimum videtur, totius ſyſtematis lymphatici labe eſt quaerenda, vnde morbus rariſſime in ſingula quadam parte reſidet, ſed plures ſimul adficit. Quoad *prognoſin*, vlcera ſcrophuloſa ſubſiſtente cauſſa difficillime ſanantur, praecipue, ſi congenitum vel haereditarium fuerit malum, aut ſi ſigna morbi, qui interdum diu ante in corpore delituit, ſint ambigua vel cum ſignis alterius morbi complicata. Graue atque inueteratum malum febrem hecticam inducere, imo necare valet. Interdum abſcondita morbi cauſſa ſuperatur viribus naturae ſolis, poſtquam adoleſcens aetas harum energiam auxerit.

DCCCVIII. Taedioſiſſima horum vlcerum *ſanatio* communem ſcrophularum therapiam in phymatum chirurgia tradendam requirit, absque qua vlcerum ſanatio vix vnquam cum ſecuritate ſuccedit. Praecipuum interea praeſidium praeſtant balnea frigidiuſcula marina diu continuata, frictiones, cortex peruuianus, martialia, antimonialia, aqua marina interne, et externe pro eluendo vlcere adhibita, cicuta, digitalis purpurea, dulcamara, gratiola, belladonna, emetica repetita, laxantia fortiora, ſcrophularia, ex-

exercitium corporis, diaeta nutriens, aromatica, roborans, et diuturnus remediorum vſus: terra ponderoſa ſalita nobis parum vel nihil profuiſſe viſum fuit. Externa remedia rationi vlceris ejusque complicationibus adornanda ſunt, reſpectu habito ad liberum puris effluxum, ipſius ſuppurationis indolem, labiorum vlceris tumorem, indurationem, cariem oſſium cet. Externe cortex peruuianus, leniſſima ſaturnina, atque congrua vlceris compreſſio cum fructu adhibentur. Emollientia quaeuis hic certe nocent. Quae a nonnullis laudantur, cineris ſpongiae vel nucis juglandis in vlcus inſperſio, vlcerisque frequens cum lixiuio alcalino elutio, vti etiam internus alcalinorum ac ſaponis vſus, hypotheſi innituntur vix probandae, ſcrophulas ſcilicet ab acrimonia quadam acida ortum ducere; nec indicationi ſatisfacere videntur. In vniuerſum vlceris ſcrophuloſi curatio remediis ſolis topicis vlceri admotis vix ſuccedit, ſed therapia generali interna opus eſt et hac maxime praeſtatur. Totius vlceris ſeu tumoris exſtirpationem minime morbum tollere per experimenta conſtitit. Praeter remedia externa, interna, aër purus, commoda victus ratio, corporis motus, frictiones totius corporis, munditiei cura, multum ad debellandum morbum faciunt.

Vl-

# *Vlcera rheumatica.*

DCCCIX. De rheumatismo antea (DV. ſeq.) fuſius actum fuit. *Vlcera rheumatica*

*a*) aut rheumatiſmi acuti, vagi, fixi, determinati ſunt *comites;*

*b*) aut hujus morbi *ſequelae;*

*c*) aut *absque* vllo grauiori *ſymptomate rheumatico*, manifeſto accedunt.

Priores ſpecies ſatis facile, poſterior non, niſi omnibus ſymptomatibus ſcrupuloſiſſime perpenſis, dijudicantur. Talia vlcera in cruribus maxime obvia vt plurimum lardacea, margine pallido, materiem ſeroſam, lymphaticam, gelatinoſam, apparatum interdum nigro colore tingentem, fundunt, in ipſum cancrum degenerare poſſunt. Recurrente rheumatismo, ſub tempeſtate calida, ſicca, meliorem faciem induere, aut ſanari ſolent, tempore autumnali, hyberno iterum recrudeſcentia. Curatio vlcerum rheumaticorum in vniuerſum therapiae morbi generalis maxime innititur; externa tractatio ſpecialem vlcerum rationem ſequitur; repercutientia, adſtringentia hic vitanda erunt. Interdum humorum adfluxum ad locum magis commodum deriuare, reuellere cogit neceſſitas.

*Vl-*

## *Vlcera rhachitica.*

DCCCX. Vlcera *rhachitica* ex morbi generalis propriis ſignis ſuo loco exponendis dijudicanda ſunt; oſſa praecipue infeſtat morbus, ac vlcera deinde externa inducit, quae cariei vel paedartrocaces poſcunt chirurgiam, haud neglecto ſimul virus rhachitici reſpectu. Neque hic omittenda ſunt externa vlcerum ſcrophuloſorum (DCCCVI.) remedia.

## *Vlcera cancroſa.*

DCCCXI. Vlcus *cancroſum*, a carcinomate aperto, genuino, ſcirrhi ſequela, alio loco pertractando, diſtinguendum, tam facie tetra, quam indole immani, illi tamen ſatis analogum, *eſt* vlcus ſordidum, cadaueroſi foetoris, labiis duris, inuerſis, ſuperficie inaequali, ichore acri, ambitu magis magisque creſcente, dolore lancinante vrente, venis vicinis ſaepe varicoſis ac haemorrhagia frequenti notandum. Quanquam vlcus cancroſum pluribus his characteribus junctis ab alio quocunque vlcere dignoſcitur, vix tamen datur ſignum ſpecificum abſolutum, quo vlcus cancroſum licet ab aliis diſtinguere, niſi forte ſolam ſymptomatum vehementiam pertinacem ac indomabilem huc trahere velis. Varia enim vlcera ſcorbutica, venerea, et ſcrophuloſa prae-

oipue, quoad faciem cancrofis fimillima, therapia caufae cognitae adornata cedunt.

DCCCXII. *Caufae* vlceris cancrofi variae effe poffunt

a) *internae;* acrimonia fcrophulofa, venerea, rheumatica, fcorbutica, atrabiliaria, euacuationes folitae, aut eruptiones cutaneae intempeftiue fuppreffae, moeror, triftitia, teterrimo huic malo anfam dare poffunt. Interdum malum eft haereditarium.

b) *externae;* vt irritationes diuturnae, excoriationes, contufiones, compreffiones, de leuiffimo initio interdum in atrociffimum hunc morbum abeuntes.

Ex quibus patet: morbum nunc effe vniuerfalem, nunc vitium mere locale, nunc denique localem morbum fola reforptione diathefin cancrofam generalem inducere et totam humorum maffam inquinare poffe. Patet quoque: cur in vlceribus cancrofis fanandis varia ac faepe oppofita remedia falutarem effectum praeftiterunt. Hinc explicari denique poteft, cur fanies cancrofa, ex vlcere emanans, explorantibus mox indolem monftrauit acidam, mox alcalinam.

DCCCXIII. Vlcera *cancrofa* ipfa differunt varie:

a) non-

a) nonnulla sunt *fungosa*, in variis corporis partibus, a maculis nigricantibus, ex atro rubescentibus, verrucis, varicibus seu aliis tuberculis cutaneis, epidermide fissa, aut laesione alia externa, praecipue irritatione jugi vexata, natales trahentia. Excrescentiae interdum in mirandam molem breui increscunt, nunc molles, spongiosae, nunc cartilaginum duritiem aemulantes, quoad figuram interdum vuis aut floribus brassicae similes.

b) alia sunt planiora, in initio herpetem mentientia, obtecta eschara crassa, crustosa, sicca, saepius mox a solutione recrudescente; latius deinde serpit vlcus, copiosum ichorem et a leui attactu sanguinem fundit, atque dolore lancinante, carnium circumdantium duritie, scabritie et pertinacia denique immedicabili malignam indolem prodit. Partes neruosas praecipue infestat morbus, mammarum papillas, labia, inferius praesertim, nasum, oculos, genitalia. Ad hanc speciem quoque referendum est vlcus cancrosum scrotale, caminorum repurgatoribus interdum familiare, ex fuligine scroti plicis adhae-

haerente naſcens, labem inſanabilem in partes genitales ipſaque imi ventris viſcera propagans.

Notandum porro vlcera cancroſa, late licet ſerpentia, dolentia, ac ingenii maligniſſimi, raro tamen, niſi aliud incitamentum ſimul adſit, a notabili febri comitari, dum e contrario alia vlcera dolentia in vniuerſum febrem conſenſualem inducant. Inde ſi a doloris intenſitate pulſus plenus durus adfuerit aliam vlceris cauſam ſcrophuloſam, rheumaticam, veneream ſuſpicari licet. Carcinomatis genuini differentias ejusque ſymptomata hic enumerare praeterimus, vtpote in phymatum chirurgia vberius exponenda.

DCCCIV. *Prognoſis* vlceris cancroſi in vniuerſum eſt ambigua; morbus ſibi relictus vel acceſſu alius morbi, ſeu therapia irritante, praua, vexatus, maxime in corpore ſenili debili, cachectico, aut valde ſenſili, propter morbi jugiter ſerpentis augmentum aſſiduum, reſorptam ſaniem, crudelitatem doloris, ſomnique defectum, vel ſanguinis jacturam, creat debilitatem ſummam, febrem lentam, conſumit corpus ac denique morte terminatur. Vlcera cancroſa parua, recentia, ablationem cauſae internae, vel ſi locale fuerit malum, exſciſſionem partis adfectae admittentia, in corpore ſano, euchymo, juniori, omnino medelae conuenienti ac tempe-

ſtiuae

ſtiuae cedunt. Rheumatismus cancroſus, notabilis et refractaria lippitudo, glandulae variae tumidae, vlcera compluria cancroſa, aliaque in carcinomatis chirurgia indicanda, ſimul peſſimo certo omine, virus cancroſum non amplius in vna tantum parte reſidere, ſed totam humorem maſſam inquinaſſe, docent.

DCCCXV. *Curatio* vlceris cancroſi

*a*) aut *ablationem cauſae* cognitae exigit,

*b*) aut, ſi hoc fieri nequit, *ſpecifica remedia* indicata poſcit, quae ſub ſimilibus circumſtantiis profuerunt;

*c*) et, ſi morbus ſanationem haud admittat, *ſymptomatum* denique *lenimen.*

DCCCXVI. *Prior indicatio* ex ſagaciſſima ac ſcrupuloſiſſima indagatione cauſae (DCCCXII.) condenda vnice, requirit:

*a*) vt *morbo primario* a miasmate ſcrophuloſo, venereo, rheumatico, ſcorbutico, atrabiliario, ſcabioſo etc. ſtrenue *occurratur.* Quodſi autem verus morbi genius non detegi poſſit, aut therapia, juxta ſuppoſitam cauſam efficientem probabilem adornata, votis et conceptae ſpei non reſpondeat, mox

*b*) refugiendum eſt ad *exſtirpationem* tempeſtiuam, qua pars exulcerata cum toto ſuo ambitu ſimul exſcinditur; cujus qui-

quidem operationis ratio in chirurgia carcinomatis genuini, poſtquam de vulneribus jam egimus, fuſius pertractabitur. Sequitur hanc ſub debita vlceris ſequentis therapia aut ſanatio perfecta radicalis ſi vitium altas et diffuſas radices egerit, operatiojuſto diutius dilata, aut ſi ſeminium morbi totum auferri nequeat, atrociora poſt operationem mala ſunt exſpectanda; cancer enim iterum ocyus, ſerius, in priſtino aut alio loco recrudeſcit, miſeros lenta tabe conſu mens.

Vltimum itaque auxilii genus omnino non in miſeris tentetur illis,

*aa*) in quibus adfectum omne exſtirpari nequit.

*bb*) qui prae ſe ferunt ſigna miasmatis cancroſi vbique per totum corpus diſſeminati (DCCCXIV.)

*cc*) quorum habitus ac vires operationi ejusque ſequelis aeſtimantur impares, et

*dd*) qui denique cum conſtantia ferrum recuſant.

DCCCXVII. Vbi ne cultro quidem conceditur locus, refugiatur ad claſſem numeroſam *ſpecificorum*, quae perhibentur fugaſſe in ſpeciali-

bus caſibus atrociſſimum hoc malum, inter quae ea ſeligantur, quae ex obſeruationibus fidis morbi indoli maxime adpropriata judicantur, et cum aliquali ſecuritate adhiberi poſſunt. Verum ſi vſpiam, hic certe conſummata chirurgi prudentia opus eſt, vt e remediorum farragine, quae in ſingulo caſu profuerunt, ea eligat, quae ad morbi cauſam ſuſpectam, conſtitutionem aegroti, peculiarem ſenſilitatis ac irritabilitatis gradum, et effectum remedii attentiſſime obſeruatum, maxime adpropriata videntur. Sunt autem haec interna vel externa:

*a*) inter *ſpecifica anticancroſa interna* principem locum tenent folia et radices belladonnae, folia et extractum cicutae (conii maculati genuini,) ſuccus recens expreſſus onopordonis acanthii, ſuccus ſedi majoris, extractum aconiti, hyoſcyami, phytolaccae, cortex peruuianus, ſuccus expreſſus digitalis purpureae recentis, veruca equina, aqua calcis, lacerta virideſcens, ſaponacea, mercurius, ſublimatus praecipue, opium, arſenicum cum circumſpectione ſumma propinandum, aqua laurocerasi, petroleum Barbadenſe, acidum ſalis dilutum, ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus, et alia, arcana inprimis,

mis, bene multa, quorum pleraque, quotquot videlicet famam et laudes olim partas tuentur atque coram exploranti-bus vindicant, ſtupefaciente magis, hinc irritamentum, haud exiguum ſanatio-nis obſtaculum, infringente virtute po-tius, quam vera vi anticancroſa ſpe-cifica egiſſe et agere videntur.

b) effectum ſalutarem *externum* praeſtite-runt vegetabilia dicta recentia contuſa ſub forma cataplasmatis admota, ſeu eorum decoctum ſaturatum, aut extrac-tum ſolutum ope lintei carpti adplica-tum, ſeu eadem, forma pulueris vl-ceri inſperſa, ſolutio arſenici vel com-mixtio cum melle aut vnguento, ſedum acre, opium ſolutum, plumbum diuer-ſimode praeparatum, aqua calcis, de-coctum, puluis corticis peruuiani, va-por aquae calidae, aceti, aër ſub fer-mentatione vel efferueſcentia euolutus, ſolutio mercurii ſublimati et viridis ae-ris; ſpiritus ſalis ammoniaci melle commixtus, cataplasma e daucis ſati-uis, rapis, farina ſeminum lini, ſuc-cus gaſtricus animalium, carniuororum praecipue, ſuctio lacertae, catelli, hirudinum, cucurbitae totum vlceris

ambitum occupantis impositio, caustica varia ad totum vlceris ambitum admota, cauterium actuale, calor artificialis, et alia bene multa.

DCCCXVIII. Ad nouiora experimenta inspersio pulueris carbonum betulae, tiliae, forsan quoque alius ligni combusti, bis quotidie repetita, et sequens deinde vlceris simplici cerato obtectio salutarem effectum praestitit. Alii applicationem repetitam acidi carbonici ope vesicae ad superficiem vlceris cancrosi, vel hujus, aqua acido carbonico impraegnata, frequentem humectationem teterrimum malum debellasse referunt. Ipsi symptomata quidem ad tempus, mitigata, haud vero morbum sanatum fuisse sub horum remediorum vsu, obseruauimus. Plura vero vlcera teterrimae indolis, cancrosis simillima, diaeta aegroti ita restricta, vt nycthemeri spatio pondus quatuor vnciarum carnis, haud pinguis et ejusdem quantitatis panis non excederet, et loco omnis potus plures libras decocti radicis sassaparillae seu chinae frueretur aeger, sex hebdomadum spatio radicitus sanata fuisse vidimus.

DCCCXIX. In tanta remediorum atque specificorum farragine, quae in sanandis vlceribus cancrosis genuinis effectum sparsim optatum praestiterunt, praecipuam attentionem meretur *arsenici*, ve-

veneni omnium atrociſſimi, maxime prouidus atque circumſpectus *vſus externus*, *internus* vel *vtroque modo ſimul adhibito*, cujus remedii ſummam efficaciam in vlceribus cancroſis pluries obſeruaſſe nobis contigit.

DCCCXX. Inter varios *arſenicum externe adminiſtrandi* modos, variasque formulas pro hoc ſcopo concinnatas, quarum effectus ſalutaris, ſolo tamen arſenico deberi videtur, maxime tamen innotuit remedium Cosmicum ex cinnabaris arte factae drachmis duabus, cineris ſolearum calceamentorum granis octo, ſanguinis draconis granis duodecim et arſenici albi ſcrupulis duobus intime mixtis et in pulverem ſubtiliſſimum redactis, compoſitum. Succeſſus huius remedii pro magna parte de attentiſſima applicatione pendet. Pulvis aqua ad pultis mollioris conſiſtentiam miſcitur, quae ope penicilli ad totam vlceris ſuperficiem, rite linteo carpto vel ſpongia deterſi, eiusque marginem duriorem imponitur, vt inde vbicunque obtegatur; neque ob aliqualem ſanguifluxum chirurgus de rita atque exacta obtectione vlceris deſiſtat. Vlcus applicato arſenico haud obtegatur, ne intempeſtiua pultis ſolutio de vlceris parte ſuccedat, in quo caſu noua pultis pars mox imponatur, vsque ad formationem eſcharae durioris totam vlceris ſuperficiem obtegentis. Applicationem hujus

jus remedii mox ſequuntur dolor grauis, tumor atque rubor ambitus vlceris, ſymptomata nimirum minime ominoſa. Eschara citius, tardius ſponte ſeparatur; pars ſoluta intacta parte adhaerente forſice auferri poterit; ſolutione eſcharae facta vlcus benignum ſimplex remanere ſolet, ad huius indolem tractandum vsque ad perfectam vlceris ſanationem. Accidit tamen vt noua vlceris impuritas, vel excreſcentiae iterum inſurgant, quod monſtrat remedium haud omnem partem adfectam attigiſſe; pultis adplicatio tunc denuo repetenda erit. Dicta arſenicum externe applicandi ratio prae aliis propoſitis nobis maxime commoda atque proficua viſa fuit. Vitium locale ad hunc methodum radicitus ſanari poſſe multiplici et propria quoque experientia probatum eſt. Neque ſuſpicio miasmatis reſorpti vſum externum arſenici excludit, cum fons reſorpti ex vlcere cancroſo virus, ſi haud exſtingui, minui tamen inde poſſe, haud obſonum videatur.

DCCCXXI. *Vſus arſenici internus* maxime circumſpectus, deficientibus plane aliis remediis ſpecificis, quae miasma cancroſum debellare valent, quantum per circumſtantias licet, omnino concedendus erit. Solutio nempe grani arſenici in libra aquae deſtillatae ad menſuram cochlearis dimidii quotidie cum lacte aegroto propinari poterit,

rit, dosin lente augendo. Plures quidem aegrotos inde sanatos esse legimus, ipsi tamen periculum facientes, morbi crudelitatem quidem quodammodo infringere, haud miseros certo fato eripere nobis contigit.

DCCCXXII. In genere vlcera cancrosa humidiora frequentem ac citam *deligationem*, ablutionem vlceris frequentem, munditiei summam curam, defensionem ambitus vlceris vicini a contactu saniei acris praestandam ope cerati saturnini, diaetam lacteam, refrigerantem, vegetabilem, animi corporisque, quoad res concedit, quietem, alui solutionem laxantibus lenioribus, denique doloris per opiata mitigationem requirunt. Leuior haemorrhagia haud coërcenda est, grauior compressione et, vbi haec non sufficiat, ferro candente supprimitur, minus tuto adstringentibus seu ligatura sedatur. Putredini antisepticis blandioribus, praecipue pulvere carbonum, occurrendum, vlcus denique contra injurias externas atque omnia irritamenta prouidissime defendatur, atque pelli felina vel alia molliori, si locus concedit, obtegatur. Saepissime simul humorum ad loca commoda derivatione, reuulsione, opus est.

*Vl-*

## *Vlcera venerea.*

DCCCXXIII. Vlcera *audiunt venerea*, quae ab infectione venerea inducuntur. Virus venereum in vniuerſum quidem frequentiſſime a coitu impuro *ortum* ducit, attamen quoque haereditate, ſuctione, oſculando, concumbendo, ſudore, ſaliua, pure praecipue per vulnus, vlcus, excoriationem, communicatis propagari poteſt miasma, viris magis quam foeminis, juuenibus magis quam ſenibus infeſtum. In tenellis pluribus judaeorum infantibus, ab eo, cui circumciſione facta ſanguinem ſuctione oris educere in vſu erat, vlcera venerea in glande et praeputio inducta fuiſſe legimus. *Effectum* edit hoc miasma plerumque

*a*) primo in *ipſa parte infecta* vel ejus vicinia.

*b*) reſorbetur deinde virus *totamque humorum maſſam inquinat*, quo facto

*aa*) aut *lues* venerea *manifeſta* ſub diſtinctis hujus morbi characteribus inducitur,

*bb*) aut *virus deliteſcens* ſub aliorum morborum chronicorum larua diu latere poteſt.

DCCCXXIV. Diriſſimi mali *ſymptomata* ſunt:

*a*) S

a) si *morbus* fuerit *localis*, vlcuscula, inflammatio, excoriatio, bubo in ipsa parte infecta vel ejus vicinia.

b) ipsa *lues venerea manifesta* se declarat, in *aliis* quoque corporis *partibus*, maculis lividis, deinde rubescentibus, denique crustosis, scabie crustosa, vlceribus variis, carie, tophis, aliisque morbis ossium, rheumatismo venereo, dolore osteocopo noctu exacerbato.

c) *lues venerea laruata* difficilius dignoscitur et scrupulosissimum status praesentis atque praegressi examen desiderat: suspicio euadit certior, si symptomata tempore nocturno exacerbentur, si aegrotus syphillide antea laborans, sanatis saepissime male arte vlceribus primitiuis, ad adspectum ab hoc liberatus, debilis, valetudinarius remanserit, aliis symptomata venerea communicauerit, prolem veneream procreauerit, et si morbus sit haereditarius, atque symptomata denique sub vsu mercurialium prudenti leniantur.

In vniuersum vix datur morbus, qui non a viru venereo, praecipue alii acrimoniae juncto, induci, ali, propagari potest, ex. gr. infarctus glandulosi, ophthalmiae chronicae, gutta serena,

sur-

ſurditas, rheumatismus, cephalalgia, herpes, ſcabies, tinea, ozaena, alopecia, raucedo, angina, infarctus viſcerum, aſthma, tuſſis, haemoptyſis, phthiſis, aphtae, marasmus, malum hypochondriacum, fluor albus et alii bene multi, quorum genius ſubdolus extricandus eget examine ſcrupuloſiſſimo vitae et ſtatus antecedentium. Horum complicationum plurimae a neglectis vel mala arte tractatis vlceribus venereis primitiuis ortum ducere nobis videntur.

DCCCXXV. Ex allatis patet vlcera venerea merito *diſtingui*

*a*) in *primitiua*, quae breui poſt infectionem ſequuntur,

*b*) et *conſecutiua*, quae poſt menſes, imo annos, ſurgunt.

DCCCXXVI. Vlcera venerea *primitiua dicimus*, quae paucis diebus, a contagio corpore recepto, oriuntur, cum ſanguine deinde temporis ſucceſſu virus communicantia. Haec maxime in genitalibus et circa papillas mammarum, rarius in ore, *occurrunt:* interdum lenius vulnusculum vel excoriatio, in digito vel manu, intimo infecti corporis vel humorum ejus contactui vel attritui expoſitum, in tale vlcus degenerat. *Cognoſcitur* vlceratio primitiua venerea, ex ſede ſuſpecta ad praeputium, frenulum, labia pudendorum

dorum, puſtula ſeu excoriatione praeuia, circulo rubro, elevato, ſicco ſubdolente v. pruriente, quae breui tempore abit in vlcus rotundum, pure ichoroſo, fundo impuro lardaceo, margine dentato elevato, ambitu latius ſerpente, communium vlceris ſimplicis remediorum (DCCXCIV.) inſufficientia; quibus certitudinem addit detecta mali cauſa, impurus nempe coitus ſeu contactus praegreſſus.

DCCCXXVII. Rita *diagnoſis atque dijudicatio* vlceris venerei primitiui (DCCCXXVI.) ejusque debita therapia maximi ſane momenti merito habenda eſt, vnde haud raro vnica aegrotorum ſalus pendet et grauiſſima mala averti poſſunt. Sequentia inde veniunt notanda

1. Omnis excoriatio vel papula poſt coitum impurum, quamuis exigua, in vlcus abiens, de ſimplici excoriatione cutis ab attritu vehementiori ſub coitu diſtinguenda, quae breui euaneſcit nec in vlcus mutatur, certum infectionis venereae ſignum praebet haud absque mercurii vſu ſanandae.
2. Talium vlcerum pus ichoroſum ab attactu vel attritu ad partes praecipue mucoſas ſenſibiles, cutem praecipue excoriatam, eundem morbum aliis communi-

municare poteſt; obſtetricantium et eorum exemplo, qui lauationes linteamentorum talium ſordidorum incaute ſuscipiunt.

3. Vlcera venerea primitiua haud niſi mercurii vſu tuto ſanabilia, haud incongrua therapia vexata, ſaepe diu quiescere poſſunt, reſorbtione vero facta morbum venereum toto organismo animali communicant.

4. Reſorbtio virus venerei ex vlcere venereo primitiuo pro varia energia virium reſorbentium ipſiusque virus indole, nunc paucis forſan ab infectione horis, nunc poſt dies vel hebdomades fieri poteſt, diu latere et denique deleteriam indolem accedentibus ſymptomatibus luis venereae manifeſtare.

5. Cum nulla indicia abſorpti nuper virus venerei adſint, prudentia jubet, nullum vlcus venereum primitiuum mere locale habendum, ſed therapiam ſemper abſorptioni jam factae adornandam eſſe, vnde innumera mala ſaepe auerti poterunt.

DCCCXXVIII. *Vlcera venerea conſecutiua*, ſyphilidis aut manifeſtae aut laruatae comites et ef-

effectus *ſunt* talia, quae virus, humoribus inhaerens, cumque illis in aliquam partem delatum, creat. His ſedem praecipuam praebent genitalia, cauitas naſi et oris fauciumque, textus adipoſus, et compages oſſea carnibus minus tecta, vti oſſa cranii, naſi, palati, clauiculae, ſterni, tibiae; deinde tota corporis ſuperficies, reliqua oſſa, organa, viſcera. Communiſſime parum dolent haec vlcera, marginem habent inaequalem, et figuram excauatam, niſi adfectio praua oſſis ſubjacentis induxerit excreſcentias. In oſſibus non ſolum cariem, verum etiam dolores nocturnos, rodentes, exoſtoſes, tophos, gummata, plenariam oſſis corruptionem inducit hoc miasma. Vnde patet, vlcera venerea conſecutiua attentiſſimo examine ſtatus praeſentis atque praegreſſi dignoſci, tum ex dicta eorum conditione, ad quam in nonnullis accedit foetor ſingularis teterrimus, ichor caſeoſus ex albo flaueſcens, virideſcens, tum maxime ex aliis ſymptomatibus venereis concomitantibus, vel ſaltem praegreſſis, et cauſa declarata.

DCCCXXIX. Hujus morbi *antidotum* ſolum fidum hucusque comprobatum experientia, eſt mercurius, ejusque diuerſae praeparationes; vix vnquam enim vlcus venereum absque vſu mercurii ſanatur: jactatae namque noſtro aeuo vires

vires antiuenereae opii haud fecus ac decantata fpecifica antiuenerea alia, e. g. guajacum, faffaparilla, bardana, faffafras, belladonna, aconitum, mezereum, ftipites dulcamarae, cortex viridis nucis juglandis, aftragalus exfcapus, fal alcali volatile, acidum nitri v. falis, aliaque praeter mercurium, vifa fuerunt infufficientia, nec laudes decantatas tuita funt. Negari tamen haud poteft dicta remedia, vbi ob varias complicationes, diathefin praefertim fcorbuticam, mercurius adhiberi nequit, fymptomata fparfim mire mitigari, minime tamen hydargyri vfum excludunt. Hoc vero remedium vel interne adfumitur, vel externe frictione, illinitione, impofitione adplicatur, vel denique ad methodum junctam adhibetur. Pro vfu interno propinari folent praecipue mercurius dulcis, calomel, folubilis Hahnemanni, mercurius fublimatus corrofiuus cauta et parca manu datus, mercurius gummofus aliaque praeterea praeparata mercurialia partim cognita, partim arcana bene multa. Eadem remedia, et vnguentum mercuriale pro re nata majori minoriue mercurii dofi praeditum, mercurius praecipitatus, ruber, albus, externe adplicari poffunt pro varia ac fpeciali morbi indicatione.

DCCCXXX. *Therapia vlceris venerei primitiui*, vario quidem modo tentata fuit ab illis qui ex-

exſtinctionem virus venerei tempeſtiuam in ipſo loco adfecto, et omnis inde periculi infectionis averſionem ſperant. Nonnulli inde mox aquam mercurialem, alii vnguentum mercuriale vlceri imponunt, alii cauſticis mercurialibus, totum vlceris ſuperficiem cito deſtruere tentarunt; ſinguli denique nullo abſorptionis reſpectu habito mala arte remediis adſtringentibus exſiccantibus, ſaturninis, frigidis, vlcus ſanare auſi ſunt; nec diffitendum multos horum ab infectione venerea generali immunes manſiſſe; in aliis denique virus reſorptum diu quidem quiescere demum luem manifeſtam (DCCCXXVII.) vel ſub alia forma laruatam miſeris inducere poſſe haud infrequens triſtis experientia docuit. Quum autem ob ſeriorem vel ſegniorem remediorum vſum, aut ſyſtematis reſorbentis vigorem diuerſum, ſemper periculum abſorpti jam virus adſit; quum incauta atque incongrua externa tractatione vlcus intempeſtiue ſanari virusque venereum verſus interiora repelli poſſit; cum denique a ſola interna tractatione ſanatum vlcus certum praebeat indicium, miasma haud amplius in corporis organismo latere, ſed aegrotum radicitus ſanatum eſſe, omnino decet lentiorem quidem at tutiorem ſanationem de ſolo mercurii vſu interno exſpectare. Etenim ſi ſub vſu mercurialium congruo, interno, ſolo, vlcus venereum ſenſim in vlcus purum benignum abit,

pus

pus laudabile fundens, durities fecedit et vlceris fanatio absque cutis duritie aut decoloratione fuccedit, nihil amplius de infectione venerea extimefcendum effe concludere licet; quo, vnico forfan, radicalis fanationis figno carent illi, qui topicis adplicatis vlcus quidem fanarunt, minime vero a contagio jam reforpto immunes habendi erunt. Contagium quoque impune faepe auerti poterit, poft omnem coitum fufpectum, lauatione genitalium frequenti tempeftiua cum aqua tepida, fub ipfis jam vlceris venerei prodromis continuanda; ipfum vero vlcus linteo carpto puro obtegendum et fanatio de interno mercurii vfu congruo expectanda erit; urgentibus fymptomatibus frictiones quoque nonnullae mercuriales ad interiorem femorum partem adhiberi poterunt.

DCCCXXXI. *Vlcera venerea* fecundaria quoque vix externam mercurii adplicationem admittunt, cum faepe vlcera inde praemature fanentur, alias turbas inducant, feu, remanente haud raro miasmate, deinde recrudefcant. Praeftat cerato fimplici blando vlcus obtegere, et fanationem, feriorem quidem, at tutiorem, ab interno mercurialium vfu exfpectare; fuccedens haec fimul metum tollit acrimoniae fyphiliticae remanfurae, attamen fi vlcera faucium, nafi aliarumue partium venerea jacturam fubftantiae vel offis corrofionem minantur, tum gene-

generalibus, tum localibus remediis mercurialibus, mercurii dulcis praecipue ſeu mercurii gummoſi ope penicilli illinitione, ſeu ad depurandum vlcus mercurio praecipitato rubro vel albo, vnguento ſeu mucilagine commixto et adplicato, vlteriori corruptionis progreſſui ſtrenue occurrendum eſt. Ad alumnos lactantes venereos ipſos vix ac ne vix quidem adhiberi poteſt mercurius, frictiones tamen mercuriales in nutrice inſtitutae malum ſedarunt, in aliis lac caprae, quae frictiones ſubierat mercuriales, profuit.

DCCCXXXII. *Prognoſin* infectionis venereae hujusque effectuum quod attinet, morbus ſola naturae vi eſt incurabilis, ſemper in pejus tendens, miſerrimam vitam et denique tabem funeſtam efficere valens. Per artem omnino curabilis, facile quidem morbus recens, haud praua medicatione vexatus, in corpore ceteroquin ſano; difficilior eſt therapia, ſi malum fuerit inueteratum et mercurialibus absque ſucceſſu antea tractatum; difficillima, in corpore debili morbo et remediis exhauſto, ſi febris lenta, ſcorbutus, hydrops, morbi neruoſi, ſpasmi, phthiſis, indurationes vel ſuppurationes viſcerum, malum hypochondriacum, aliaque ſimilia adfuerint.

DCCCXXXIII. Inter remedia mercurialia mercurius dulcis rite praeparatus cuius gr. I-II mane et vespera ſumantur, leniſſimum atque ſimpliciſſimum eſſe videtur; mercurius ſolubilis Hahnemanni, niger, qui in mortario tritus, additis paucis guttis aquae, in globulos abit, cuius granum cum puluere concharum in tres partes aequales quotidie porrigitur; ſolutio mercurii ſublimati, quam tamen multi haud ferunt. In omni morbo venereo conſecutiuo, haud complicato, plerumque vſus mercurialium tam externus quam internus, ad ſuccedentem gingiuarum aut oris interni tumorem et leniorem ſaliuationem vsque, ſub ſpecifico halitus odore, continuari poteſt; dum ex his remedium humoribus juſte commixtum eſſe judicatur. Falli tamen poſſunt illi, qui mercurium in forma pulueris ſeu imperfectae ſolutionis adhibent, dum talis dentibus, gingiuis, linguae, faucibus, ob majorem grauitatem ſpecificam adhaerens, eadem ſymptomata absque notabili reſorptione generali inducere poteſt; idem valet de caui oris cum mercurio dulci ſeu gummoſo perfrictione. Praeſtat inde, niſi aliae frictiones externae praeferantur, mercurium in forma boli ſeu pillularum recenter paratarum porrigere. Saliuatio fortis ad debellandam ſyphillidem haud ſemper neceſſaria videtur, cum miasmatis exſtinctio, al

ad

admixtione mercurii cum humoribus, minime vero a gradu faliuationi pendeat. Si diftincta luis venereae figna adfint (CCCCIX.) et praeparatio vna mercurialis absque effectu adhibita fuerit, interdum ad aliam confugere cogimur. Multos, fruftra in anteceffum adhibitis praeparationibus mercurialibus, fublimati ope radicitus fanatos vidimus. Diarrhoeam a mercurii vfu effectum hujus remedii mire infringere experientia conftat, omni inde ftudio, opii praecipue vfu, auertenda erit. In vniuerfum vero ab vfu hydrargyri abftinendum erit, quoties vlcus, mixti praecipue genii, fub hujus remedii vfu pejorem faciem induit; neque plenaria vlceris fanatio ab vfu folius mercurii exfpectanda erit, quoties, ablata caufa venerea, aliud miasma, vlcus alens remanet. In fubjectis debiliffimis morbo venereo adfectis, mercurialibus atque faliuatione antea fruftra tentatis, interdum mercurii vfum differre, et interea vires corporis diaeta reficiente atque cortice reftaurare cogimur. Interdum, raro tamen, accidit, vt virus venereum diu latens atque inueteratum intimam corporis fabricam ita inquinauerit, vt omnem medelam vlcera refpuant, et aegroti denique febri hectica et marasmo lente confumantur. Multum ad fanandos morbos venereos faciunt rita atque debita remediorum praeparatio, mercurii viui praecipue ab omnibus

alienis cautiſſima depuratio, regimen debitum, frigoris vitatio.

DCCCXXXIV. *Opium* haud viribus ſpecificis antiueneriis gaudere experientia jam conſtat, in vlceribus tamen aliisque morbis venereis, grauiori dolore, haud exgiuum ſanationis obſtaculum creante, junctis, majori quantitate porrectum eximium vſum praeſtat; vti quoque in ſubjectis debilibus irritabilibusque, mercurii ſtimulum haud absque febri vel diarrhoea ferentibus, vtiliter hydrargyro jungitur. Vlcera faucium, contra mercurii vſum rebellia, ſaponariae extractum atque decoctum ſpecifica quaſi virtute ſuſtulit.

DCCCXXXV. Neque, praeter therapiam expoſitam, negligenda ſunt, quae *ſpecialis vlceris venerei indicatio* requirit. Grauior inflammatio methodum antiphlogiſticam, leniora ſaturnina externa, cataplasmata emollientia, deriuantia, reuellentia poſcit, antequam ad mercurialia confugiatur. Dolor vrgens opii vel cum vel absque mercurio ſedatur. Vlcera a gonorrhoea intempeſtiue ſuppreſſa, hanc ope cerei immiſſi reuocandam indicant. Vlcera venerea ſordida vnguento baſilico, cui mercurius praecipitatus ruber admixtus, vel ſolutione tenui mercurii ſublimati corroſiui depurantur; in vlceribus venereis impuris indolem cancroſam mentientibus, externe

ſuc

ſuccus expreſſus cicutae cum admixto mercurio dulci mire profuit. Vlcera, ab alia ſimul acrimonia, praeter veneream, complicata, deſiderant hanc quoque remediis idoneis et propriis vincendam, ante vel poſt vſum mercurialium. Oſſium vel aliarum ſingularum partium a ſyphillide adfectiones morboſae propriam medelam poscunt ſuo loco exponendam. Balnea tepida ante et ſub mercurialium vſu laudata, caute adminiſtrentur; decoctum lignorum cum duplo ſarſaparillae hauſtum, eidem indicationi ſecurius ſatisfacit. Ante mercurialium vſum cum vtilitatis ſpecie tamen adhibetur balneum tepidum. Balnea frigida a nonnullis recentioribus vſitata vix noxae ſuſpicionem effugiunt.

DCCCXXXVI. Cum vlceribus venereis non confundenda ſunt illa, quae ex ſeueriore ſaliuatione per hydrargyrum excitata, in cauo oris ortum trahunt. His frequenti oris collutione, vel injectione, aut balſamicorum pauxillo aeruginis nuptorum penicilli ope adplicatione, medendum eſt. Neque negligatur ſolers partium exulceratarum ſeparatio, ne moleſto turpique coalitui concedatur locus.

## *Vlcera ab euacuatione ſuppreſſa.*

DCCCXXXVII. Euacuationes variae ſolitae, intempeſtiue retentae, ſedatae, ſuppreſſae, minu-

nutae, vlceribus chronicis in variis corporis partibus anſam dare poſſunt; ita *fluxus menſtruus, haemorrhoidalis, tranſpiratio, eruptiones cutaneae, vrina, cruditates bilioſae,* retentae, ſedatae, ſuppreſſae, minutae, vlcera inducere poſſunt. Morbi recentis diagnoſis poſt cauſam ſolicite indagatam, ex ſymptomatibus morbum primarium concomitantibus, ſatis facile eruitur, praecipue ſi cauſſa ſubſiſtente vel adaucta morbus increſcat; minuta autem vel ſublata eadem decreſcat; inueteratus e contrario morbus, alienam laruam iuduens, interdum difficillime dijudicatur. Vlcera a ſanguifluxu ſuppreſſo exorta, interdum per haemorrhagiam ſtadiis ſatis regularibus recurrentem, indicantur. Vlcera a minuta vrinae ſecretione interdum produnt indolem foetore vrinoſo ſaniei effluentis Scabies, tinea, herpes intempeſtiue retropulſae, nunc breui, nunc poſt menſes demum, vlcera inducunt ex praegreſſo ſtatu dijudicanda. Talia vlcera in vniuerſum *requirunt cauſae* cognitae *imminutionem, ablationem.* Sanguifluxus ſuppreſſi reſtitutio, therapia interna, derivantibus, reuellentibus, ſanguinis euacuatione artificiali, electricitate etc. tentetur; eruptiones cutaneae ad ſedem priſtinam reuocentur, frictione, rubefacientibus, veſicatoriis, cucurbitis, balneis, camphoratis, ſulphuratis, diaphoreticis aliis, emeticis. Primae viae emeticis, lax-

laxantibus expurgentur. Tranſpiratio, regimine diaphoretico leni, frictionibus, balneis, reſtituatur. Praeter ablationem cauſae vlcera ipſa nullam peculiarem tractationem ſibi vindicant, ſed ad generales indicationes, partim expoſitas, partim dicendas, ſimpliciter tractentur.

## *Vlcera cutanea varia.*

DCCCXXXVIII. Vlcera *dicuntur* cutanea, quae ſedem ſolitam in ſuperficie cutis aut ipſa ejus textura habent, raro ad ſubjacentem celluloſam penetrant.

Principalia ſunt

*a*) *herpes*,
*b*) *tinea*,
c) *ſcabies*,
*d*) *achores* et *favi*,
*e*) *cruſta lactea*,
*f*) *zona*,
g) *lepra*, et
*h*) *aphthae*.

## *Herpes.*

DCCCXXXIX. Herpetem *vocant* papularum in ſuperficie cutis congeriem, ſeu effloreſcentiam ex papulis exiguis rubris, prurientem, raro febri junctam in cruſtas furfuraceas, ſquamoſas aut

eru-

crustaceas abeuntem. Diuiditur in *simplicem* et *complicatum*, *benignum* et *malignum*, *idiopathicum* et *symptomaticum*, *continuum* et *remittentem*, statis vel incertis temporibus *recurrentem*, *metastaticum* et *criticum*, *solitarium* et *gregalem*, *humidum* et *siccum*.

DCCCL. Quoad faciem externam notatur

a) herpes *simplex farinosus*, qui componitur ex papulis rubris, parum prominentibus, pruriginosis, non excoriatis neque crustaceis; hoc vitium saepissime mere locale deprehenditur.

b) herpes *pustulosus*, *crustaceus*, *serpigo*, quem constituunt papulae pejores corrosiuae, quae congestae aream circularem constituunt; acute pungentem, valde pruriginosam, deinde pars illa tegitur crusta cuti firmiter adglutinata, transsudatione humoris tenuis et acris e cute porosa; ichor si tangit alias partes, istas simili malo defoedat, vnde late serpere solet hoc malum, tamen absque exulceratione; sparsim sub forma crustae lacteae apparet.

c) herpes *miliaris* constat ex papulis exiguis, corymbosis, circum inflammatis, quarum apici rupto inhaeret molecula cru-

crustacea, subrotunda, flauescens, grano milii similis; apex pustulae, dum suppurat, albescit atque pus viscidum fundit, in crustam pronum.

*d*) herpes *estiomenos*, *exedens*; ipsam cutem exulcerat, ob majorem acrimoniae gradum exedit, interdum in ipsum vlcus cancrosum abiens.

DCCCLI. *Causae* morbum inducentes sunt

*a*) vel *externae*, ad quas pertinent contactus herpetici cutisque per suspecta vestimenta, lintea, collária; irritatio, ac variae speciales acrimoniae externae cutem exasperantes, vnde variis operariis, lanariis praecipue, sat frequens est morbus, in loco irritato solo ab initio erumpens.

*b*) vel *internae*, quales constituunt varia humorum labes scorbutica, scrophulosa, rheumatica, cancrosa, maxime venerea; aliae eruptiones cutaneae suppressae, euacuationes solitae variae retentae, cruditates biliosae in primis viis, adfectiones hepatis cet. Tales herpetes vt plurimum in pluribus corporis partibus simul absque praeuia externa causa manifesta prorumpunt.

DCCCLII.

DCCCLII. Ad hujus morbi *prognoſin* quod attinet, graue malum nunquam flocci faciendum, ſed attentionem chirurgi maximam requirit. Herpes ſimplex, idiopathicus, a cauſa externa prognatus, ſolitarius, nuper exortus, non furfuraceus, parum pruriens aut rubens, ſtatis temporibus recurrens et iterum euaneſcens, nullo humorum vitio detegendo fotus, impune quidem ſaepe euaneſcit aut remediis topicis ſupprimitur. Cruſtacei vero herpetes, miliares, et exedentes, vix vnquam ſolis remediis externis tractandi ſunt, ſed therapiam ſimul internam requirunt. Cautiſſime ſemper attendendum eſt, ne repercutiatur hic ichor acer, qui eo periculoſius ſupprimitur, quo magis malum eſt inueteratum, complicatum. Vix datur morbus, qui non a herpete repreſſo per applicationem remediorum localium temerariam induci poſſit. Interdum cauſa herpetem inducens mora, vetuſtate, vel a ſuperueniente alio morbo ita exacerbatur, vt pertinaciſſimum malum denique omnem medelam reſpuat.

DCCCLIII. Herpetum *curatio* aut internam therapiam ſimul poſcit, aut externis remediis topicis ſolis abſoluitur, prior in omni morbo cum qualicumque humorum labe complicato conuenit, dum ex hoc ſerior quidem, aſt ſecurior, ſana-

tio

tio exſpectanda eſt; altera in vitio mere locali adhibenda.

*a*) *interna tractatio* cauſae morbi indagatae, cognitae adornanda erit, miasmati venereo (DCCCXXXIII.) cancroſo, (DCCCXI.), ſcorbutico (DCCCI.), rheumatico DCCCIX.), cet. occurrendo; fluxus ſangnineos, eruptiones cutaneas, exanthemata ſuppreſſa reſtituendo vel humores ad alia loca deriuando, reuellendo; ſi nulla ſpecialis indicatio adfuerit, decoctum vel extractum ſtipitum dulcamarae, corticis ſaſſafras, corticis vlmi, radicis britannicae; flores ſulphuris; antimonium crudum; aethiops mineralis, vegetabilis; calomel ſulphure antimonii nuptum; laxantia; diaphoretica varia vtiliter adhibentur; haud neglecta diaeta lactea vegetabili, ac ſtrenua et ſolicita euitatione omnium, quae orgasmum ſanguinis ciere valent.

*b*) malo ſimpliciter locali opponuntur *externe* ſolutio dilutiſſima mercurii ſublimati, extracti ſaturni, vnguentum citrinum mercurio nitroſo nuptum, oleum tartari per deliquium, ſuccus citri, acetum cum viridi aeris paratum, pulvis

vis carbonum, oleum empyreumaticum ex chartis, linteis, vel lignis combuſtis exſtillans; ſi valde ſicci fuerint herpetes, lauatio ſeu humectatio frequens cum decocto auenaceo, mucilagine ſeminum cydoniorum, althaeae aliisue, vnguentum nutritum recentiſſimum, ceratum ſimplex, vnguentum ex aqua calcis, ſapone et extracto ſaturni confectum; aqua frigida ſaepius admota, caro recens, ſaliua hominis jejuni ſani, calor artificialis ope carbonis ardentis admotus et alia bene multa. Boracis vſum externum ſpecifica virtute contra herpetes agere pluries vidimus. Aliis remediis fruſtra adhibitis, ſequens formula mirum effectum praeſtitiſſe obſeruare nobis licuit. Aquae roſarum uncias ſex, mercurii ſublimati corroſiui grana tria, lactis ſulphuris drachmas duas, ſacchari ſaturni drachmam ſemis, miſceantur pro fotu vel lauatione frequenti loci adfecti. Talia remedia ſecurius miniſtrantur, vbi veſicatoria aut hirudines locis adfectis in anteceſſum adhibita fuerint.

DCCCLIV.

DCCCLIV. *Tinea capitis*, *achores et faui*, *crusta lactea*, *ignis sacer*, sunt omnino species herpetum (DCCCXXXIX.), itaque nonnulla jam veniunt de his dicenda.

## *Tinea.*

DCCCLV. *Tineam constituunt* vlcera cutanea caput capillatum obsidentia, sub crusta crassa, aridissima, albicante, subflaua, viridescente latentia, qua soluta et ablata ichor peculiaris foetoris prodit atque cutis humida, rubra, corrosa adparet. E paruo principio malum interdum vsque adeo increscit, vt non raro totam partem capillatam, quin etiam loca huic vicina occupet. Modo sponte exoritur malum, modo per contagium traducitur, modo est haereditarium: nunc acrimonia in ipsa cutis substantia haeret, nunc in bulbis capillorum residet, nunc ab acrimonia quadam venerea aut scrophulosa praesertim fouetur. Nulli aetati parcet, peculiari pertinacia saeuit, reuertitur saepe, nec sine artis adjumento debellatur.

DCCCLVI. *Therapia tineae* versatur circa

*a*) *crustam emolliendam*, *auferendam*,

*b*) *vlcera detergenda*,

*c*) *bulbos capillitii adfecti extrahendos*,

*d*) *therapiam* denique *internam* congruam.

Cru-

*Cruſta emollitur*, ſoluitur, ſollicite reſectis antea capillis, per inunctum oleum expreſſum, blandum, butyrum recens inſulſum, cremorem lactis, mel, cerata blanda, axungiam porcinam, cataplasmata emollientia, relaxantia, vnguinoſa. Ablata cruſta *vlcuſcula detergentur* ſolutione aquoſa, dilutiſſima mercurii ſublimati corroſiui, ſolutione mercurii viui in aqua forti addita decupla parte olei oliuarum, decocto nicotianae, pice liquida, oleo empyreumatico, oleo ouorum, balſamo ſulphuris, decocto foliorum et ſolutione extracti cicutae, craponibus in puluerem vſtis inſperſis etc. His licet exſiccari quidem poſſunt vlcera, redire tamen ſolent, quoties morbus in bulbis capillorum haereat, quod noſcitur ex inſufficientia remediorum, capillorum faciliori ſeceſſu, ac bulborum praeternaturali tumore: perfecta tunc ſanatio non niſi praegreſſa horum eradicatione obtinenda erit. *Eradicantur* autem *capilli* vel forcipis miniſterio, vel emplaſtri e reſina alba fuſa atque farina confecti, ſeu linteis pice fuſa obductis, in taeniolas diuiſis, calideque capillitio poſt reſectos crines impoſitis: dum refrigerata haec lente detrahuntur, tollunt ſimul radicitus bulbos adfectos, ad picem adglutinatos. Sub tali tractatione maxime ſollicita munditiei cura haud negligenda erit. Malum infectione aliis communicari poſſe experientia docuit.

DCCCLVII.

DCCCLVII. Sequens tractatio nobis quoque proficua visa fuit. Sub largo potu decocti bardanae vel sassaparillae, aeger omni vespera granum mercurii dulcis et sulphuris antimonii assumit; capiti vero ad emolliendas crustas cataplasma emolliens imponitur; post decem circiter dies caput solutione granorum decem mercurii sublimati et viridis aeris in duabus libris aquae saepius humectatur atque fovetur. Eradicatione capillorum sub hac medendi ratione saepe carere possumus.

DCCCLVIII. Acrimoniae humorum suspectae venereae vel scrophulosae, ad methodum antea expositam, occurrat, antequam ad remedia topica refugiat chirurgus, intempestiue etenim suppressa tinea varias febres, anasarcam, tussim, ophthalmias, surditates, metastases varias, verbo grauissima mala inducere potest, qualia si exsiccationi tineae superueniant, aut breui post sequantur, curatio tineae ad aliud tempus differatur, aut humores mox ope vesicatorii, iterum ad sedem pristinam sollicitentur; et vlcere artificiali sustineantur. Malum inueteratum humorum deriuationem seu reuulsionem diuturnam, praecipue ope vesicantium vel fonticuli ad brachia poscit.

*Acho-*

## Achores et Faui.

DCCCLIX. Achores *ſunt* vlcera capitis manantia e foraminulis plurimis humorem glutinoſum tenuem foetidum effundentia, pilos plerumque conglutinantia. Ab his vix differt fauus, niſi quod majoribus tuberculis oriatur, magisque patula habeat foramina, humorem ſpiſſiorem, melli, quoad conſiſtentiam, ſimilem fundit, qui condenſatus denſiores format cruſtas. Sedem morbo praebent cryptae muciparae cutis capillatae, materia ſeroſa acri turgidae. Infantes ac juuenes huic malo praecipue ſunt obnoxii, in nonnullis fixas, ad certa anni tempora, ſui reditus periodos ſeruant haec vlcera. Apud plerosque vitium hoc mere eſt locale, in aliis acrimoniae humorum generali junctum. Saepiſſime ob pectinationis difficultatem pediculi ſimul generantur, vnde pruritus et ſcalptus diriſſimus, et iterum peruigilium, macies, faciei pallor, quandoque conſumptio hectica. Quum vero foedus hic morbus grauiores interdum adfectus auertat, ſaepe ſub pubertate vel menſtruatione ſponte cedat, ſaltem non ab omnibus impune fugatur, caute ſemper cum curatione hujus morbi mercetur. Frequentem loci affecti lauationem cum aqua tepida ſaepius per diem repetitam profuiſſe obſeruauimus. Tentandum itaque, quid juuent capillorum reſectio, cruſtae emollitio, vlcerum de-

detersio, phthiriasis medela, ac therapia interna in tineae ac herpetum chirurgia exposita. Quod si his resistant vlcera, ad leniora reprimentia aut exsiccantia maxime ex vegetabili regno desumpta, per gradus procedatur lente ac prouide, haud omissa humorum jugi deriuatione, reuulsione congrua.

## *Crusta lactea.*

DCCCLX. Crustam lacteam *vocamus* vlcera prurientia, manantia, faciem infantum lactantium annuorum vel bimulorum occupantia. Rara infantes biennio majores inuadit, rarissima in adultis obseruatur. *Incipit* morbus a phlyctaenis succo tenaci turgidis, cohaerentibus, albis, deinde flauescentibus; hae vesiculae exsiccatae vel apertae parcum fundunt humorem concolorem, blandum, qui effusus et exsiccatus crustas format, vel siccas, vel humidas albescentes, flauas, raro brunneas; ob pruritum, quem cient, infans saepissime crustas auellit, sic cutis substrata manet nitida, nisi quod interdum raris foraminibus circularibus cernatur pertusa, a quibus nouae crustae succrescunt. Totam faciem, exceptis palpebris, interdum *occupat* morbus; serpit quandoque in partem capitis posticam, aures, collum, thoracem, imo in totum corpus. Alumni pingues, voraces, seminia scrophulosa portantes, qui

qui nutrices voraces, pingues, lacte abundantes, iracundas, Baccho et Veneri litantes, acrimonia quadam humorum laborantes, menstruatas, grauidas sugunt, prae reliquis crusta lactea defoedantur. In infantibus hoc morbo laborantibus dentitio serior et difficilior succedere solet, aluus segnior, rhachitis saepe imminet. In *curatione* ad ea in genere attendatur momenta, quae in chirurgia herpetum jam sunt monita. Praecipue vero nutrix eligatur junior, praedita lacte minus butyroso, serosiori, blando, vel lac nimis pingue, aut ad acredinem vergens, nutricis victu humectante, attenuante, remediisque diluentibus, decoctis mundificantibus diluatur, emendetur. Malum a nonnullis mere locale habitum vnguento mercuriali Werlhoffiano, saturninis, spiritu vini camphorato, frigida admota solutione tenuissima mercurii sublimati, impune ac breui quidem *sanatum* fuit, vix tamen si euidentia adsint acrimoniae signa, vel vlterius progrediatur malum, reprimentia sunt adhibenda, sed, sub exacta munditiei cura, serior ac securior sanatio de regimine infantis ac remediis nutrici datis exspectanda est; densiores tamen crustae mucilagine vegetabili diluto, cui saepe decoctum auenaceum optime inseruit, et parco oleo expresso, recente, blando emolliendae, atque excretiones variae liberae sustinendae erunt. Neque

que inutiliter ſimul interne adhibentur decoctum lacteum, puluis, extractum violae tricoloris. Ceſſante morbo partibus ſolidis robur balneo frigido redditur. Quod ſi ab imprudenter repercuſſo morbo mala ſurrexerint, mox variis acribus, maxime vegetabilibus, frictionibus, balneis ſtrenue tentetur reuocatio cruſtae lacteae.

## Z o n a.

DCCCLXI. Zona, cingulum, zoſter *vocatur* ſpecies herpetis, quae ſub forma veſicularum flaueſcentium, liueſcentium juxta truncum corporis prorumpit, raro artus occupat, rariſſime medium corpus tanquam cingulum circumdat ac amplectitur totum, graui dolore vrente ac febri ſtipata. Morbus minime remediis adſtringentibus, neque laxantibus repetitis reprimendus erit, ſed ſolis remediis internis purificantibus, demulcentibus, lenibus diaphoreticis tractandus, ſecurius adhibentur emetica repetita laxantibus nupta. Grauiora ſymptomata interdum methodum poſcunt antiphlogiſticam. Intempeſtiue ſuppreſſus morbus dictis remediis (DCCCXXXVII.) reuocatur.

## S c a b i e s.

DCCCLXII. Scabies *eſt* puſtularum *purulentarum* vel *ſanioſarum*, vel *papularum ſiccarum* ex

duriore et rubicundiore cute eruptio, pruritum, ſaepe quoque dolorem creans, interdum totum corpus facie excepta inuadens, ſaepiſſime tamen ſolos artus externos, digitorum inprimis interſtitia occupans. *Principium* absque dubio in acrimonia quadam peculiari quaerendum eſt, quae

*a*) vel a contactu inficiente vel ſuſpecto, ſcabioſi veſtimentis, induſiis, chirothecis, concubitu *infertur*;

*b*) vel aëre inſalubri immunditiei atque exercitii defectu *fouetur*;

*c*) vel in corpore a victu impuro, inſueto, aut morbo ſcorbutico et venereo, ſcrophuloſo, rheumatico praecipue *gignitur*.

Nonnulli inſectis mali cauſam tribuunt, qui ſtatus tamen effectus potius quam cauſa morbi eſſe videtur. Scabies genuina idiopathica primo inuadit locum infectum, puſtulis albis humorem pellucidum continentibus, deinde flaueſcentibus, denique cruſtoſis. Vnde in orphanotrophiis, noſocomiis, caſtris interque pannifices, ſtructores capillaturae, aliosque varios operarios communis eſt morbus. Quoad *prognoſin*, ſcabies vtcunque pruritu moleſtiſſimo nullum tamen vitae periculum minatur, et, ſi topicum ab infectione exortum fuerit malum, diu absque ſanitatis detrimento perferri poteſt: quidquod datur ſcabies metaſtatica, critica, ſalutaris, minime externis

reme-

remediis reprimentibus vexanda, varios morbos tam acutos, quam chronicos, ſoluens. Inoculatione puris ſcabioſi, vel frictione puris inter digitos, vel portando lintea, decumbendo in lectis ſcabioſorum communicatam ſcabiem complures morbos chronicos ſanaſſe compertum eſt. Scabies intempeſtiue retropulſa varia eaque grauiſſima mala, conuulſiones, orthopnoeam, peripneumoniam, phthiſin, hydropem, rheumatismum, diarrhoeam, coecitatem, claudicationem, vlcera ac varios alios morbos inducere poteſt. Mala dicta tamen a complicatione accidentali cum alio morbo ortum inducere poſſunt, et cautiſſimam dijudicationem requirunt, cum epidemia aërisque conſtitutio hic multum faciant.

DCCCLXIII. In vniuerſum *ſcabies* communicata idiopathica, vtpote morbus cutis localis, citum *externorum remediorum* poſcit vſum, vnde curatio abſolui ſolet. Remedia praeparatoria, decocta laxantia hic certe nocent. Balnea tamen ſingula hic munditiei cauſa conducunt. Si ſub ſcabie communicata ſigna accedant acrimoniam qualemcunque ſeu functiones laeſas indicantia, remed. *interna* indicata *externis jungere* decet. Si vero critica fuerit ſcabies, a morboſae materiae, rheumaticae, ſcrophuloſae praecipue depoſitione ſub morbi primarii diminutione, vel ſi epidemia aërisque conſtitutio eruptionibus cutaneis

neis faueat, curatio maxime *therapia interna*, omissis remediis externis absoluitur, vsque ad morbi primarii sanationem. Si denique subito scabies euanescat, aliaque (DCCCLXII.) symptomata grauia accedant, eam omnibus viribus ad sedem pristinam *reuocare* conducit.

DCCCLXIV. Scabiei *therapia* inde differt, prout malum fuerit idiopathicum vel symptomaticum, in vniuersum includit remedia externa, therapiam internam, repulsae denique scabiei reuocationem.

*a*) inter remedia *externa* principem locum sibi vindicant flores sulphuris, mercurius praecipitatus albus, ruber, sublimatus, spiritus acidi minerales, vitriolum album, extractum saturni, sal ammoniacum, baccae lauri, oleum laurinum, oleum tartari per deliquium, lixiuia varia, aqua calcis viuae et alia bene multa, quae sub varia forma, frictione, inunctione, lauatione, epithemate admoueri possunt. Vnguentum ex vncia vnguenti pomati cum drachma mercurii praecipitati albi commixta, addita drachma dimidia olei tartari per deliquium; vel aliud ex aequalibus partibus vitrioli albi, florum sulphuris ae

ac pulueris baccarum lauri, cum ſuffi-ciente quantitate olei oliuarum commix-tis, nobis multiplici experientia com-probatum eſt. Boracis aqua vel oleo commixtae vſus externus nobis quoque valde proficuus viſus fuit. Merito quo-que a recentioribus laudantur lepidium dentellaria, plumbago L., radicibus nimirum in mortario lapideo contuſis, oleum oliuarum bulliens ſuperinfundi-tur, expreſſo deinde oleo, radices lin-teo inuolutae oleo denuo imbuuntur, quibus ſuperficies ſcabioſa bis quotidie perfricatur; quibus tamen omnibus in-gratum quidem at efficax remedium pal-mam praeripit. Vnguento ex pice li-quida, ſapone nigro et cineribus cla-uellatis confecto totum aegri cor-pus, capite excepto, tribus diebus con-ſequentibus tempore veſpertino rite per-fricatur, et linteis munitus aeger lecto per triduum committitur, quo facto ſu-dor profuſus ſequi ſolet. Quarto de-nique die, poſt balneum tepidum, ſub debita munditiei cura ſcabies breui eua-neſcere ſolet. Talibus remediis malum recens, locale, absque internorum re-mediorum vſu omnino debellari poteſt

tuto;

tuto; notandum tamen excretionum ſolitarum, diaetae, munditiei, exercitii corporis, aërisque puri curam minime negligendam eſſe, vnde radicalis taedioſiſſimi mali ſanatio in noſocomiis in vniuerſum difficillime ſuccedit.

b) malum inueteratum acrimonia interna junctum, *remedia interna* poſcit, emetica laxantia, decocta purificantia, ſulphurata, antimonialia, mercurialia, infuſum ſtipitum dulcamarae de minori doſi ad majores adſcendendo, ſucci expreſſi recentes, acidum vitrioli dilutum, aliaque ſpecifica peculiari humorum acrimoniae odornata, ſtrenue ſimul vitatis omnibus nocentibus, quae, vti morbum inducere, ita quoque ſuſtinere valent.

c) intempeſtiue repreſſum malum ſeu retroceſſum frictionibus, balneis, ſinapismis, veſicatoriis, floribus ſulphuris, emeticis, camphora, diaphoreticis *reuocatur.*

## *Lepra.*

DCCCLXV. Lepra in genere vocatur ſtatus morboſus, in quo cutis, totius interdum corporis, cruſtis ſeu eſcharis ſquamoſis, verrucoſis, duris, craſſis obſeſſa eſt. Leuiores morbi ſpecies

cies herpetibus vel ſcabiei deterioris genii adnumerantur, et eandem therapiam poſcunt. Hic nominare liceat deterioris ſpecies, quae ſub vario climate diuerſi genii eſſe videntur, vnde lepra diſtinguitur in orientalem et occidentalem.

## *Lepra orientalis.*

DCCCLXVI. *Lepra orientalis*, Arabum, vulgo elephantiaſis dicta, morbus *eſt* nunc in Europa, niſi plane exoletus, tamen rariſſimus, cujus *characteres* ſunt:

*a*) cutis elephantina, dura, vnctuoſa, aſpera, ſquamoſa, rugoſa, rimoſa, pilis deſtituta;

*b*) cutis inſenſilitas, anaeſtheſia extremitatum imprimis.

*c*) deformitas faciei horrenda; genae atrorubrae; rugae frontis leoninae; vultus fixus; oculi rotundi; naſus reſimus; nares foetidae, craſſae, intus obſtructae; rictus ſatyrorum ad inſtar; mentum complanatum; vox naſalis rauca; mores melancholici, mali, doloſi; veneris ardens appetitus.

*d*) vlcera profunda, putrida, cancroſa, oſſa, naſi imprimis, carioſa, decidua, tumores glanduloſi, dyspnoea, febris

lenta,

lenta, quibus horrendis malis mors denique finem exoptatum imponit.

Triſtis omnino tanti mali eſt prognoſis, neque hucusque ſpecificum, debellando atrociſſimo atque inueterato morbo par inuentum eſt; a mercurialium vſu malum exacerbari obſeruationibus conſtat.

## Lepra ſeptentrionalis.

DCCCLXVII. Lepra ſeptentrionalis *noſcitur* ex puſtulis duris, furfuraceis, verrucoſis, cruſtaceis, prurientibus, per faciem, fauces et corpus diſperſis, a peculiari acrimonia ortum ducentibus. *Inuenitur* in oris Islandiae maritimis, omnibus inſulis Faeroënſibus, tota fere Noruagia praeſertim littorali, quibusdam Sueciae ac Scotiae prouinciis, Ruſſiae parte orientali ac ſeptentrionali, vti quoque in China et Tartaria.

DCCCLXVIII. Morbus *incipiens*, ſed adhuc latens, *explicatus* ac denique *conſummatus* propria habet ſigna rite obſeruanda:

a) *praeludium* morbi produnt grauitas, laſſitudo corporis, anaeſtheſia; rigiditas extremitatum, tumor ſuboedematoſus; perſpiratio et anhelitus foetidi; rheumatismus fugax, noctu haud raro exacerbatus, donec erumpit ſudor leuis vnctuo-

vnctuosus; faciei color vel pallidus, vel intense ruber.

b) sequitur *morbus ipse*, dum praeludium vel in *scabiem* humidam aut siccam, vel in *herpetem*, vel in ipsam *lepram* transit, prout vel majori vel minori gradu morbus adsit. Lepra si sequitur, post praeludium incertae durationis, interdum vltra annum, erumpunt maculae rubellae, nodi vel tubercula, maxime in fronte, naso, mento, labiis, faucibus, deinde per totum corpus dispersa nec partibus genitalibus parcentia, raro tamen manibus infesta, mobilia, diu indolentia, denique degenerantia in vlcera sordida, serpentia, ichorem copiosum fundentia, marginibus tumidis, duris, pallidis, ad ipsa ossa etiam palati ac nasi inprimis penetrantia; quae omnia fiunt absque notabili febri aut excretionum naturalium abalienatione.

c) *morbum consummatum* declarant vlcera pessima, faciem cancrosam induentia, ossium corrosio, vomeris, palati lapsus, nasus depressus, terribilis faciei adspectus, elephantiacae similis, successiua virium labes, febris hectica, aluifluxus, sudores colliquatiui, mors.

DCCCLXIX.

DCCCLXIX. *Praedisponentes causae* praecipuae sunt:

*a*) diaeta animalis prauae indolis nimia, quae praecipue constat e piscibus, halece, gadis omnibus, pleuronecto, hippoglosso, cet. siccatis, plane non aut parum salitis, interdum semiputridis; imprimis horum hepate et visceribus caeteris, pinguedine oleosa fluentibus, quae dictis (DCCCLXVII.) incolis in deliciis habentur. Cui accedit penuria vegetabilium, panis secalini rite parati, aceti, salis.

*b*) vestimentorum inopia; sic dantur piscatores, qui vnicum suum vestitum hodie in alto mari madefactum vel noctu cubitum euntes in proprio corpore siccant, vel eundem postero die adhuc madidum denuo induunt.

*c*) morbi cum lue venerea vel scorbuto connubium.

*d*) frigus intensum diuturnum humidum.

*e*) pauperies plurimorum et incuria fere omnium littoreorum circa munditiem, domicilium, vestimenta.

Cunctis hisce principiis partim successiue, partim simulta cooperantibus inducitur denique cachexia spe-

ſpecialis indolis, quae viribus naturae ſuperficiem corporis verſus determinata morbum inducit.

DCCCLXX. Lepra dicta ſeptentrionalis *eſt*

*a*) aut *ſimplex genuina*, nullis alius acrimoniae ſignis praeſentibus;

*b*) vel, quod ſaepiſſime, accidit, *ſcorbuto juncta*;

*c*) vel infectio *ſyphilitica* ſimul adeſt;

*d*) vel denique *omnia* ad formandum atrociſſimum morbum concurrunt.

*Prognoſis* morbi differt pro complicationibus et gradu (DCCCLXX). Primum ſtadium vel praeludium morbi, antequam ſcabies, tubercula, lepra ac vlcera accedant, omnino ſanationem admittit. Neque lepra jam praeſens medelam reſpuit omnem: malum vero conſummatum, praecipue ſcorbuto et lui venereae ſimul junctum, therapiam difficillimam reddit, diſcriminis plenam, haud raro impoſſibilem. Recidiuam dat pauperies, reſtitutum ad priſtinam diaetam cogens, noua infectio.

DCCCLXXI. Mali therapia prae omnibus requirit cauſae morbi ablationem atque omnium nocentium (DCCCLXIX.) euitationem exactam; his neglectis ſanatio vix vnquam ſuccedit. Adhibeantur porro diaeta lactea, vegetabilis, animalis recens, cicuta, trifolium fibrinum, cor-

tex

tex vlmi, rosmarinus ſylueſtris, balnea, euacuantia leniora, antimonialia. Mercurium ad ſaliuationem fortiorem vsque porrectum ſemper nocuiſſe compertum eſt. Remedia externa reprimentia quaeque omnino erunt euitanda, dum ab acrimonia ad interiores atque nobiliores partes delata certum periculum inducatur.

## *Aphthae.*

DCCCLXXII. Aphthae *ſunt* puſtulae vt plurimum albicantes, ſaepe candidiſſimae, circulo roſeo circumdatae, ſaepe tamen flauae, fuſcae, liuidae, nigricantes, linguae concolores, ex apice pertuſo mucum glutinoſum fundentes, internam oris ſuperficiem, raro cauum naſi, obſidentes, interdum per oeſophagum, reliquam viam alimentarem, imo aſperam arteriam, inſtar cruſtae deſcendentes, cum vſtionis ſenſu valde dolentes, ſuctionem, vocem, maſticationem, deglutitionem, loquelam impedientes, febri, vt plurimum dyſphagia, ptyaliſmo, ſumma macie et debilitate junctae. Frequentiſſime *occurrunt* aphthae in infantibus lactantibus, acore in primis viis laborantibus, neque infrequenter in adultis metaſtaſi imperfectae, inſidae in febribus continuis, exanthematicis, putridis, inflammatoriis, lentis, a ſuppuratione interna ſeu pure reſorpto, vel aluifluxu vires peſſundante inductae, debentur:

tur; interdum ſub morbi primarii leuamine prorumpunt. Vnde patet cauſam harum aliam eſſe materiem acrem, purulentam, putridam, aliam denique morbificam reſorptam. Aphthae itaque diſtinguuntur

a) in *idiopathicas* et *ſymptomaticas;*
b) *metaſtaticas* et *criticas;*
c) *benignas* et *malignas;*
d) *ſolitarias*, *congregatas* et *confluentes.*

DCCCLXXIII. Malum futurum *praeſagiunt*

a) in *lactantibus* lactis recuſatio cita a tenellis auide ſuctionem tentantibus, inquietudo, febris, lactis caſeoſi per vomitum rejectio, ſuſpiria, ſingultus, vox rauca, inſolitus oris calor, rubor.
b) in *adultis* morbus alius praeſens, cibi et potus auerſatio, vomituritio, anxietas, dolor preſſorius ardens in praecordiis, ſub deglutitione ſenſus corporis alieni in oeſophagum impacti, reſpiratio difficilis, ſingultus, inſolitus caui oris rubor, ardor.

Prognoſin laetiorem ſuppeditat albidior puſtularum color, eruptio ſolum oris cauum obſidens, facilis ſeceſſus minorque renouatio, morbi primarii ſtatu ſimul conſiderato; in phthiſicis aliisque tabe confectis ſcenam claudere ſolent aphthae.

DCCCLXXIV. Aphthae ſaepe *auertuntur* elutione oris frequenti, cum aqua frigida, ope ſpongiae ſtylo adfixae in infantibus inſtituenda, magneſia alba; tinctura rhabarbari aquoſa cum ſale plantarum, laxantibus mitioribus, leni emetico porrecto. Ipſa *therapia* ad indolem et gradum morbi differt: benignae blandam tantummodo muci abſterſionem partiumque ſubjectarum acute ſenſilium collutionem mucilaginoſam, leniſſime adſtringentem, acidulam, balſamicam, poſcunt, interdum ope injectionis praeſtandam, minime tamen neglecta morbi primarii conuenienti medela. Borax aqua, mucilagine, melle, ſyrupo commixta veluti ſpecifica virtute fugat aphthas, facillime tamen recurrentes, niſi deletus fuerit earum fomes. Neque tutum eſt praemature reprimere has eruptiones, ſi vere criticae fuerint.

## *Vlcera a debilitate aegroti complicata.*

DCCCLXXV. Absque peculiari acrimonia humorum, vlcera poſſunt fieri complicata a ſola *debilitate*,

*a*) vel *vniuerſali*, ſi vires vitales ad elaborandum pus laudabile et ſanandum vlcus impares fuerint. Notandum tamen minime omnes debilitates vlcerum ſanationem retardare; haud raro enim, etiam

poſt

post fractas insigniter aegroti vires, vlcera simplicium ad instar sanantur.

*b*) vel *partiali*, vti in oedemate, varicibus cet.

Quae obseruato corporis habitu facile distinguuntur. Prioribus diaeta nutriente, restaurante, ac cortice peruuiano larga dosi porrecto; posterioribus externis roborantibus, leniter adstringentibus, inuolutione totius membri cauta, prudenti, situ horizontali, quiete ac therapia ad morbum primarium adaptata occurritur.

## *Vlcera a plethora complicata.*

DCCCLXXVI. Vti a debilitate, ita quoque a statu opposito, *polychymia* nempe, in subjectis junioribus, plethoricis, robustis, vegetis, diaetae lautae, vinosae, aromaticae adsuetis, status inflammatorius in vlceris ambitu sustineri, debita suppuratio ac depuratio ipsius vlceris impediri, ac sanatio retardari possunt. Cui complicationi opponuntur diaeta tenuis, stricta, refrigerans; euacuationes sanguineae vniuersales, locales; laxantia antiphlogistica; lenis vlceris compressio; therapia speciali vlceris indoli congrua.

## *Vlcera a varia cauſa externa complicata.*

DCCCLXXVII. Explicatis jam variis cauſis internis, a quibus vlcera varia induci ac ali posſunt, jam externae veniunt conſiderandae, quae vlceris ſanationem retardare, impedire poſſunt. Principaliores ſunt:

a) *praua vlceris tractatio;*

b) *vitium partium ſolidarum ambitum vel baſin vlceris terminantium;*

c) *ſuppuratio peruerſa;*

d) *vetuſtas;*

e) *ambitus;*

f) *figura;*

g) *corpus alienum latens;*

h) *ſingularum partium adfectio;*

quae omnes ſanationi vlceris notabiliter obſtare poſſunt, atque nunc ſigillatim veniunt conſiderandae.

## *Vlcera a praua tractatione complicata.*

DCCCLXXVIII. *Tractatio* quaeque, quae de expoſita *therapia juſta* vlceris (DCCXCVI.) *recedit*, vlcus per ſe ſimplex complicatum reddit, aut reddere ſaltem poteſt. Prae aliis effectum nociuum heic edunt deligatio juſta frequentior, rarior; liberior aëris admiſſio; vlceris rudior linteo carpto vel turundis impletio puri

puris deterſio frequentior, rudior; nimia vel inaequabilis compreſſio; irritantium, cauſticorum, acrium, exſiccantium, ſuppurantium, vnguentorum inprimis abuſus; exercitium nimium, nociuum; impeditus puris effluxus; mundities neglecta; vlceris dilatatio neglecta ſub ſitu prauo, humorum accumulationi fauenti, contactus miasma quoddam ad vlcus transferens. Quae omnia tali modo exaſperant vlcus, vt ſanatio retardetur, ſuppuratio copioſa, cruenta vel alio modo peccans naſcatur, ſordities, verminatio, excrescentia inducantur. Vnde patet cauſae nocentis cognitae euitationem atque irritamenti ablationem vel correctionem ad praecauendam et curandam ejusmodi complicationem maxime conducere.

## *Vlcera a vitio partium ſolidarum vlceris complicata.*

DCCCLXXIX. Ex vitiis partium ſolidarum in baſi vel ambitu vlceris oriturae complicationes praecipuae referri poſſunt ad

*a*) *impuritatem*,
*b*) *excreſcentias*,
*c*) *calloſitatem*,
*d*) *putredinem*,
*e*) *dolorem grauiorem*,
*f*) *inſenſilitatem*,

g) *oedema, varices, aliaue ſimilia ad morbum accedentia.*

DCCCLXXX. Vlcera ſequelae vulneris, contuſionis, ambuſtionis, pernionis, vel apoſtematis varii, plerumque a dilatatione, diſſolutione, corruptione, relaxatione vaſorum, fibrarum, in principio morbi aut ſub hujus vberiori decurſu, ſunt *impura;* qui ſtatus

a) aut ſubſiſtente *inflammatione ſuſtinetur*, et methodo antiphlogiſtica, cataplasmate emolliente ac leniſſimo digeſtiuo vlceri impoſito facile cedere ſolet, atque ſuppuratione laudabili inſequente naturae viribus depuratur.

b) aut a *relaxatione* vlceris tunc pallidi, laxi, humidi, parum ſenſibilis inducitur, et tunc remedia leniter irritantia, adſtringentia poſcit.

c) aut denique *vitio* quodam *interno* (DCCC.) vel irritamento externo (DCCCLXXVII.) fauetur vlceris impuritas, cauſae nocentis imminutionem, ablationem, auerſionem poſcens congruam.

DCCCLXXXI. *Excreſcentiae* in vlcere interdum obuiae a peculiari totius corporis vel vlceris ipſius diſpoſitione, deligatione nimis laxa, emollientium et ſuppurantium abuſu, latente oſſis labe,

labe, pure profundius accumulato, corpore alieno latente *oriundae*, aut totum vlceris ambitum comprehendunt, aut ex ſingula ſuperficiei parte, fundo, margine exſurgunt. *Figuram* interdum habent pyriformem, interdum latiori baſi praeditam. Diuiduntur in *benignas* et *malignas*.

*a*) Quae *benignae* ſalutantur, ſubjectis junioribus, vegetis, ſanis maxime frequentes, ſub forma papillularum rubrarum, mollium, inſenſibilium, facile ſanguinem fundentium, interdum pallidarum, mucoſarum, vltra debitas limites propullulant. Hae ſi minores recentes fuerint, deligatione ſicca et compreſſione modica ſatis facile ſupprimuntur; quibus ſi reſiſtant, remediis adſtringentibus, exſiccantibus, ſaccharo, camphora, alumine vſto adſperſo, extracto ſaturni, aqua calcis, phagedaenica aliisque conſumuntur; majores cauſtico lunari, mercurio praeciputato, ſolutione mercurii viui in aqua forti corroduntur, vel cultro ſeu ligatura ſeu calore artificiali admoto auferuntur ad methodum in hyperſarcoſis chirurgia vberius exponendam: ab oſſe vitioſo ortae therapiam ſuo loco exponendam poſcunt.

*b*) *ma-*

*b*) *malignae*, pallidae, plumbei coloris, maxime dolentes, duriorem formant tumorem, interdum in carcinoma facile degénerantem; hae causticis vix tentandae sunt, sed totae exscindendae.

Nouae excrescentiae progerminatio strictiore deligatione et exsiccantium, adstringentium adplicatione, praecipue causae indagatae imminutione, ablatione *praeceditur.*

DCCCLXXXII. Vlcera *dicuntur callosa*, quorum margines duri, eleuati, inuersi, inaequales, parum dolentes, vlceris debitam coarctationem haud admittunt, interdum callosa durities totum vlceris fundum occupat. Callositas vlcerum saepissime ortum ducit ab incuria, sorditie, praua tractatione, abusu remediorum relaxantium, irritantium, impedito puris effluxu; in vlceribus crurum callosis tumores varicosi simul adesse solent a compressis venis vicinis. Therapia absoluitur causarum nocentium euitatione, ablatione; in morbo recenti durities cataplasmate emolliente, emplastro saponaceo, gummoso, mercuriali, vesicatorio calloso margini admoto, leui scarificatione emolliri, resolui potest; grauius malum praemissis cathaereticis emollientia poscit, ad suppurationem promouendam. Callositates durissimae inueteratae poscunt, vbi locus concedit, exstirpationem congruam duritiei totius, ope cultri,

tri, haud neglecta deinde therapia externa indicata. Varices praeterea therapiam desiderant propriam, alio loco exponendam.

DCCCLXXXIII. Vlcera *dijudicantur putrida* a superficie albicante, cinerea, flauescente, nigricante, caerulea, viridescente, sub effluxu ichoris vel saniei foetentis, acris, rodentis, sanguinolentae, fuscae, cujus ope late interdum proserpit putredo. *Ortum* ducunt talia vlcera, vel ab acrimonia quadam humorum interna, aëre impuro, diaeta inconuenienti, cruditatibus in primis viis, immunditie, praua tractatione; ac inde therapiam morbi primarii, ablationem causae nocentis, atque antiseptica indicant. Cortex peruuianus larga manu porrectus haud negligatur; externe aqua calcis cortice peruuiano, vel cortice quercus nupta, puluis carbonum, acida diluta, oleum terebinthinae, digestiua fortiora, myrrha, camphora conducunt. Vsum externum succi citri recenter expressi, vel fructus contusi, in vlceribus putridis, scorbuticis praecipue, mire conducere, ipsi pluries obseruauimus. Cataplasma e farina tritici cum melle et aqua commixta sub fermentatione impositum, ac vaporem e solutione cretae cum oleo vitrioli expulsum, contra morbum hunc mere localem profuisse compertum est. Gangraena propriam medelam poscit exponendam. Vlceris ambitus cerato saturni contra

ichoris

ichoris effluentis acrimoniam muniatur; verminationi autem frequentiori vlceris deligatione, munditie, ſpirituoſorum, amarorum, oleoſorum, ſpecificorum adplicatione occurratur.

DCCCLXXXIV. *Dolor intenſior* vlcera complicans *oritur*

*a*) vel ab *inflammatione* perſiſtente ſub diaeta excitante, nimis lauta, exercitio corporis nimio, ſitu membri iniquo, plethora, cruditatibus in primis viis, et ſimilibus.

*b*) vel ab *irritamento* quouis *externo* (DCCCLXXVII.) praua tractatione, corpore alieno latente, ichore acri vlceris ſuperficiem et ambitum corrodente.

*c*) vel a *partium neruoſarum* valde ſenſilium *laeſione*, *adfectione*, *denudatione*.

Vbi cauſam dolorificam genuinam rite indagare licet, mox indicationibus hujus, juxta regulas artis, eſt ſatisfaciendum ſtrenue; ſurgit attamen interdum in vlcere dolor acutiſſimus, ſanationi pertinaciſſime obſtans, cujus cauſſam nullum examen, licet ſcrupuloſiſſimum, extricat: huic complicationi tutiſſime opponitur interne et externe opium, cujus diuini remedii virtus mira interdum celeritate vlcera olim ob dolorem concomitantem maxime rebellia ad perfectam ſanationem

tionem ducit. Cataplasmata emollientia herbis narcoticis commixta cum vtilitate quoque adhibentur.

DCCCLXXXV. Vlceris *inſenſilitas* a gangraena, relaxatione ſpongioſa ſuperficiei, ſeu induratione calloſa ortum ducens, ad horum ſymptomatum genium *tractanda* eſt. Oedema, varices, ſanguifluxus aliaque vlceribus ſuperuenientia therapiam poſcunt alio loco explicandam.

## *Vlcera ex ſuppurationis vitio complicata.*

DCCCLXXXVI. *Suppuratio* laudabilis, rita, ad ſanationem vlceris neceſſaria quadruplici modo a norma naturae medicatricis *aberrare* poteſt: Puris nempe

*a*) *deprauatione;*

*b*) *copia;*

*c*) *inopia*, et

*d*) *reſorptione.*

Neque vlcus in genere ſanationem admittit, niſi poſt talem complicationem fractam, ſublatam.

DCCCLXXXVII. *Deprauatio puris* vix vnquam ſola adeſt, quin alia etiam vlceris complicatio qualiscunque (DCCCXCVIII.), vel praeſens vel mox adfutura ſit. Praecipue autem varia humorum labes, peculiarium partium adfectio, irritamentum varium, morbus denique ſuperueniens

niens debitam puris crafin ita plerumque mutat, quoad blanditiem, confiftentiam, colorem, odorem, vt fanatio vlceris haud fuccedere poffit. Vnde patet, particularem hujus vitii correctionem indicationi partim expofitae, partim mox explicandae, inniti.

DCCCLXXXVIII. Vlcera, quae *pus nimium* fundunt, funt vt plurimum fequelae vulnerum maximorum, laceratorum, cum jactura fubftantiae notabili, contufionum grauiffimarum, in corpore praefertim debili; abfceffuum profundorum, majorum, partes laxas occupantium; induci quoque poffunt ab irritatione juga, multiplici, externa, interna; rariore deligatione; abufu emollientium cet. Nimium autem humorum in pus tranfitum corpori robur et nutrimentum detrahere, marasmumque et ipfam mortem interdum inducere neceffe eft. Therapia maxime ablationem irritamenti cogniti requirit, deligationem frequentiorem, ftrictiorem, ficcam, fitum partis adfectae eleuatum, remedia leniter adftringentia, tonica, corticem peruuianum, geum vrbanum, aquam calcis viuae, acida diluta, fabinam (?)

riam

riam fundunt, ſanguinolentam ſeu cruore commixtam. Huic ſtatui occurritur ſpongia impoſita, ad figuram vlceris adornata, atque ſolutione concentrata vitrioli coerulei ſaepius humectata.

DCCCLXXXIX. Vlcerum *ſiccitas* a defectu ſeu inopia puris praecipue aeſtimatur: ſub hac affectione vlceris, materia purulenta interdum ad partes internas vel externas deponitur, tumores varios metaſtaticos, apoplexiam, aſthma, aluifluxum, mictum purulentum inducens, vel eadem vlceris in malignum tranſitum ominatur. Vlceris autem ſiccitatem inducit

*a*) *phlogoſis*, dignoſcenda facile a dolore, pruritu, rubore, calore, ortaque et fota irritamento multiplici, regimine prauo, calido, animi pathemate, refrigerio, deligatione ſtrictiori, abuſu remediorum adſtringentium, exſiccantium.

*b*) aut *debilitas* atque *virium* vitalium *labes* cum generalibus debilitatis ſignis, et ipſius vlceris pallore, laxitate junctae, ſurgentes a peculiari habitu corporis, ab alia excretione naturali, praeternaturali nimia, ab abuſu methodi antiphlogiſticae, laxantium, aliorumue deriuan-

riuantium, reuellentium; a diaeta nimis ſtricta, aut penuria victus.

In vtroque caſu cauſae obuiae cognitae occurrendum eſt. Prior inde poſcit irritamenti ablationem, imminutionem, auerſionem, diaetam ſtrictiorem, cataplasmata emollientia, relaxantia: poſterior, diaetam nutrientem, aromaticam, vinoſam, corticem peruuianum, externa leniter ſtimulantia, rubefacientia, cucurbitas, ſcarificationes, digeſtiua fortiora, vt debita vlceris ſuppuratio reſtituatur. Symptomata reſorpti puris ſi adfuerint, contra haec maxime opponendam medicinam ſuadet aegri ſalus.

DCCCXC. *Reſorptionem* puris ex vlcere in maſſam humorum, malum ſemper periculoſiſſimum, *inſtare* cognoſcitur ex cita imminutione puris, conſiſtentia ejusdem vitioſa, decoloratione, foetore, detumeſcentia in ambitu vlceris, hujus flauedine, ſymptomatibusque febrilibus accedentibus. Inter varias *cauſas* hujus reſorptionis principes ſunt: tarda ſuppuratio, diuturnior puris in abſceſſu, vlcere hujusue ſinu ſtagnatio, maximus vlcerationis progreſſus, praeuia violenta contuſio, aegroti debilitas, ſenſilitas, praua diaeta; opiatorum, catharticorum et aliorum medicamentorum internorum, maxime euacuantium, reuellentium, deriuantium, imprudens vſus; major ſanguinis jactura; aër corruptus; adſtringen-

gentium, exſiccantium, ſpirituoſorum intempeſtiua adplicatio; nimia compreſſio; deligatio juſto rarior.

DCCCXCI. *Pus ſanguinem* jam *ſubiiſſe* produnt pulſus variabilis, horrores cum caloribus alternantes, reſpiratio difficilis, dolores vagi, ſiccitas vel ſtillicidium ichoroſum vlceris, depoſitiones metaſtaticae, vrina purulenta, oedema primo in parte adfecta adparens, deinde vniuerſale; febris lenta; diarrhoea colliquatiua et alia ſymptomata ſaepe ſaepius lethalia. Pus reſorptum itaque

*a*) aut vt ſimplex irritamentum agere poteſt, *inducens febrem inflammatoriam* mentientem,

*b*) aut *febrem lentam* colliquatiuam putridam excitat,

*c*) aut denique *metaſtaſes* varias cauſare poteſt.

Reſorptio *praeuertitur* tempeſtiua ablatione cauſae, deligatione laxa, frequenti vlceris, arcendo, quoad res concedit, aëris externi contactum, proliciendo pus per ſpongiam vlceri ſuperimpoſitam, euitatione nocentium exacta, liberum puris effluxum ſuſtinendo. Materia purulenta e contrario jam reſorpta et humoribus admixta, mox tentetur ſumma ope retractatio ejus ad ſedem pri-

priſtinam irritantibus variis in vlceris ſicci chirurgia expoſitis. Diaetam lacteam demulcentem, aquam calcis viuae, aquas Selteranas, vſum ſtrenuum corticis peruuiani, gei vrbani, florum arnicae, acidorum mineralium dilutorum, vires deleterias puris reſorpti frangere eſt compertum. Pus reſorptum niſi per emunctoria idonea vel abſceſſus metaſtaticos ſanationem admittentes, feliciter eliminetur, neque puris ad vlcus reuocatio ſuccedat, poſt longas ſaepe miſerias certiſſime trucidat. Obſeruandum tamen febrem lentam atque tabidam corporis conſumtionem omnino adeſſe poſſe, ſubſiſtente licet ſuppuratione larga, laudabili, a mera jugi humorum jactura debilitante, et inde inducta virium et nutrimenti corporis detractione.

## *Vlcera ex vetuſtate complicata.*

DCCCXCII. Vlcera vetuſta in genere *difficilius* aliis *ſanantur*,

- *a*) quia cauſa morbi adeo ſaepe radicata eſt, vt non niſi cum ſumma difficultate tollatur.
- *b*) quia in ſubjectis vlcera vetuſta portantibus, plerumque adeſt corruptio humorum, a ſuppuratione longa atque reſorptione aliquali deriuanda.

*c*) quia

c) quia effluxus humorum ex vlcere, vetuſtate temporis factus habitualis, vix impune ſupprimitur.

DCCCXCIII. Inter omnia vlcera a vetuſtate complicata, ea, quae *crura* infeſtant, ob crebriorem motum partis adfectae, ſitum decliuiorem atque circulationis difficultatem, omnium ſunt frequentiſſima et maxime rebellia, ſaepe calloſitate atque varicibus juncta; haec ſi diu largeque fluant, in ſenibus et cacochymicis inprimis, in vniuerſum nullo exſiccante vel reprimente remedio ſunt tractanda, quoniam non raro grauiſſima mala, thoracis praecipue, et capitis adfectus, ex imprudenti illorum conſolidatione ortum trahant. Ita quoque fluxus aurium chronicus intempeſtiue ſuppreſſus, ob conſenſum, multis grauiſſimisque morbis anſam dare poteſt, ſicut etiam vlcerum habitualium ſpontanea exſiccatio in ſenibus inſtantem mortem nunciare conſueuit, quoties effluxus, nec ad vlcus artificiale deriuari, nec vlceris exſiccati renouatione, per veſicatorium, cauſticum, inciſionem tentata, reſtitui poſſit; in junioribus vero et euchymis vlcera vetuſta omnino ſanationem admittunt.

DCCCXCIV. Vlcera vetuſta inde ſunt

*a*) vel *ſymptomatica:* alius morbi comites et affectus,

*b*) vel *idiopathica.*

*Indi-*

*Indicatio curatiua* ſymptomaticorum imperat explorationem ſcrupuloſiſſimam genii morboſi, vtrum videlicet hic natales debet, ſiue fouetur a vitio quodam interno, ab acrimonia venerea, ſcorbutica, ſcrophuloſa, rheumatica, rhachitica, biliofa, cancroſa, vel alia, in corpore delitescente: ex hac, vbi adfuerit, detecta, remediisque idoneis deuicta pendet vnice ſanatio vlceris talis rebellis; eſt itaque contra hanc, quod praecipuam medelam in tali caſu opponat chirurgus, deinde facili negotio conſolidaturus vlcus ad indicationes generales. Contra haec, vbi nulla ſigna ominantur de probabilitate talis complicationis praeſentis, tententur ex teſtimonio experientiae, euacuantia, inprimis aluum mouentia: conducunt hunc in finem optime radix jalappae cum nitro, data doſi refracta, quae aluum aliquoties de die ducit; decoctum lignorum, cum illo foliorum ſennae nuptum: conſimiliter conſtat optime heic valuiſſe mercurialia, in ſpecie ſublimatum corroſiuum, et praeparata antimonialia varia, ſub diaeta parca, tenui, maxime in ſubjectis vlceroſis, quorum vitae genus neceſſariam inhibet quietem. Nitri depurati et camphorae frequens vſus a nonnullis laudatus, ſubjectis irritabilibus, plethoricis mire prodeſt, indiſcriminatim autem apud quosque vix cum aequali vtilitate adhibetur.

DCCCXCV.

DCCCXCV. Vlcerum ex vetuſtate complicatorum *chirurgia* maxime verſatur

*a*) in debita *quiete* corporis et partis affectae, qua ſola vlcera maxime rebellia haud raro ſanantur; vnde ſub morbo grauiori, qui aegrotum lecto detinet, ſaepe vlceris vetuſti ſanatio ſuccedit.

*b*) *compreſſione* ſpleniis et faſcia ex linteo vel texto laneo confecta prudenter admota, totius membri inuolutione juſta, tibialibus, ad crus affectum rite accommodatis, modice adſtrictis, ſtriis emplaſtri adhaeſiui totum membrum circumdantibus, vlcus comprimentibus.

*c*) *ſitu* horizontali ſeu eleuato membri, quod vlcus obſidet, qui humorum ad partem adfectam accumulationem impedit.

*d*) *remediis externis* congruis, ſc. calore artificiali admoto, emplaſtris ac balſamis exſiccantibus, ſparadrapis his imbutis, aqua calcis viuae, aqua phagedaenica, oleo tartari per deliquium, foliis recentibus plantaginis, bardanae, nicotianae, mercurialis, floribus zinci, aliisque ad conſtitutionem aegroti ac vlceris indolem eligendis. Laudantur porro ſuccus gaſtricus animalium, carniuo-

niuororum praecipue, infperfio puluerís rhabarbari, radicis columbo, decoctum corticis nucum juglandum, alcali volatile fluor aquá dilutum, moxa in ipfa vlceris fuperficie adufta. Emollientia, relaxantia, pinguia in vniuerfum, nifi dolor et phlogofis vrgeant, vitentur.

e) obferuando *cautelas* circa vlcerum impuritatem, putredinem, excrefcentias, callofitates, dolores, infenfilitatem, oedemata, varices, fuperius (DCCC.) traditas.

f) *deriuando, reuellendo effluxum* humorum habitualem, ad vlcus artificiale excitatum in loco idoneo vicino ad partem adfectam; etenim effectus vlceris vetufti idiopathici in habitum corporis, pendet plerumque magis a quantitate, quam qualitate liquidi emiffi. Interdum tamen vrgentia fymptomata cogunt renouare vlcus confolidatum vetuftum, fi varices, nunc morbi caufa nunc effectus, fanationi obftent; ligaturam venae faphaenae fupra genu inftitutum fub hoc rerum ftatu falutarem fuiffe legimus.

VI

## *Vlcera ex majori ambitu complicata.*

DCCCXCVI. *Ambitus* vlceris inſignis, ob notabiles carnes vel ſaltem tegumenta deperdita, exigit curam longam et taedioſam, adornatam genio vlceris, priusquam firma et tuta cicatrix ſperari queat. Lenta labiorum vlceris, emplaſtri ac defaſciationis ope, adductio, ſanationem valde accelerare poteſt. Quia vero talia vlcera tandem conſolidata propter cicatricis tenuitatem iterum iterumque ſaepe recrudeſcunt, molli ac firmo adparatu haec munienda erit, donec a violentia modica externa non adeo facile laedi queat.

## *Vlcera ex figura complicata.*

DCCCXCVII. Figura vlceris haud exiguum obſtaculum ſanationi opponere poteſt. Obſeruatione conſtat, vlcera rotunda conſolidari ſerius angulatis et reliquis, id quod probe notandum in reſectione tegumentorum neceſſaria ac operationibus chirurgicis variis. Grauem praecipue ſanationi obicem opponunt figura et ambitus internus

a) vlcerum *ſinuoſorum* et

b) *fiſtuloſorum*,

quae ideo nunc ſigillatim veniunt exponenda.

## *Vlcera sinuosa.*

DCCCXCVIII. Vlcera *vocantur sinuosa*, quorum cauitas interna aperturam in cute notabiliter superat. Tale vlcus formatur saepissime in loco laxiore cellulosa praedito ab impedito puris effluxu; ab abscessu, profundiore potissimum, nimis sero et timide aperto; hiatu vlceris externo, foco minori; indole puris ob varias caussas vitiosa; obturaculis externis incongruis, ex linteo carpto seu turundis, quibus pus inclusum ad nouas vias in cellulosam, musculorum interstitia, tendinum, ipsaque caua varia parandas, cogitur. De sinuositate vlceris *ominatur* effusio puris copiosior, quam pro area vlceris externi parua conuenit; aucta ab ambitu presso, quemadmodum exploratio deinde rite instituta secundum regulas in chirurgia vulnerum dicendas, simul *directionem* sinus *declarat*. *Prognosis* vlceris sinuosi sibi relicti anceps est: pus enim difficilius effluens, calore et mora aërisque contactu, dissolutionem atque acredinem rodentem et foetorem contrahens, varias corrosiones pessimaque mala inducere potest; praeterea resorptioni (DCCCLXXXII.) materiae purulentae fauet. Vlcera sinuosa non nimis inueterata, in corpore sano therapia chirurgica attingenda, omnino sanationem admittunt.

DCCCXCIX. Ad *curationem* vlceris ſinuoſi requiritur:

*a*) vt *puri exitus liber* atque ſufficiens, et, ſi fieri poteſt, in loco decliui, *paretur*,

*b*) vt *latera ſinus coaleſcant.*

*Prius* obtinetur ſitu congruo, effluxui puris fauente; deligatione frequente; puris expreſſione, eluendo materiam purulentam injectione cauta, prudenti; extractione puris per ſiphonem; dilatatione vlceris externi; compreſſione partis foci decliuioris vlceris ſinuoſi, ſpleniis, linteo carpto et faſciae expulſiuae modice adſtrictae ope paranda fundum ſinus coarctante; inciſione ad regionem decliuem fundi ſinus juxta methodum exponendam inſtituenda, ſetaceique transjectione debita (DCCII.); totius vlceris ſinuoſi ſuperficialis ſubcutanei transſciſſione; quae omnia ad peculiares conditiones ipſius vlceris, partium vicinarum et cicatricis ſecuturae adornanda erunt. Pure libere effluente, coalitus laterum vlceris ſinuoſi ſibi contiguorum, in corpore alias ſano absque vllo alio artificio ſuccedit, interdum tamen requiritur, vt phlogoſis in ſuperficie vlceris interioris excitetur per ſtimulum congruum, quo coalitus deinde eo facilius ſuccedat. Huic ſcopo ſetaceum dictum, lente imminuendum, optime inſeruit; cauſtica vero varia a multis laudata prouidiſſime adhibeantur. Vlcera ſinuoſa, aliis compli-

plicationibus variis juncta, harum ſpecialem therapiam, cum jam dicta combinandam, ſimul requirunt. Sinu ſanato vlcus remanens inſtar vlceris ſimplicis tractatur.

## *Vlcera fiſtuloſa.*

DCCCC. Vlcus fiſtuloſum *eſt* vlcus, plus minus profundum, externo foramine anguſto praeditum, calloſum, figura tubam ſeu fiſtulam referens. In omni vlcere vere fiſtuloſo quadruplex ad minimum adeſt *complicatio*, *vetuſtas* nimirum, *figura* ſanationi obſtans, *ſuperficies* interna *calloſa*, et *ſuppuratio vitioſa* ſeu effluxus liquidi a benigno pure degeneris. Vnde patet: quatenus fiſtula cum vlcere ſinuoſo conueniat, quatenus ab eodem differat. Vlcera fiſtuloſa praeterea in vniuerſum easdem patiuntur complicationes ex variis nocentibus internis et externis, quibus exponuntur, quam reliqua vlcera, et inde praeter ſpecialem fiſtularum therapiam indicationes curatiuas talibus adornandas offerunt. Quae autem de ſimpliciſſimo et peſſimo vlcerum fiſtuloſorum genere monenda ſunt, commode comprehenduntur ſub pertractatione

*a)* fiſtulae *ſimplicis* a nullo alio morbo ſtipatae, et

*b)* *complicatae*, quae ab alio ſimul morbo vel diſſolutione inducitur, alitur, fouetur.

*Fiſtu-*

## *Fiſtula ſimplex.*

DCCCCI. Fiſtula ſeu vlcus fiſtuloſum ſimplex genuinum *dignoſcitur* ab anguſto foramine cutis, ducente in canalem ampliorem, tubuloſum, in celluloſa deliteſcentem, oſtioque et ſuperficie fiſtulae fere ſemper calloſis, nec non ſtillicidio puris ichoroſi, copioſioris, quam quod pro anguſtia vlceri ſimplici conuenit, vna cum totius vlceris vetuſtate, atque complicatione, quae mere pendet a figura ac impedito liquidi purulenti effluxu.

DCCCCII. Quae fiſtulam ſimplicem inducunt *cauſae* ſolemnes ſunt, apoſtema neglectum, remediis acribus vexatum, vel intempeſtiue turundis, pannis, faſciis compreſſum, externi vlceris anguſtia, puris effluxus impeditus, quae omnia eo facilius fiſtulam inducunt, quo laxior habitus corporis eſt et celluloſa propinquior vlceri. Fiſtulae *directio* aut recta, aut curua, aut tortuoſa, aut ex his compoſita eſſe poteſt. Quod ſi in celluloſa infra cutem ſuperficialis ſerpat fiſtula, durities extus palpabilis, dolens eſt: ſi profundius migret, cauta exploratione ſtyli communis aut flexilis ope, ſub vario partis ſitu, ad varias directiones inſtituenda; injectione; puris vel liquidi injecti expreſſione, compreſſo fiſtulae ambitu cognoſcitur. *Calloſitates* in fiſtulis ſemper fere obuiae non morbum ſed ſymptoma

ab

ab impedito effluxu puris, tractatione vlceris incongrua, aut a liquidi effluentis acrioris irritatione perenni oriundum constituunt. *Symptomata* communia, quae ex fistula simplici in corpus redundant, sunt functio partis adfectae magis vel minus laesa, virium ac nutrimenti corporis relatiue ad effluens liquidum detractio, humoris purulenti aliqualis resorptio, interdum, licet raro, instar vlceris vetusti seu fonticuli salutarem effectum edit fistula simplex.

DCCCCIII. Fistulae simplicis *chirurgia* versatur

*a*) in *causarum* nocentium (DCCCCII.) *euitatione*, *imminutione*, *ablatione*.

*b*) transformatione totius fistulae in talem, quae *liberum puri* largitur *effluxum*; peragenda

*aa*) vel *orificii exterioris dilatatione* congrua, cauta, efficienda per spongiam compressam siccam siue ceratam.

*bb*) vel, si directio fistulae profundior, *incisione totius in formam coni*, cujus vertex fnndum fistulae, basis autem vulnus externum respiciat.

*cc*) vel *totius canalis* subcutanei *transcissione*.

*dd*)

*dd*) vel *apertura* partium ſuper fundum fiſtulae, penetrante ab extus *in fundum fiſtulae* ipſum. Talis paratur per pharyngotomum, aut acum triquetram curuatam, aut inciſione integumentorum, directa verſus extremitatem ſpecilli in fundum fiſtulae introducti, et extus percipiendi.

*ee*) vel denique trajectione ſetacei (DCCII.) lente deinde minuendi.

Reſtitutus liber puris effluxus ſaepiſſime ad ſoluendum calloſum ſufficit; vix vnquam ſcarificationes profundiores, fiſtulam exſcindendam totam, vel cauſticorum vſum jubet neceſſitas; quin potius fiſtula ſimplex ſub leni ſuppurantium adplicatione, ac molli lenique deligatione, plerumque ſatis facile ad ſanationem deducatur. Niſi ſanatio breui ſuccedat, interdum ad irritantem injectionem, vel vnam alteramue turundae cauſticae introductionem, pro excitanda phlogoſi fiſtulae, et ſequentem compreſſionem fundi vlceris fiſtuloſi congruam recurrendum eſt. Injectionem aquae feruidae ſcopo irritationis in canalem fiſtuloſum proficuum fuiſſe obſeruauimus.

*Fiſtu-*

## *Fiſtula complicata.*

DCCCCIV. Fiſtulae complicatae praeter figuram prauam, ac effluxum liquidi impeditum, *complicantur* adhuc cum alio morbo vel laeſione, quibus ſanatio impeditur, atque vlcus fiſtuloſum refractarium euadit. Ortum autem ducunt tales complicationes

*a*) vel ab *acrimonia* quadam *interna* (DCCC.)

*b*) vel a *vitio* quodam *externo* (DCCCLXXIV.)

*c*) vel a *laeſione partium*, ſuppurationem ſiue *coalitum aegrius admittentium*, quales ſunt oſſa, cartilagines, membranae, cet.

*d*) vel a *communicatione* vlceris *cum cauo* quodam, *vaſe*, *receptaculo* liquidum alienum ſtillante.

Priores partim antea ſunt expoſitae, partim ſub alio capite pertractabuntur Poſterior jam venit conſideranda. Principaliores autem, quas ſub ſe comprehendit, ſunt:

*a*) fiſtula *corneae;*

*b*) fiſtula *lacrymalis* cum peruiis viis lacrymalibus;

*c*) fiſtula *ſaliualis;*

*d*) fiſtula *thoracica;*

*e*) fiſtula *bilioſa;*

*f*) fiſtula *ſtercorea;*

*g*) fi-

g) fiſtula *ani;* ac

h) fiſtula *vrinaria;*

quae jam ſigillatim veniunt exponendae.

## *Fiſtula corneae.*

DCCCCV. Fiſtula corneae e ſignis vlceris fiſtuloſi generalibus in tunica cornea obuiis *cognoſcitur.* Eſt autem

a) vel *completa*, vtramque tunicae ſuperficiem perforans;

b) vel *incompleta* interna ſeu externa, in alterutra ſolummodo aperturam habens.

Inter lamellas vero ſerpens vtraque vel vnum vel pluſculos canaliculos formare poteſt.

DCCCCVI. *Cauſae* ſolemnes hujus fiſtulae ſunt ophthalmiae grauiores, metaſtaſes, vngues (DCCLI.), hypopyon (DCCLV.), medicamenta topica acria, ſeptica, vulnera corneam penetrantia, operationes chirurgicae, habitus ſcrophuloſus, venereus cet.

DCCCCVII. Stipatur malum a variis *ſymptomatibus*, ſcilicet effluxu liquoris aquei, ichoroſi; degeneratione ſplendoris diaphani, in colorem album vel ex albo flaueſcentem, opacum circa fiſtulam et ad tractum cuniculorum; viſu deprauato, imminuto, abolito, pro ſede morbi diuerſa, reſpectiue ad pupillam. Si completa adeſt

adest fistula, humor aqueus pedetentim vel cum saltu prodit ab oculo aperto, mox a quo agitetur motu naturali, siue prematur digito; vnde visus perditur, donec nouus humor aqueus sufficiens congestus fuerit. Interdum fistula incompleta interna jungitur speciei staphylomatis, laminis corneae externis integris in vesicularum formam eleuatis. Quodsi fistula corneae aëri libero manserit exposita, cornea in totum opaca euadit; si fistula sit completa, iris et capsula lentis crystallinae cum cornea coalescunt, humores oculi omnes inquinantur, totus denique bulbus corroditur atque destruitur. *Prognosis* fistulae corneae, praecipue complicatae, est valde illaetabilis, quippe quae saepe saepius jacturam immedicabilem visus inducit; quo magis inueteratum est malum, quo major dissolutio corneae, opacitas, obtectio pupillae, complicatio fistulae cum alio morbo, eo minor spes affulget sanationi: attamen si a principio morbi tempestiua adhibeatur medela, sanationem non excludit morbus.

DCCCCVIII. Quoad *curationem*, haec fistula indicat sub stadio inflammatorio auxilia antiphlogistica, strenue in vsum vocanda, semper autem diuturnam humorum ab oculo laeso deriuationem; ipsius oculi atque orificii fistulosi elutionem; cuniculi fistulosi seu plurium, vbi

ad-

adsunt, dilatationem externam, acu plana ancipite, breui tenuique apice instructa, instituendam; adplicationem discutientium blandorum, detergentium, et balsamicorum, ope instillationis, penicilli, styli, injectionis, cum maxima tamen cautela vitando, ne nimiam irritationem patiatur bulbus, nec acria in oculi cameram intromittantur: absolutissimam vtriusque oculi quietem, situm resupinum; deligationem sedulam continuandam ad consolidationem vlceris vsque. Ex vlcere corneae sanato leue vel nullum saepe remanere solet vestigium cicatricis; quod si vero remanserit cicatrix opaca, attamen a naturae viribus, medicina detergente, blanda, externa, adjutis, in subjectis junioribus praecipue, sperari potest totalis vel notabilis saltem pelluciditatis restitutio; conuenit adeoque heic therapia in pertractatione macularum corneae vberius exponenda.

## *Fistula lacrymalis.*

DCCCCIX. Fistula lacrymalis *sensu latiore dicitur* omnis morbus canthi oculi interni vel nasi, impediens descensum lacrymarum ex oculo in nares. *Sensu strictiore* est vlcus fistulosum cum stillicidio lacrymarum ex apertura praeternaturali. Morbi causa quidem plerumque posita est in qualicunque imperuiatione, inertia, debilitate, viarum

rum lacrymalium; interdum tamen partibus lacrymas ducentibus, ab abſceſſu phlegmonoſo genuino, vel metaſtatico, lente eroſis, effluxus lacrymarum ex vlcere fiſtuloſo induci poteſt. Vltimae ſpecies omnino quidem ad fiſtulas referendae ſunt; attamen quum frequentiſſimus mali fons ab impedito tranſitu lacrymarum ortum ducat, ſatius putamus totam pertractationem ad hanc morborum claſſem differre, vt ſub vnico conſpectu veniat totus ambitus morbi, gradu, ſpecie ac complicatione diuerſiſſimi.

## *Fiſtula ſaliualis.*

DCCCCX. Fiſtula ſaliualis, vulneris aut apoſtematis ſequela vel effectus, *eſt* vlcus fiſtuloſum genae, cum ſtillicidio ſaliuae, maxime ſub motu maxillae, exortum a diſſolutione qualicunque totali, partiali, ductus Stenoniani vel ipſius glandulae parotidis, qui morbus praeter turpem atque incommodum ſaliuae effluxum ſub maſticatione ac loquela, poteſt *ciere* labem virium digeſtiuarum, ac denique emaciationem atque debilitatem totius corporis a jactura liquidi ſalutaris. Ad *ſanandum* malum praeſens vires naturae vix vnquam ſufficiunt, ſed artis auxiliis ſimul opus eſt. Fiſtula tamen vulneris ſequela ſaepe *auerti* poteſt ad methodum in vulnerum genarum chirurgia exponendam. Fiſtula ortum du-

ducens a laeſione glandulae ſaliualis in vniuerſum facilius ſanationem admittit ea, quae a diſſolutione ductus oritur. *Therapia* ipſius fiſtulae ſaliualis variat, prout

*a*) vel *glandula*,

*b*) vel *ductus* laeſus ſaliuam fundat.

In priori caſu vlcus fiſtuloſum ante et infra aurem, in poſteriori ad genam adeſt.

DCCCCXI. *Glandula* parotis a parotide ſuppurata, metaſtatica, critica, (DCCLXIII.) vel vulnere laeſa, ſaliuam fundens ſimplici compreſſione rite inſtituta, firma, continenti, ad ſolum fiſtulae ambitum limitata, ſub mandibulae quiete vt plurimum absque majori incommodo *ſanatur.* Ipſa *compreſſio* fieri quidem poteſt, ope glomeris firmioris, e ſubere ſeu linteo carpto confecti, ad locum indicatum firmandi emplaſtro adhaeſiuo, ſpleniis gradatim majoribus ac faſcia circulari maxillae motum ſimul prohibente; ſecurius tamen atque conſtantius inſtrumento compreſſorio hunc in finem compoſito vel elatere idoneo perficitur. Eadem compreſſio vix ductui ſaliuali laeſo conuenit, quippe quae vix fiſtulae aperturam obturat absque ipſius ductus coarctatione, vnde tumor glandulae parotidis primo oedematoſus, deinde inflammatorius, inſurgit, non niſi ablatione preſſionis reſoluendus, forſan tamen

men compressione congrua glandulae totius avertendus. Compressio vero sub masticatione instrumenti idonei ope instituta, jacturam saliuae impediendo cum vtilitatis specie adhibetur.

DCCCCXII. *Therapia fistulae ductus* Stenoniani molitur

*a*) *restitutionem ostii naturalis* in oris cauitatem; vel, si hoc fieri nequit,

*b*) *nouam viam parare*, et

*c*) denique *vlceris externi consolidationem* requirit.

DCCCCXIII. *Restitutio viae natiuae* in caueam oris indicatur, vbi dissolutio ductus fuerit partialis ac recenter facta, prope oris cauitatem sita, ac, vbi ostium ductus Stenoniani in ore exploratur peruium. Cognoscitur hoc a liquido per fistulam in ductum injecto, penetrante in ipsam cauitatem oris, aut stylo tenuiori exploratorio et hujus ope filo per fistulam et ostium, trajiciendo libere in os, aut denique eodem stylo ex ore per ostium ductumque ad fistulam vsque introducendo; quod tamen ob aperturam valuulosam, inflexam difficulter succedit. Via naturali peruia, ab admoto lapide infernali, crusta fistulam externam obtegens induci, atque sub deligatione sicca et leni compressione radicalis saepe sanatio exspectari potest. Si autem fistula inueterata

terata fuerit, prope glandulam sita, ob ductus corrugationem, coarctationem, conglutinationem, coalitum, haecce medendi ratio rarius succedit.

DCCCCXIV. *Nouus saliuae paratur exitus* perforatione genae internae ad extremitatem ductus, e quo saliua effluit, ope paracenterii minoris, oblique ad anteriora et inferiora directi, atque intrusi ad digitum operantis immissum cauitati oris, pro auertenda laesione gingiuae atque linguae sub operatione: alii perforationem ferri candentis ope, ob difficiliorem vulneris sanationem, praeferunt. Per factam aperturam filum ductus crassitiem aequans, vel paullum superans, trajicitur, et primo digestiuo, deinde exsiccante, remedio imbutum, quotidie mouetur, vsque ad absentiam plenariam ac certam omnis purulentiae. Alii promtiorem effectum ab inductione cannulae conicae, aureae vel auro obductae, cum apice nodoso et extremitate externa oblique truncata, quo eo facilius saliuam recipere possit, sperant, quae cannula sanato vlcere externo relinquitur, et denique post menses, quin annos interdum, in oris cauum delabitur.

DCCCCXV. Restituta saliuae via *vlcus externum* pro re nata remediis exsiccantibus, causticis, lenissima compressione ipsum ductum haud coarctante sub absoluta maxillae quiete ac masticatio-

nis atque loquelae cautiſſima euitatione ad *ſanationem ducitur.* Calloſitates, excreſcentiae, cicatrices antiquiores ſanationi praeſentis fiſtulae obſtantes, contra mitiora remedia rebelles, cultro auferantur prouide, et vlcus externum mutetur in vulnus oblongum emplaſtri, quin ſuturae ope, deinde reuniendum. Cauſtica actualia prudenter admota viſa ſunt contra ſimiles complicationes heic valuiſſe. Neque therapia interna indicata negligatur, cujus neceſſitas tanto magis ſuſpicanda eſt, quoties a cauſa interna obortum fuerit malum. Interdum dens carioſus mali fontem praebet, euellendus. Experimenta in animalibus inſtituta docuerunt ductum Stenonianum impune ligari poſſe, tumorem quidem glandulae ſequi, lente tamen diſſipandum, neque ſub maſticatione diutius protracta ſaliuae notabilem diminutionem ſequi. Hanc medendi rationem, ſi alia mitiora remedia ad ſanandam fiſtulam haud ſufficiant, in hominibus quoque tentari poſſe videtur.

## Fiſtula gingiuae.

DCCCCXVI. *Fiſtula gingiuae* ad maxillam ſuperiorem, dentes inciſiuos et bicuſpidatos frequentius occurrit, rarius ad dentes molares, et inciſiuos inferiores; varios interdum ductus format, ad dentes vicinos, maxillam, cauum alueolare,

ueolare, cutem externam, ſinum maxillarem extenſos, a ſenſu doloris et duritiei, effluxu puris a preſſione vicina, ſignis dentis adfecti, et exploratione denique ſpecilli ope dijudicandos. *Cauſam* ſolemnem praebent dentis carioſa adfectio, aut radicis, aut coronae ſeu caui, aut fruſti in alueolo relicti ſparſim gingiua obtecti, ex ſignis propriis, in cariei chirurgia tradendis, indagandum. Rarius abſceſſus gingiuae (DCCLIX.) haud tempeſtiue apertus cariem maxillae ac fiſtulam inducit, dentibus haud adfectis.

DCCCCXVII. *Therapia* fiſtulae gingiualis verſatur in tempeſtiua dentis adfecti ſeu radicis extractione, qua facta fiſtula vt plurimum ſponte conſolidatur; ſin minus aut caries oſſis maxillaris adeſt, ſpecilli ope indaganda propriam medelam poſcens, aut alius dens ſparſim a fiſtula remotior, fontem mali praebet, deinde quoque extrahendus. Interdum malum haud increſcens per plures annos impune ſubſiſtit.

## *Fiſtula thoracica.*

DCCCCXVIII. *Fiſtula thoracica* a communibus cauſis fiſtulam ſimplicem (DCCCC.) vel complicatam (DCCCCIV.) inducentibus *exorta*

*a*) vel in *partibus continentibus* thoracis *ſubſiſtit;*

b) vel in *cauitatem* thoracis ipſam *penetrat*;

c) vel denique *ad partes* thorace *contentas extenditur.*

*Prior* generalem *therapiam* fiſtularum in omnibus ſequitur. *Poſteriores*, vulneris in thoracem penetrantis, vomicae ruptae, empyematis ſequelae, ſcrupuloſiſſimam attentionem requirunt, ne ſalutaris liquidi purulenti effluxus, arte male ſedula ſuppreſſus grauiſſima mala a retento ac incluſo pure inducat. Talia vlcera inde cannula confecta e reſina elaſtica, ſeu argentea vel alia metallica emplaſtro ſupra linteum extenſo obducta ſeu turunda molliori ſeruentur aperta, tanto magis ſollicite, quo antiquius eſt malum, quo major partium internarum laeſio eſt ſuſpicanda, vlceris therapia conuenienti interea haud neglecta. E fiſtula pericardii liquorem purulentum per complures annos ſtillaſſe vidimus. Reliqua tractatio ei ſimilis, quae in chirurgia vulnerum penetrantium thoracis pertractabitur.

## Fiſtula bilioſa.

DCCCCXIX. *Fiſtula bilioſa* ex vlcere fiſtuloſo externo bilem fundens, vulneris vel apoſtematis phlegmonoſi ſeu metaſtatici ſequela a ſoluta receptaculi aut ductus bilioſi integritate *inducitur* et coalitum partis internae laeſae cum externo

vlcere

vlcere praeſupponit; interdum a calculo bilioſo ſuſtinetur. Sub therapia prouide cauendum, ne ſalutaris concretio cum peritonaeo diſſoluatur, atque ſic effuſioni periculoſiſſimae bilis in abdomine via ſternatur. Calculi biliaris indagatio et cura ſuo loco explicabuntur.

## *Fiſtula ſtercorea.*

DCCCCXX. Fiſtula ſtercorea *eſt* vlcus inueteratum abdominis, e quo excrementa egrediuntur. Tales fiſtulae vulneris, abſceſſus, herniae, paſſionis illiacae, prolapſus, vermium *ſequelae* et *effectus* ſunt

*a*) aut *paruae*, absque via naturali excrementitia imperuia, quae ſenſu ſtrictiori fiſtulae ſalutari ſolent;

*b*) aut *majores* cum inferioris inteſtini coarctatione, coalitione ſeu alia obturatione.

Priores parcam materiae excrementitiae quantitatem vehunt; poſteriores totam maſſam excrementorum ejiciunt; hic ſtatus inde *anus artificialis* appellari conſueuit. Illae ſaepiſſime ſanantur ſatis facile, miniſterio quietis, clysmatum, diaetae, compreſſionis externae per ſplenia graduata ſeu bracheria commoda, non ſimul et ſemel, ſed ſucceſſiue, caute et modice ſtringendae, quo minus alias materia excrementitia, in canali fiſtu-

loſo

loſo coaceruata, rumpat mole ſua nexum inteſtini cum peritonaeo, et data porta in abdomen irruat, cum malis aegroti rebus. Interdum tamen effuſio excrementorum in tela celluloſa intermuſculari ſeu ſubcutanea, externam vlceris dilatationem congruam deſiderat, reliqua fiſtularum therapia haud neglecta. De ano artificiali agetur in chirurgia vulnerum ac herniarum.

## *Fiſtula ani.*

DCCCCXXI. Fiſtula ani in genere *dicitur* vlcus fiſtuloſum quodque in vicinia ani, nunc prope ani marginem, nunc majori de illo diſtantia obuium. Genetrices talis *cauſae* ſunt abſceſſus phlegmonoſi, critici, furunculi, anthraces, condylomata, tumoresque haemorrhoidales ſuppurati, a quouis irritamento, violentia externa, equitatione, corpore alieno, faecibus accumulatis, calculis inteſtinalibus, congeſtionibus, depoſitionibus variis, exorti, aucti; ſaepiſſime vero non ſatis patula eorundem tumorum ruptura vel inſufficiens in loco minus decliui inciſio, purisque impeditus inde effluxus, praua denique vlceris tractatio (DCCCLXXVII.) et corporum peregrinorum neglecta extractio. Notandum tamen, ne per debitam quidem medicationem atque inciſionem tempeſtiuam et ritam abſceſſus in vicinia ani tractationem poſſe auerti fiſtulam, quoties inteſtinum

teſtinum jam denudatum vel adfectum fuerit, quin potius, hoc per congruam explorationem indagato, ad inciſionem ipſius inteſtini recti mox dicendam recurrendum eſt.

DCCCCXXII. Variae autem dantur fiſtularum ani *ſpecies*; ſunt enim

*a*) vel *ſimplices*, a nullis alienis aut grauibus ſymptomatibus ſtipatae, ab vlceribus ſimplicibus fiſtuloſis vix diſcrepantes;

*b*) vel *complicatae*, cum alio adhuc ſymptomate grauiori, morbo vel laeſione partium vicinarum junctae.

DCCCCXXIII. Fiſtulae ani ſimplices porro ſunt

*a*) vel *completae*,

*b*) vel *incompletae*: hae iterum

*aa*) *externae*, vel

*bb*) *internae*.

*Noſcitur fiſtula completa*, cujus apertura non extus ſolum, verum etiam in recto inteſtino hiat, e cauſa praegreſſa, puris ichoroſi ſtercorei per vtramque aperturam effluxu, flatus e fiſtula egreſſu, reditu liquidi ab extus in fiſtulam injecti per anum, certiſſime autem ſtylo exploratorio ſecundum regulas artis traducto per aperturam fiſtulae externam in inteſtinum, et ad digitum indicem explorantis in anum

anum inductum. Quae ſpecilli inductio, vt apertura interior inueniatur, ſparſim ardua eſt atque difficilis, cum exigua ſaepe ſit, nunc prope ani marginem obuia, nunc adeo alte ſita, vt digito in anum immiſſo attingi haud queat; nunc mediam partem tenet partis inteſtinalis celluloſa orbatae, nunc ambitum. Cum anguſta ductus fiſtuloſi via a digito in anum immiſſo ſaepe comprimatur aut alium directionem adſumere poſſit, praeſtat primo ſpecillum ſub debitis cautelis per fiſtulam immittere et deinde digito in anum, ſpecialem fiſtulae ſitum indagare. *Fiſtulam incompletam externam*, extus nimirum hiantem et ad inteſtinum clauſam, *declarant* ſigna fiſtularum communia (DCCCCI.) ac inteſtini recti integritas ſtylo digitoque explorata, et ab indole effluentium comprobata. Interdum fiſtula prope ani marginem ſita inter ipſas inteſtini tunicas altius adſcendit, ſub quo ſtatu ſtylus in ductum fiſtuloſum immiſſus indice per anum inducto, per totam longitudinem ſentiri poteſt. *Fiſtulae incompletae internae* non niſi in inteſtinum patulae *indicia* ſunt ſigna abſceſſus praegreſſa, effluxus puris ex ano vel abſque alui ſolutione, vel excrementa antecedens, vel ſimul ſequens haud vero his intermiſtus, raro poſt eadem prorumpens, vt plurimum ſub duritie aliqua in inteſtino, ſaepiſſime etiam extus ſimul, ſentienda ac dolo-

dolorifica, vna cum cutis externae quadam decoloratione. Reliqua, quot commendantur, experimenta ad detegendam fiſtulam ani internam, qualia ſunt: ſtyli curuati per vlcus internum inductio, aut obturatio aperturae vlceris, quo externe percipi poſſit fluctuatio, difficilia atque minus ſecura merito habentur.

DCCCCXXIV. Fiſtula ani *complicatur*,

a) vbi *altior adſcendit canalis* fiſtuloſus, quam qui ab explorante in ano digito attingi poteſt.

b) vbi *plures cuniculi* extus, vel, quod rarius accidit, ſimul intus vel vtrinque hiant.

c) vbi *ſinus major* ſub cute, ſeu totus inferior ambitus inteſtinalis celluloſa deſtituta eſt.

d) vbi *induratio* late per partes vicinas extenditur.

e) vbi *corpora* quaeuis *aliena* in fiſtula latent.

f) vbi *partes vicinae* os coccygis, os ſacrum, veſica vrinaria, vrethra, proſtata, vagina vteri ſimul *adfectae* ſunt; vtpote morbi nunc fiſtulae ani cauſae, nunc effectus. Fiſtula vrinaria, in ani vicinia obuia, a liquidi effluentis indole

dole dijudicanda, incautis fiſtulam ani mentiri poteſt.

g) vbi denique prauus corporis habitus morbum fouet.

DCCCCXXV. Vnde patet: *prognoſin* fiſtularum ani fluere ex diuerſa earum ſpecie et complicatione. Auerti poteſt malum rita, congrua et tempeſtiua cauſarum morbum inducentium (DCCCCXXI.) euitatione, imminutione, ablatione. Simplex fiſtula ani debite tractata breui ſanationem admittit: incongruis remediis vexata refractaria euadit, grauiſſimisque malis viam ſternit. Complicata morbi accedentis rationem ſequitur. In phthiſicis raro operatio ſuccedit, aut, ſi ſanetur fiſtula, morbus primarius grauior euadit.

DCCCCXXVI. Pro fiſtularum diuerſitate *curationem* differre facile intelligitur; dum alia, ſimplici completae, alia incompletae externae, alia incompletae internae, alia denique complicatae conuenit.

DCCCCXXVII. *Tractatio* fiſtulae ani *ſimplicis completae* multiplici modo tentata fuit. *Turundae medicatrices*, *ſetaceum*, *cauſtica*, *totius* denique *canalis* fiſtuloſi *exciſio* circa ſtylum flexilem per totam fiſtulam ductum in formam anſae deinde recuruatum. et ſub exciſione arreptum; mul-

multis commendata, interdum quidem morbum (aliaquae) ſuſtulerunt, ſaepiſſime tamen fruſtra tentata, dolores absque neceſſitate per has aucti, variae complicationes, inflammationes, ſuppurationes graues, ſubſequentesque incontinentiae vel coarctationes ani inductae fuerunt. Inde a recentioribus chirurgis merito rejiciuntur. Operatio fiſtulae ani in vniuerſum molitur totius canalis fiſtuloſi de apertura interiori ad exteriorem vsque plenariam diuiſionem; ſi apertura inteſtinalis intacta relinquatur, ſanatio haud ſuccedit. Mitior vero haec certiorque medendi ratio perficitur

*a*) aut *ligatura*,

*b*) aut *inciſione.*

DCCCCXXVIII. Pro *ligatura* fiſtulae ani nonnullis laudatur filum aureum vel plumbeum, apice nodato, ſtyli exploratorii craſſitiei. Cum vero talia fila ſaepe ſint fragilia, et, ſiue circumuolutione, ſiue per tubum idoneum conſtringantur, ſemper aegrotis ſint incommoda et haud raro nociua, merito praeferendus erit funiculus ſericeus ſeu canabinus, pro ligatura fiſtulae ani inſtituenda. Sequenti vero modo inſtituitur. Tractu fiſtuloſo rite indagato, orificio externo, ſi minimum fuerit, ſpongia ſeu inciſione in anteceſſum dilatato, et inteſtinis laxante et enemate expurgatis, aegrotus pedibus inſiſtens, trunco ad

ad anteriora supra mensam firmam vel lectum inclinato, tali modo collocatur, vt rite in conspectum veniat pars adfecta. Diductis tunc ab adjuuante natibus, chorda firmior, vel cereus, vel stylus flexilis, cui altero extremo funiculus adfixus est, ab apertura fistulae externa per canalem fistulosum totum et aperturam interiorem in intestinum dirigitur et, quantum res concedit, propellitur. Indice alterins manus chirurgi tunc in anum immisso, chorda seu stylus cbuius reflectitur, vt ope tenaculi idonei, seu styli firmioris in vnci figuram curuati ex ano educi queat. Si perductio chordae per aperturam interiorem haud succedat, ope paracenterii ad directionem fistulae plus minus curuati, intestinum supra fistulam quoque perforari, et chorda satis commode transmitti poterit. Filum tunc mediante chorda vel cereo ex ano educitur, totum canalem fistulosum cum interjecta parte excipiens. Si orificium fistulae internum, per quod chorda vel cereus propulsus est, nec digito attingi, nec corpus inductum tenaculo vel vnco extrahi possit, sub effectu enematis injecti sponte interdum educi poterit. Extrema tunc fili nodo mobili leniter vsque ad leuioris doloris excitationem constringuntur; quae constrictio si laxior euadat, ligatura quouis die vel biduo leniter augenda erit vsque ad totius fistulae totalem transcissionem. Strictura

vero

vero adeo lenta atque lenis ſit, vt nec dolor grauior nec inflammatio accedat, vtpote ſanationi mire obſtantes. Rima ad marginem ani remanens, delapſo filo, quam leniſſime ſtria tenui lintei cerato obducta impletur, ne pars exterior intempeſtiue occludatur.

DCCCCXXIX. Dicta fiſtulam ani ligaturae ope ſanandi ratio in multis grauibusque et complicatis caſibus optatum effectum praeſtitit. Praecipue vero *conducit*, ſi fiſtula altius adſcendat, vt digito in anum immiſſo attingi haud queat; ſi aegroti meticuloſi ferrum recuſent; et ſi ſuſpicio haemorrhagiae ſubſequentis adfuerit, haud facile compeſcendae. Longior tamen tractatio eſſe ſolet, neque vnica ligatura plures cuniculos attingit.

DCCCCXXX. Altera fiſtulae ani medendi ratio ligaturae omnino praeferenda perſicitur *inciſione.* Aegroto atque chirurgo commode ſito ſcalpellum tenue, inſtructum nodulo ad apicem, vel ſtylo obtuſo terminatum, manubrio tamen firmo immobili praeditum, prehenſum vna manu chirurgi dirigitur, ab apertura fiſtulae externa per canalem fiſtuloſum totum et aperturam fiſtulae interiorem. Si inteſtinum ſupra aperturam fiſtulae interiorem exploratione facta, celluloſa orbatum deprehendatur, praeſtat nodulum inſtrumenti ſupra fiſtulam per ipſum inteſtinum pro-

tru-

trudere, ita vt chirurgus digito indice alterius manus in anum inducto ſcalpelli nodum excipiat; totum deinde cultrum vtraque manu figat, lente extrahat, et canalem fiſtuloſum, vna cum interjecta parte inteſtini et marginis ani tranſcindat. Si inteſtinum ſupra fiſtulam interiorem perforetur, ita dirigatur ſequens inciſio, vt apertura fiſtuloſa ſimul diuidatur, ſi forte intacta relinquitur, operatio ſucceſſu carebit. Culter tamen incuruatus in fiſtuloſum ductum recta linea altius adſcendentem, aut apertura externa prope ani marginem ſita, difficillime immittitur. Si altior adſendat fiſtula, partes haud debita ſectione diuiduntur, ſed attractione cultri potius lacerantur; inde vulnus quodammodo complicatum inducitur; neque altiores fiſtulas attingit.

DCCCCXXXI. Plurimis hiſce incommodis carere videtur operationis *modus antea vſitatus*, et nuper *emendatus*. Conductor ligneus, illi quo in lithotomia vtimur quodammodo ſimilis, extremo rotundato, manubrio extrorſum inflexo, ſulco verſus fiſtulam directo in inteſtinum rectum, oleo imbutus immittitur; ſpecillum ſulcatum apice aperto, per fiſtulam aut ſupra eam ad ſulcum conductoris tunc inducitur, et tranſciſſio denique cultri tenuis longioris ope, ad ſpecilli ſulcum cum facilitate et ſecuritate inſtituitur; quae medendi ratio in illis quoque fiſtulis conuenit,

quae

quae prope ani marginem aut inter inteſtini tunicas, aut extra eas proſerpunt, et quarum finis digito haud attingi poteſt. Praeterea conductor ſiſtendae haemorrhagiae et adplicatione remediorum fauet.

DCCCCXXXII. Haemorrhagia ſuperueniens vt plurimum naturae viribus, leni preſſione adjutis ſupprimitur; ſi grauior fuerit, fungo quercino, linteo carpto, compreſſione digiti, remediis ope conductoris (DCCCCXXXI.) ad fundum vulneris admotis ſedatur. Operatione facta, linteolum remedio blando ſuppuranti, vel cerato ſimplici inbutum leniter inter labia vulneris immittitur atque plumaceolo et emplaſtro ſemilunari adhaeſiuo obtegitur; ſpleniis mollibus tunc impoſitis; apparatus denique faſcia T formi firmatur.

DCCCCXXXIII. Vlcus ſequens eodem modo quotidie, niſi alui depoſitio frequentiorem apparatus renouationem poſcat, deligandum, faecibus inter vlceris labia forſan latentibus, leniſſima deterſione, ablutione, injectione, ablatis; turundae vero, cauſtica et alia quaeuis irritantia ſollicite vitentur. Vlcus vt plurimum breui tempore conſolidari ſolet, niſi labes humorum ſeu alia complicatio obſtet. Suppuratio copioſa, praua, tenuis, ſanguinolenta, ſeu vlceris pallor, ſiccitas,

tas, inſolita durities, ſemper complicationem vlceris, ſcrupuloſiſſimo examine indagandum indicat. Calloſitates in fiſtulis ani ſimplicibus plerumque obuiae, tranſciſſo canale et pure ac excrementis liberius effluentibus, ſub leni dicta tractatione in corpore ſano ſponte diſſoluuntur, neque ſcalpelli cauſticorumue vſum poſcunt. Peracta fiſtulae ani expoſita operatione, ob ſphincterem transſciſſum, primis diebus inhabilitas ad retinenda excrementa adeſſe ſolet, vix vnquam tamen duratura.

DCCCCXXXIV. *Curatio* fiſtulae ani *ſimplicis incompletae externae* ac *internae* de therapia expoſita ſolummodo in eo abludit, vt fiſtula in completam mutetur, antequam transſciſſio totius canalis fiſtuloſi inſtituitur. Quod in *externa* fit, perforatione inteſtini denudati ad fundum fiſtulae apice cultri lenticulati directi verſus indicem in anum immiſſum, aut ad conductorem in anum immiſſum ad modum (DCCCCXXXI.) expoſitum; in *interna* vero inciſione integumentorum in loco a duritie, tumore, dolore, rubore (DCCCCXXIII.) indicato.

DCCCCXXXV. Fiſtulae ani complicatae (DCCCXXIV.) *therapiam* quod ſpectat,

*a*) fiſtula completa adeo *alte adſcendente*, vt ejus extremitas ſuperior digito in anum im-

immiſſo attingi nequeat, pars inferior canalis fiſtuloſi tanta, quantum emetitur digitus index operantis exploratione inteſtinali, poſt perforatum inteſtinum, transſcinditur ad modum expoſitum (DCCCCXXXIV.) Ope conductoris et ſpecilli ſulcati (DCCCCXXXI.) fiſtula altius incidi poterit. Cauitas vlceroſa ſupra inciſionem remanens poſt reſtitutum hac ſectione puri effluxum liberum, non raro ſolis naturae viribus occluditur, ſub tractatione debita vlceris. Haemorrhagia grauis, laeſioni vaſis ſanguiferi altius ſiti interdum ſuperueniens, ſagaci compreſſione (DCCCCXXXII.) et remediis ſub haemorrhagiae chirurgia tradendis coërcetur. Veſicae in anum immiſſae inflatio, ligatura mediante ſic dicto ſpeculo injecta, cauterium aliaque ejusdem furfuris artificia, vix vnquam optatum praeſtant effectum, aut ſaltem haud absque majori difficultate adhibentur. Memor quoque ſit chirurgus ſanguinem, nitido quamuis apparatu externo, majori quantitate in cauum inteſtinale effundi poſſe; inde ſi haemorrhagia operatione peracta adfuerit,

fuerit, ad ſymptomata haemorrhagiae internae attentum eſſe decet.

b) *plures canales* fiſtuloſi in inteſtinum concurrentes, rarior, ſi vnquam, vna fiſtula externa in plures aperturas internas terminata, attentiſſimo examine indagati, nil niſi vnius cujusque transſciſſionem vlcerisque congruam lenem tractationem (DCCCCXXXIII.) requirunt.

c) *ſinuoſae cutis* de partibus ſubjacentibus *ſolutio* minime ablatione cutis, ſed largis potius inciſionibus fauentibus effluxui libero puris curatur. Dantur tamen caſus, vbi cutis ſoluta, omni celluloſa orbata, decolor et quaſi emortua, difficillime concretionem ſubit, et potius auferenda erit.

d) vbi tota pars inferior inteſtini occurrit a celluloſa circumdante ſoluta, reunionis futurae ergo commendant nonnulli ablationem totalem partis hujus inteſtinalis ſolutae, quae crudelis tamen atque diſcriminis plena medendi ratio omnino rejicienda, dum ſimplici inciſione inteſtini expoſita (DCCCCXXXIV.) aut duplici, ſi prior haud ſufficiat, malum ſanari poſſe certa experientia probatum ſit.

e) la-

e) latius *extenſa* partium vicinarum *induratio*, praeter generalem fiſtulae therapiam, inciſiones largas atque ſuppurantium vſum poſcit, vix vnquam ad auferendas calloſitates cultri vel cauſtici miniſterio opus eſt.

f) *corpora aliena*, oſſa, ſpinae piſcium, nucleus fructus cujusdam, calculus aliaque in cauitate fiſtuloſa deliteſcentia, attentiſſimo examine detecta, prouide extrahenda ſunt, et fiſtula deinde juxta regulas datas ſananda erit.

g) *partium vicinarum* oſſium, veſicae, vaginae, vrethrae *laeſio*, vel fiſtulam antecedens, vel ſequens, requirit therapiam ſibi propriam, infra exponendam.

h) *prauus* denique *corporis habitus*, acrimonia venerea, ſcrophuloſa, ſcorbutica, alia cachexia, labes viſceris cujusdam, morbum inducens, alens, ſanationi obſtans, remediorum internorum auxiliis maxime debellantur, et quidem, quod praeſtat, antequa*m* ipſa operatio inſtituatur. Interdum cogimur vlceribus artificialibus excitatis deriuare humores a fiſtula inueterata, quae a longis retro temporibus conſueuit fluidum copioſum vehere.

## Fiſtula vrinaria.

DCCCCXXXVI. Fiſtula vrinaria *dignoſcitur* ex ſignis fiſtularum communibus (DCCCC.) et ſtillicidio lotii, omnis aut partis ejusdem, per fiſtulam praeſente. *Cauſae* hujus morbi genetrices ſunt, qualiacunque vias vrinarias laedere, ac futuram vrinae miſſionem ſimul ſupprimere, vel quodammodo ſaltem inhibere valent: huc pertinent

*a*) variae violentiae externae, vulnera, contuſiones, calculi vrinarii, apparatu magno inprimis extractio.

*b*) abſceſſus phlegmonoidei, metaſtatici, gangraenoſi, in ipſis partibus vrinariis vel earum vicinia.

*c*) vlcera ani, perinaei, membri virilis, ſcroti, vaginae muliebris, ipſius abdominis lente vias vrinarias corrodentia.

*d*) varii morbi vrethrae ac colli vel ipſius veſicae, impedientes, vel ſupprimentes vrinae tranſitum, ac ſequentem rupturam inducentes.

DCCCCXXXVII. Alia porro datur fiſtularum vrinariarum *differentia*

*a*) quoad *aperturam externam*, in perinaeo, ſcroto, membro virili, natibus, femore, lum-

lumbis, abdomine, vagina, inteſtino recto.

*b*) quoad *aperturam internam*, in qualicunque parte vrethrae, vt plurimum inferiore, rarius in laterali vel ſuperiore; aut ipſa veſica. Illam detegit ſtillicidium lotii per aperturam fiſtulae externam ſub ſola mictione praeſens, hanc continuum. Interdum apertura interna ſola adeſt, integris integumentis, in quo caſu ſub mictione tumor ſurgit reprimendus. Dantur tamen caſus, in quibus lotium, licet completa fuerit fiſtula, ob arctiorem atque tortuoſam viam haud externe effluit.

*c*) quoad *directionem*, ſiquidem ad ſingulum veſicae vel vrethrae hiatum plusculi cuniculi, variae directionis atque longitudinis, confluere poſſunt, rarius plura oſtia externa ad totidem aperturas in vrethra vel veſica internas ducunt.

*d*) quoad *complicationem*, dum aliae ſimul partes internae, inteſtinum rectum, vagina, oſſa vicina etc, adfecta eſſe posſunt, aut denique vlcus fiſtuloſum humorum labe qualicunque ſyphilitica, ſcor-

ſcorbutica, ſcrophuloſa, induci, foueri poteſt.

DCCCCXXXVIII. Ex allatis patet fiſtulam vrinariam

*a*) nunc eſſe *incompletam externam* vel *internam*,

*b*) nunc *completam* interno et externo orificio praeditam.

DCCCCXXXIX. Fiſtula *incompleta externa* vel ſpuria oritur ex abſceſſu inflammatorio, metaſtatico, critico, haud tempeſtiue aperto, vel vlcere ſinuoſo, inflexo, effluxui puris haud fauente, vnde vrethra vel pars veſicae celluloſa orbatur, et vti in inteſtino recto fieri ſolet, haud concretionem cum partibus vicinis admittit. Dignoſcitur haec ſpecies, e defectu effluxus lotii, et exacta ductus fiſtuloſi exploratione, ſub qua, dilatato licet orificio externo, ſtylus haud in vrethram vel veſicam tranſit, nec catheterem inductum immediate tangit. Fiſtula *incompleta interna* inducitur a ruptura violentiae externae ſ. iſchuriae veſicalis vel vrethralis ſequela, abſceſſu vicino, a rudiori catheteriſmo, vel calculo inclauato. Sedes frequentiſſima eſt vrethra, rariſſime ipſa veſica. Noſcitur malum a cauſa praegreſſa, ſenſu doloris ſub mictione, effluxu ſanguinolento, purulento ex vrethra, duritie externa loci adfecti,

fecti, certiſſime vero, tumore externo ſub mictione, diuerſae magnitudinis, reprimendo, aut ſaltem preſſione minuendo; vel ſignis effuſionis illimitatae lotii in cellulosa.

DCCCCXL. Fiſtula vrinaria *completa* fiſtulae incompletae internae ruptae vel apertae, inciſionis, lithotomiae, rupturae ſequela noſcitur, effluxu lotii, niſi valde exigua fuerit apertura interna, vel calculo ſeu muco occluſa

a) aut ex apertura externa fiſtuloſa, interdum a diſſolutione interna valde diſtante.

b) aut ex inteſtino recto vel vagina ſi viae lotii ad has partes pateat,

c) aut denique ex lotii effuſione in abdomine, ſemper lethali.

DCCCCXLI. *Symptomata* fiſtulae vrinariae genuinae conſtantia ſunt, lotii e fiſtula externa et interna ſtillicidium, ac durities tractus fiſtuloſi; minus conſtantia ſunt inflammatio, interdum grauis, praecipue ſub infiltratione vrinae in ſcroti celluloſa cito ſaepe in gangraenam deſinens; durities calloſa nunc ad ambitum fiſtulae limitata, nunc totum perinaeum, anum, ſcrotum, membrum virile occupans; ſuppuratio praua copioſa; diarrhoea vrinoſa, vrina faeculenta, humorum labes; debilitas; marasmus; ſymptomata re-

reſorpti puris, vrinae; febris lenta interdum morte terminata.

DCCCCXLII. Morbi *prognoſis* pro aetate, gradu, loco ac complicatione mali variat. Auerti poteſt malum tempeſtiue inflammationi occurrendo; abſceſſum incidendo; vrethrae coarctationi obueniendo. Fiſtulae a diſſolutione vrethrae exortae faciliorem admittunt ſanationem, iis, quae a diuiſa veſica inducuntur; hae cum inteſtino recto aut vagina communicantes vix ſanationem admittunt; effuſio lotii in abdomine omnia artis auxilia effugit; a labe humorum complicatae hujus labis prognoſin ſequuntur. Symptomata reſorpti puris vel lotii ſtatum reddunt maxime ambiguum.

DCCCCXLIII. Fiſtulae *incompletae externae curatio* generalem fiſtularum therapiam ſequitur. Interdum ſedula compreſſio loci adfecti torcularis idonei ope, diu ſub perfecta partium quiete continuanda, ad ſanationem ſufficit. Saepius dilatatione larga externa, coniformi, apice inciſionis ad vrethram vel veſicam denudatam reſpiciente, opus eſt, vt liber puris exitus paretur, et digeſtiuis ſeu cathaereticis, ſi indicentur, locus concedatur. Fiſtula *incompleta interna* parua recens catheteris, vel ſi coarctata fuerit vrethra, cereorum in anteceſſum vſum poſcit; ſi lotii introi-

troitus in aperturam ſiſtuloſam inde plane auerti poteſt, ſanationem expectare licet; ſin minus, aut ſi inueterata fuerit fiſtula, inciſione externa in fiſtulam completam commutanda erit, cujus medendi rationem tunc ſequitur.

DCCCCXLIV. *Chirurgia* fiſtulae vrinariae completae verſatur

*a*) in *dilatatione* largiori *orificii* fiſtuloſi *externi* aut plurium, ſi adfuerint, qua infiltratio ſimul praeuertitur ac lotium effuſum emittitur.

*b*) in *directione* fiſtulae rectae, curuae, tortuoſae, caute *exploranda* et *detegenda* ope ſtyli exploratorii communis aut flexilis pro vario partium explorandarum ſitu diuerſimode dirigendi.

*c*) in *indagatione* exacta *aperturae interioris*, indicatae a ſtillicidio lotii, inſtituenda ope ſtyli, certius quidem ſi catheter in anteceſſum in veſicam intromiſſus ſtylo exploratorio extus per fiſtulam conducto tangi poteſt.

*d*) in *reſeranda via naturali occluſa coarctata* cereis ad artem immiſſis; absque his ſanatio radicalis vix exſpectari poteſt ſub conſtricta via vrethrae; eadem autem libera, nullam vtilitatis ſpeciem ſecum ferre videntur.

*e*) in

e) in *inciſione longitudinali canalis fiſtuloſi totius*, ad ſpecillum ſulcatum per vrethram immiſſum, quae totam fiſtulam mutat in vulnus, referens ſectionem coni, cujus vertex vrethram, baſis externas partes reſpicit.

f) in *vlceris* denique conuenienti *therapia.*

Situs lateralis vel ſuperior orificii fiſtuloſi in vrethra indagationem ac dilatationem difficillimam reddere poteſt. In tali caſu poſt varia tentamina, vlceris fiſtuloſi dilatationem ad ſpecillum lateraliter ſulcatum in vrethram immiſſum, ſetacei deinde per vlcus fiſtuloſum externum et vrethram traductionem, denique totius coni circularem exſciſſionem cum ſucceſſu inſtitutam fuiſſe vidimus, ſequente fiſtulae radicali ſanatione. Vlcus inflictum heic, vti poſt lithotomiam, ſub debita quiete, ſolius naturae beneficio absque aliis artis auxiliis conſolidari ſolet.

DCCCCXLV. Introductio *catheteris* in veſicam ſub curatione fiſtulae vrinariae ſaepe eſt impoſſibilis; nonnulli illius diuturnam commorationem ob irritationem, dolorem, phlogoſin, ſpasmum veſicae, priapismum, tenesmum, comites atque pediſſequas haud ferunt, debita quamuis ac circumſpecta cura omni adhibita; in aliis lotium inter catheterem, craſſiorem licet, et vrethram

thram ad aperturam fiſtulae internam proſerpit et per eandem ſtillat; ſemper labia fiſtulae internae a cathetere immiſſo diducuntur et ſanatio impeditur. In fiſtula vrinaria ſananda itaque quam circumſpectiſſime cum cathetere mercetur, tanto quidem magis, dum morbum absque catheris vſu, reliquis (DCCCCXLIV.) rite obſeruatis, ſanari poſſe, certa experientia compertum ſit. Idem fit poſt calculi extractionem, quà facta, lotio licet effluente, absque catheteris vſu, ſanari conſueuit. Eadem de cereorum vſu valent, haud niſi a coarctata qualicunque modo vrethra, aut ad coarctationem ſub finem morbi a cicatrice auertendam, indicato. De encheireſi ipſa, qua catheter et cerei tuto et commode applicantur, indicata, ſub alio titulo agetur.

DCCCCXLVI. Inter alias noxas, quae ex partu laborioſo *in foeminas* redundant, rarior omnino eſt *veſicae laceratio*, ſed frequentior *contuſio*, ſaepe *gangraeneſcens*; haec, poſt eſcharam ſolutam, interdum gignit fiſtulam vrinariam, quae, praeter foedum incommodum, denique valet inducere coarctationem vel coalitum vrethrae, auertendum vſu cerei vel catheteris tempeſtiuo. Ipſe morbus vix ſanationem admittit, cum vrina majori facilitate per fiſtulam tranſit, quam per vrethram vel catheterem. Effluxus lotii per vaginam quodammodo cohibetur, obturatione vagi-

nae

nae globulo ligneo oblongo, perforato, cera obducto, seu spongia tenui conuoluta. Cauendum tamen, vt ne in eis, quarum lotium calculosi quid secum vehit, diuturnior obturatio fistulae generationem crustae molestae foueat. Grauissimum morbum cannula per vrethram tali modo inducta atque firmata, vt nullum plane lotium in vesica accumulari possit, et pessario cylindrico in vaginam immisso sanatum fuisse legimus.

DCCCCXLVII. *Fistula vrinaria cum intestino recto communicans*, abscessus profundi inter vesicam ac intestinum siti sequela, in principio diarrhoeam vrinosam cum tenesmo graui inducit, succedunt flatus ex vrethra ejectio, vrina stercorea purulenta vesiculata, quae sub maximo cruciatu excernitur, denique febris lenta post longas miserias aegrotum occidens. Malum tempestiua prophylaxi antiphlogistica, deriuante, reuellente, et incisione perinaei tempestiua auerti forsan potest; praesens nullo remedio hucusque cognito sanari potest; neque heic quidquam a cathetere in vesicam immisso sperandum est.

## *Vlcera a corpore alieno complicata.*

DCCCCXLVIII. *Corpora aliena*, quae vlcera complicare valent, sunt:

a) aut

*a*) aut *externa*, violentia quauis, vulnere ſclopetario, vel alio, punctura, etc. in corpus intruſa.

*b*) aut *in ipſo corpore natae*, concretiones calculoſae, ſolidorum degeneratio, fluidorum retentorum mutatio.

*Noſcitur* talis complicatio a cauſa praegreſſa, ſymptomatibus alienis indicantibus partem ſingularem laeſam; abſentia complicationis alterius; inſufficientia remediorum ſolitorum; exploratione ſcrupuloſiſſima vlceris; certiſſime autem tactu corporis heterogenei ipſius. De his omnibus itaque partim ex antea dictis jam conſtat, et diagnoſis et tractandi modus, partim ex aliis capitibus infra tradendis patebunt. *Chirurgia* talis complicationis in vlcere praeſtruit indagationem certam juſtamque corporis peregrini latentis, ſemper tanto difficiliorem, quo mollius fuerit corpus alienum delitescens: hac peracta aut tentetur *extractio artificialis* corporis peregrini complicantis, aut committatur *eliminatio* ejusdem viribus naturae ſolis. *Extractio* inſtituitur, quoties ſymptomata, ſitus atque ſtructura partis laeſae admittunt dilatationem vlceris complicati ſufficientem, aut inciſionem, amplam ſatis atque profundam, e regione vlceris: per alterutram harum recenter inflictam, ad corpus peregrinum reconditum vsque introducitur tenaculum idoneum, quo prehenditur

tur idem et trahitur foras. Loco autem et ſtructura partis laeſae nec non circumſtantiis incitionem neceſſariam, atque adeo extractionem vetantibus, *eliminatio* corporis peregrini committatur ſuppurationibus, omni arte fouendis, naturalibus, quemadmodum ex pertractione vlcerum complicatorum aliorumque morborum patebit.

## *Vlcera ex adfectione ſpecifica complicata partium ſingularium.*

DCCCCXLIX. Notabilem certe complicationem efficit *vlceris in parte ſingulari ſitus* vel in eandem progreſſus diuerſaque haud raro medela paranda eſt, prout os, cartilaginem, membranam, ligamentum, aponeuroſin, tendinem, articulum, glandulam majorem, organum ſenſus, viſcus occupat. Propriam autem cuique harum complicationum ſpeciem, praeter alia ſigna, ex cognitione anatomica partium laeſarum, cauſarumque et ſymptomatum dijudicatione, petenda, puris quoque qualitas non raro declarat. Sic partes tendineae, aponeuroticae, membranaceae, glanduloſae pus fundunt tenue, gryſeum, ſaepe foetens; in genitalibus prognata materies purulenta ſingularem foetorem et virideſcentis quid habere ſolet; teſtis vlceratus pus interdum dat filamentoſum ex ipſius ſubſtantiae diſſolutione, et inde

inde minime abſtergendum; in vlcere celluloſae vt et nonnullorum viſcerum pus, niſi a mora, aëris acceſſu, calore aut alia cauſa mutetur, laudabile adparet (DCCXCIV.) vlceris ſanationi mirum in modum fauens; quale in oſſe vlcerato gignatur mox dicetur. Ex variis vero hujusmodi complicationibus ſola oſſium vlcera ſeu caries, peculiarem pertractationem ſibi vindicant, dum reliquarum cognitio et curatio ex praecedentibus vel dicendis facili negotio eruatur.

## Caries.

DCCCCL. Caries in vniuerſum *vocatur*, vlcus ſubſtantiae oſſeae ipſius. Quod texturam oſſium organicam vsque adeo immutat, ſoluit, imo deſtruit, vt jam lamellae et fibrae oſſeae partim ſucco ſpoliatae nutricio exſiccentur, partim humore vlceris carioſi ichoroſo acri eroſae, perioſteo ſoluto ſpongioſae, friabiles euadánt, et loco coloris naturalis ſimul album flauum, gryſeum, cineritium, nigricantem induant. Subſtantia enim oſſea in vniuerſum omnibus morbis eſt obnoxia, quibus partes molles infeſtantur, inflammationi, ſuppurationi, gangraenae, necroſi; quae omnia tamen lentius quam in mollibus partibus accedunt.

DCCCCLI. *Cauſae* cariei in genere fieri poſſunt, quaecunque ſtatum inflammatorium inducere,

ducere, et circuitum humorum naturalem in substantia ossea et vires vitales vllo modo turbare valent: haec autem dum vel externa sunt vel interna, itidem causae cariei merito in *externas* et *internas* diuidantur est necessum.

*a*) ad *externas* pertinent solutio violenta, vulnus, contusio, commotio periostei vel partium huic vicinarum; fractura; fissura ossis ipsius; laesio vasorum sanguiferorum effundentium laticem vitalem in canales interosseos; apostema; vlcus, aneurysma, varices prope ad ossa; aëris frigidi corrupti ad os denudatum accessus; praua medicatio morbi alterius, maxime in vicinia ossis siti.

*b*) *internae* sunt varia acrimonia humorum, maxime venerea, scrophulosa, rhachitica, rheumatica, scorbutica, morbillosa, variolosa; metastases; eruptiones cutaneae chronicae, vel euacuationes solitae suppressae; exostoses; inflammationes et insequentes periostei, membranae medullaris suppurationes.

Miasma venereum partem mediam, scrophulosum extrema ossium magis adficere solet. In vniuersum causae externae magis ad exteriorem ossium superficiem, internae ad interiorem ossis substantiam agere videntur, praecipue ad substantiam cellu-

cellulosam ossis, vtpote majori copia vasorum et humorum circulantium praeditam.

DCCCCLII. Hoc vlceris genus *distinguitur*

*a*) in *occultum* et *apertum*,

*b*) in *superficiale* et *profundum*,

*c*) in *humidum* et *siccum*,

*d*) in *benignum* et *malignum*; *idiopathicum* et *symptomaticum*.

DCCCCLIII. Caries *occulta noscitur* ex causa praegressa, dolore partis adfectae plus minus intenso ac tumore, continuis vel per interualla recurrentibus, demum colore cutis successiue alienato et mutato in rubellum, violaceum, plumbeum, vna cum intumescentia dolorosa, sed molliori et fluctuante tegumentorum, interdum tumore ossis affecti ipsius simul. Cariem *cum externo vlcere junctam dignoscimus* e symptomatibus praegressis et carne plerumque flaccida, albicante, rubicunda, inaequali, luxuriante, specillo haud aegre penetrante; labiis vlceris incuruatis; pure tenui, ichoroso, acri, copioso, nigricante, foetorem specificum, rancidum spargente. Neque tamen nigrities puris semper cariem indicat, cum illa quoque ex aliarum partium suppuratione et remediis adhibitis induci possit. Quod si tale vlcus denique clausum fuerit, sanationem imperfectam produnt cicatrix mollis, eminens, inae-

quabilis, et cita recrudeſcentia ſpontanea vlceris. Certiſſime omnium vero cariem declarat ſuperficies oſſis denudati, ſaepe inaequalis digito vel ſpecillo tangenda et examinanda.

DCCCCLIV. Caries *indicatur ſuperficialis* a cauſa praegreſſa ſymptomatibusque (DCCCCLI.) leuioribus absque tumore notabili oſſis carioſi, ſed cum proruptione ſanguinis poſt perforationem leuem partis oſſeae adfectae, ſi caries viſu tactuue diſtingui queat: *profunda* e contrario dignoſcitur a ſymptomatibus grauioribus, dolore oſteocopo, preſſione haud aucto, a motu muſculari tamen ſaepiſſime exacerbato, accedente deinde interdum tumore, intumeſcentia oſſis, partiumque mollium alteratione, inflammatione, ruptura, carie aperta, ſed haud cruenta poſt profundiorem perforationem, ſi ſicca fuerit caries.

DCCCCLV. Diagnoſin cariei *humidae*, vtpote verae oſſis vlcerationis, ſiſtit effluxus copioſior ichoris, praecipue ſi morbus attigerit cauum medullare ſeu ſubſtantiam celluloſam oſſis, tamen rite diſtinguendus ab illo, quem vlcera ſinuoſa fiſtuloſa partium mollium, ſeu in cauitatem majorem penetrantia ſibi vindicare ſolent; ipſa oſſis ſuperficie plerumque aſpera inaequali; *ſiccae* autem (necroſis) defectus liquidi humectaturi labia vlceris ejusque ſuperficiem, cum oſſe adfecto

ad

ad attactum magis aequali, emortuo, et circulatione destituto. Vtraque haec species aut a superficie, aut ab interna substantia ossis incipere potest.

DCCCCLVI. Cariei *benignae notas* constituunt ortus a causa externa, sedes morbi in superficie ossis, defectus signorum labem humorum qualemcunque declarantium, nulla, praeter indiuidua a carie symptomata, praesentia, figura ossis adfecti aut plane non aut parum mutata. *Malignam* e contra *produnt* humorum inquinamentum internum multiplex, degeneratio notabilis figurae ac substantiae osseae, complicatio cariei cum exostosi maligna, hyperostosi, osteosarcosi, labes simultanea plurium ossium. *Species cariei malignae* principales sunt:

*a)* *paedarthrocace*, intumescentia ossis, pueris, rhachiticis maxime, familiaris, vniuersam molem ossis adaugens, frequentior in ossa extremitatum saeuiens, spongiosa et inaequabilis, vix aut parum et obscure dolens, cum carie interna saepe juncta, ab humore morboso intimam ossis compagem penetrante orta fotaque.

*b)* *teredo*, *sideratio*, *gangraena*, *cancer ossis*, recentioribus spina ventosa dicta, est tumor, in minore quidem osse vniuersalis, in majore partialis, spongiosus,

inaequabilis, mire tuberoſus, acerbos dolores creans, deſinens ſucceſſiue in intumeſcentiam partium mollium, quae cingunt os, exulcerationes fiſtuloſas, cariemque apertam, a corruptione interna compaginis oſſeae vel acrimonia humorum generali, vel olei medullaris ipſius natales ducens.

Interdum parte oſſis emortua, reliqua pars viua luxurians illam obtegit: haec oſſis in oſſe inuenti origo. *Gradu* ſubinde diuerſiſſimam eſſe cariem liquet, inter ſimplicem ſuperficialem oſſis denudati affectionem ac plenariam ejus corruptionem ſiue vermiculationem certe datur media.

DCCCCLVII. Ad communes cariei *effectus* quod attinet, functionem ab oſſis firmitate et integritate pendentem vario gradu exinde laedi, partes vicinas diuerſimode diſſolui et corrumpi, perioſteum deſtrui, muſculorum, neruorum, articulorum, viſcerum multiplices adfectiones morboſas enaſci, puris reſorpti noxas (DCCCXCI.), oſſium varios tumores mortemque ipſam induci poſſe, eo quidem citius certiusque, quo proprius ad encephalum, medullam ſpinalem vel alias partes nobiliores acceſſerit vlcus carioſum, ſponte ſua patet.

DCCCCLVIII.

DCCCCLVIII. E contrario *prognoſis* cariei maximam partem ex aetate viribusque aegroti, gradu, indole et ſede mali pendet. In infantibus ac ſenibus caries difficilius ſanatur, in prioribus ob ſtructuram oſſium magis vaſculoſam atque humorum abundantiam, in poſterioribus ob majorem oſſium duritiem, rigiditatem vaſorum atque ſucci nutritii defectum. Quae a cauſa externa natales trahit, oſſisque partem magis compactam occupat, caries, facilius curatur, quam ex humorum labe exorta et in laxiore oſſis textura, praecipue circa articulos, reſidens. Caries humida facilius et citius proſerpit ſicca. Quo magis ſuperficialis recensque fuerit, quo facilior via ad os adfectum ac puri liberior effluxus parari poterit, quo junior atque vegetior aeger, eo minus refractaria eſt. In molliori oſſium fabrica maxime in epiphyſibus infantum ſedem figere amat caries, difficiliorque inde ſecedit; interdum os ita excauat, vt nil niſi cruſtam cartilagineam vel oſſeam relinquat. Quo magis denique inueterata, quo longius latiusque diffuſa caries, quo vicinior ad partem corporis nobiliorem, quo complicatior (DCCCCLVI.) morbus, quo plura oſſa ſimul obſeſſerit, tanto pertinacior re, ſiſtit ſanationi. Obſeruationes mirae, ſed fidae. docent non ſolam partem carioſam oſſis, ſed integram, imo diaphyſin oſſis maxillaris inferioris,

cla-

clauiculae, fcapulae, radii, tibiae aliorumque, poſſe a viribus naturae ſeparari et reſtitui; quam tenuiora oſſa patiuntur, ſubſtantiae jactura, oſſaque parua, quadrata, vix vnquam reparantur.

DCCCCLIX. Reſtitutio oſſis emortui, in junioribus et ſanis ſaepiſſime fieri ſolet, ſi haud plane deſtructum fuerit perioſteum, cui in vniuerſum ideo parcendum. Si pars interna oſſis vita priuata fuerit, viuente parte exteriori, os haud reſtituitur. Subſtantia oſſis celluloſa ac reticuloſa in oſſibus regeneratis in ſubſtantiam compactam abit. Hoc naturae negotium, ei ſimile eſt, quo oſſa fracta calli ope reuniuntur; de qua re ſub fracturarum chirurgia vberius agetur.

DCCCCLX. Caries *auerti* poteſt euitatione, ſublatione cauſarum nocentium (DCCCCLI.) tempeſtiua, juſta; atque adeo inflammationi ſtrenue occurrendo, abſceſſum tempeſtiue incidendo, et effluxum puri liberum parando, acrimoniam internam therapia debita debellando, aëris acceſſum praepediendo, irritantia qualiacunque euitando: his rite ſub initio morbi obſeruatis, malum vel plane praecaueri, vel ſaltem grauiorem adfectionem oſſis praepediri poſſe compertum eſt. Simplex oſſis denudatio, citum ejus tegmen, praeſtandum adductione labiorum vulneris ad inuicem, quam fieri poteſt, raramque deligationem, aëris ex-

externi auerſionem ſedulam, et reliquam therapiam, ad laeſionem capitis cum denudato cranio explicandam, poſcit; ſic non raro absque vlla, vel ſaltem absque ſenſibili oſſis exfoliatione ſanatio ſuccedit. Spirituoſa, balſamica, olea aetherea aliaque irritantia hic certe nocent.

DCCCCLXI. *Curationem* cariei praeſentis abſoluunt *vires naturae*, molientis ſeceſſionem corrupti: qui actus *exfoliatio* appellari ſolet. Nonnulli ſeparationem partis oſſeae emortuae protrusioni papillularum carnearum, alii reſorptioni partium terrearum, ad marginem partis adfectae, absque earum reſtitutione, tribuunt. Opitulatur autem his *ars* variis ſuis auxiliis, ablaturis impedimenta, quae ſanationi obſtare poterant.

DCCCCLXII. *Vires naturae efficiunt exfoliationem*, propulſu papillularum carnearum e parte ſana ac inſequente ſaepe generatione nouae ſubſtantiae oſſeae. *Exfoliatio ipſa* autem fit

*a*) *ſenſibilis*, qua majus vel minus fruſtulum oſſeum organicum ſeparatur.

*b*) *inſenſibilis*, ſi pars oſſea carioſa a pure diſſoluta lente ſecedit.

Prior in carie diffuſiori, oſſe firmo duriore, ſubjectis adultis, carie ſicca, ſaepius contingit; poſterior in carie ſuperficiali, humida, oſſibus laxioribus, ſubjectis junioribus, frequentior cernitur.

Ex-

Exfoliatio ſenſibilis in oſſibus compactis lamellata, in cellolulis fibroſa eſſe ſolet. Antequam exfoliatio ſuccedere poteſt, oportet, vt pars oſſis adfecta emortua ſit, et circulatio et nutritio omnis per hanc penitus ſublata. Lentiſſime ſuccedit exfoliatio, ſi aliquid circuli ac nutrimenti reſtat. Futuram ſeparationem ſenſibilem oſſis carioſi indicant ſiccitas, albedo ſeu nigrities in parte carioſa oſſis adfecti, excauatio intra partem carioſam ſtylo exploratorio contrectanda, rima partem adfectam de ſana ſoluens, ſolutae mobilitas, vacillatio, eleuatio, papillularum e rima excreſcentia: ablata parte carioſa os ſubjectum interdum integre reſtitutum, ſaltem obtectum reperitur. Exfoliatio autem vix vnquam ſuccedit viribus naturae, quamdiu labes humorum praeſens cariem cōmplicat et fouet.

DCCCCLXIII. Cariei *curatio artis auxiliis* variis promouetur:

a) *ablatione*, imminutione *cauſae* efficientis internae, externae.

b) oſſis adfecti *denudatione* conueniente.

c) *puri effluxum* liberum arte parando.

d) *effectus ſuppurationis* prauae auertendo.

e) *corrupti ſeparatione.*

f) *vlceris* denique *conſolidationem* adjuuando.

DCCCCLXIV.

DCCCCLXIV. *Caufa cariei* fcrupulofiffimo examine praeuio indagata, hujus *ablatio* prae omnibus requiritur; ita caufae venereae, fcorbuticae, fcrophulofae, rheumaticae, rhachiticae, metaftaticae, cet. ad methodum antea expofitam occurritur, aut varia externa morbum inducentia, alentia (DCCCCLI.) dicta auferuntur. Hac indicatione neglecta caries raro fanationem admittit. Dantur tamen cafus, in quibus nulla peculiaris acrimoniae figna adfunt, feu contra quos remedia, quae videbantur indicata, fruftra adhibentur; in talibus adeoque licet confugere ad remedia fpecifica, quae in fimilibus morbis optatum effectum praeftiterunt; inter haec affa foetida, acidum phosphori, radices rubiae tinctorum, herba fabinae, radices calami aromatici, decoctum foliorum juglandis, aqua calcis viuae, femina phellandrii aquatici, decoctum concentratum farfaparillae, mezeraei, aqua marina, cicuta, belladonna, onopordon, terra ponderofa falita, mercurialia, interdum vifa fuerunt proficua. Saepe fimplex offis denudatio, haud cito obtecta parte denudata, acceffu aëris haud impedito, offe remediis ficcis, fpirituofis, oleis aethereis vel aliis irritantibus vexato, cariem vel necrofin inducere poteft.

DCCCCLXV. *Offis cariofi*, haud absque exfoliatione fenfibili fanandi, *denudatio* tanta, quanta

quanta totum cariei ambitum comprehendit, nunquam, ſi locus concedit, negligenda; dum puris effluxus hoc facilitetur, et remedia immediate ad ipſam partem laeſam adplicari poſſint. Vbi pars carioſa exfolianda vlcere externo major fuerit, vlceris dilatationem, imo interdum ipſius cutis ablationem in tota circumferentia, non raro requiri per ſe patet. De hac medendi ratione dicetur fuſius ſub capite de denudatione, contuſione ac ſequente carie cranii.

DCCCCLXVI. *Effluxus puris ſuſtinetur liber*, dilatatione vlceris externi larga, longitudinali, cruciata, ouali, therapia fiſtularum (DCCCCIII.) ac ſinuum (DCCCXCIX.) expoſita, ſitu conueniente membri affecti, injectione, deligatione laxa, ſpongia impoſita, nocentium euitatione. Si inter lamellas oſſeas haereat malum, perforatione ſeu terebratione oſſis indagandus eſt latens mali fomes, vel puri exitus eſt parandus, ſetaceo per ſubſtantiam oſſis ipſam, per cauum medullare ſeu compagem celluloſam oſſis longioris prudenter ducto. Effectus ſuppurationis prauae auertitur methodo (DCCC.) expoſita.

DCCCCLXVII. *Separatio partis oſſeae corruptae* praeſtanda viribus naturae (DCCCCLXII.) promouetur auxiliis artis variis, quae quidem a nonnullis ſuperflua et nociua habentur, haud

vero,

vero, vbique ſaltem conſentiente experientia, nempe:

*a*) *perforatione crebra oſſis carioſi* attingente partem ſanam a profluente ſanguine dignoſcendam, et perforatorio idoneo inſtituenda; fit haec, vt papillulae carneae e parte ſubjacente eo citius propullulent, et ipſa exfoliatio ſenſibilis vel inſenſibilis tanto facilior ſuccedat.

*b*) *partis oſſeae adfectae plenaria enecatione:* etenim quamdiu aliquid vitae ac circuitus in oſſe carioſo reſtet, exfoliatio lentiſſime ſuccedit: obtinetur haec enecatio, adplicatione ſpiritus vini rectificatiſſimi, eſſentiae ſeu pulueris balſamici, acris; olei aetherei, immediate ad partem oſſeam laeſam ipſam. In profundiori carie hydrargyrum in acido nitroſo ſolutum vtiliter adhibetur: applicationem externam acidi phoſphori cum octupla parte aquae diluti profuiſſe legimus. Praeſtantiſſimum tamen contra cariem profundam humidam, inprimis cum luxuriantibus carnibus, remedium ſiſtunt cauteria auctualia, inſtrumentis idoneis, quam prudentiſſime ad ſolam partem laeſam applicanda, nec vltra enecationem perfectam hujus continuanda, neque

neque partes ſanas circum aut ſubjectas, quantum res concedit, tactura; inde limites partium circumdantium potius contra injurias ferri candentis muniantur, linteis carptis, digeſtiuo blando imbutis. Interea dum actio horum cauteriorum ad ſolam ſuperficiem carioſam externam dirigitur, acceleratur eorundem effectus per praecedentem crebram oſſis carioſi ſeu emortui perforationem cautam, quae ſolam partem carioſam attingit, non autem huic ſubjectam ſanam: denique mortificata penitus parte oſſis adfecta, exfoliatio ejusdem promouetur.

c) ſimilibus *remediis tepidis*, *vnguinoſis*, *digeſtiuis*, *blandis*, quae ſeparationem partium mollium accelerant: namque toties dictum ac redictum, de nociuo talium remediorum in os carioſum effectu, vix fidae innititur experientiae. Notandum tamen talia remedia maxime adhibenda eſſe in carie ſicca, cum caries e contra humida ſub larga ſuppuratione potius balſamica ac olea aetherea poscant.

d) *ſeparatione artificiali* oſſis *corrupti* per inſtrumenta idonea, atque adeo radendo, vbi

vbi locus concedit, partem cariosam frustulo vitri, ferro rasario, vel vsu trepani sic dicti exfoliatorii, continuando ad conspectum substantiae sanae sanguinolentae vsque; aut *terebra*, qua orbiculus vnus seu plures ex osse carioso exscinduntur et puri in ossis substantia aut intra hanc haerenti liber exitus simul paratur. *Scalpro* denique *excisorio* et *malleo* in nonnullis casibus corruptum ab integris solui quidem potest, attamen rudis haec encheiresis ob commotionem vix auertendam minus tuto adhibetur.

DCCCCLXVIII. *Pars ossis corrupti exfoliata* (DCCCCLXII.), vacillans, non violenter sed suspensa manu per ampliorem partium mollium hiatum digitis vel volsella prehensa *auferatur*. Si pars emortua adeo magna sit, vt plaga sufficiens partium mollium pro extractione cum securitate parari haud possit, illam instrumentis idoneis in frusta diuidere et deinde extrahere conuenit. Corrupta parte tota autem plane ablata, vlcus purum sequitur rationem medendi communem vlcerum.

DCCCCLXIX. Grauissima caries miserum, sed vnicum remedium pro seruanda vita, *amputationem* nempe membri, interdum poscit,

*a*) si

a) ſi partes molles praecipue circa articulationes ſimul tali modo adfectae fuerint, vt membrum conſeruari nequeat.

b) ſi a reſorptione puris (DCCCLXXXIII.) certum vitae periculum immineat.

Nunquam vero ad hanc operationem refugiendum erit,

a) ſi a cauſa interna qualicunque ſubſiſtente ortum duxerit caries.

b) ſi partes molles non ita conſtitutae deprehendantur, vt earum conſeruatio ſperari queat.

c) ſi partes carioſae auxiliis naturae et artis (DCCCCLXVII.) ſeparari poſſint.

d) ſi vires denique aegroti operationi amputationis ejusque ſequelis impares cenſeantur.

Therapia cariei ſingularibus plerisque oſſibus propria ex dictis facile eruitur. Specialem tamen pertractationem ſibi vindicat caries dentium, vtpote a reliquis cariebus notabiliter diſcrepans.

## Caries dentium.

DCCCCLXX. Quum nulla corporis humani oſſa tot injuriis ſint expoſita quam dentes, horum *caries* quoque frequentiſſima omnium occurrit. Eſt autem caries dentium

a) ex-

*a*) *externa* vel *interna.*

*b*) *ſuperficialis* vel *profunda.*

*c*) *ſimplex* vel *complicata.*

*Incipit* caries *externa* ſaepiſſime a macula ſeu rima externa nigricante ſubſtantiae vitreae in quocunque puncto coronae ſeu ceruicis dentis. Hanc *ſequitur* foramen, per quod lente in ipſam ſubſtantiam oſſeam et cauum dentis proſerpit malum, adeo vt totus dens denique in *vermiculationem* abeat. Morbus inde viſu facile *dignoſcitur.* Caries *interna* radices, cauum vel interiora dentis corrodens dignoſcitur ex ſymptomatibus praegreſſis, colore dentis inſolito, odontalgia grauiſſima ex nulla alia cauſa deriuanda, dentis ad attactum ſenſilitate, fiſtula aut epulide praeſente. Interdum caries interna tumore radicis juncta deprehenditur, grauiſſima tunc ſymptomata inducens. Morbus interdum eſt idiopathicus, interdum ſymptomaticus, alius morbi ſequela vel effectus. Omnes dentes cariei ſunt obnoxii, rariſſime tamen inciſiui inferiores adficiuntur, frequentius inciſiui ſuperiores, canini, molares, frequentiſſime omnium dentes ſapientiae.

DCCCCLXXI. *Cauſae* morbum inducentes ſunt:

*a*) vel *externae*, violentiae variae dentes modo mechanico laedentes, ſubſtantiae vi-

vitreae, a frictione diuturna, abusu pulueris dentifricii asperi, acidi, caustici, partibus sabulosis intermixti, styli metallici ad expurganda dentium interstitia, laesio; mucus, tartarus, superficiem dentium lente corrodens cum neglecta debitae munditiei cura; gingiuarum de ceruice dentis, vtpote substantia vitrea minus obtecta, solutio; remedia mercurialia, acida mineralia.

*b*) vel *internae*, inflammatio, abscessus, metastasis ad gingiuas, in alueolo, in ipso dentis cauo, aut denique in sinu maxillari (DCLX.), morbi varii partium vicinarum; acrimonia humorum scorbutica, venerea, rhachitica, scrophulosa, rheumatica; aëris constitutio humida, frigida; consensus neruorum, ob quem caries de vno dente in oppositum seu vicinum transire solet; peculiaris denique corporis dispositio interdum haereditaria. Haud raro de dentibus cariosis ad habitum corporis morbosum concludere licet.

DCCCCLXXII. Cariei dentium *symptomata* esse possunt frequens odontalgia (CCCXLIX.) continua, remittens, intermittens, ab irritamento

quo-

quouis, aëre frigido, calore, cibo, potu, cet. vehementer adaucta: notandum tamen, non ſemper dentem carioſum comitari odontalgiam, cum, neruis a qualicunque cauſa ſenſu priuatis, totius dentis vermiculatio adeſſe poſſit absque dolore; porro foetor oris; loquela, maſticatio, digeſtio laeſa; abſceſſus, vlcera, fiſtulae gingiuales, ſinus maxillaris; ipſius maxillae caries; epulis; ophthalmia chronica; partium vicinarum a ſpicula eminentiori dentis carioſi mechanica laeſio. Dens carioſus vnius lateris oppoſitum breui eodem morbo adfecturum fore indicat. Dentes maxime aetate juuenili ac virili carioſi euadunt, vix vnquam poſt quinquageſimum annum.

DCCCCLXXIII. Quoad *therapiam*, dens carioſus plenariam reſtitutionem in integrum non admittit, quoniam ſubſtantia vitrea in adultis ſaltem regenerari nequit, et ipſa compages oſſea dentis, orbata inuolucro, a contactu ſaliuae, aëris, cibi, potus vexata vermiculationem vt ſubeat, neceſſe eſt. Inde *chirurgia* hujus morbi verſatur

*a*) in *prophylaxi*.

*b*) in *obſtando morbi incremento*.

*c*) in *dentis* carioſi denique *euulſione*.

De odontalgia cariei effectu antea (DCCCCLXX.) egimus.

DCCCCLXXIV. *Prophylaxis* cariei dentium ea includit, quae ſub odontalgiae pertractatione (CCCXLIX.) jam ſunt monita. Mucus dentibus adhaerens ſpongiae ſeu digiti ope poſt quemuis paſtum abſtergatur, os aqua frigida eluatur, dentes puluere dentifricio ſubtiliſſimo vegetabili, nec acido, adſtringente, cauſtico, interdum perfricentur; ſcopulae ſetaceae rigidiores gingiuam a ceruice dentis facile ſoluentes vitentur. Tartarus dentium ſuperficiem minori frictioni expoſitam, ſimili circiter modo, quo corpora aliena in viis vrinariis haerentia, in quibusdam indiuiduis praecipue, concrementis obducuntur calculoſis, facile incruſtans, inſtrumentis idoneis prudenter absque ſubſtantiae vitreae, tenuioris quidem circa ceruicem dentis, laeſione auferatur. Interim, tota hac prophylaxi ſollertiſſima licet cum cura obſeruata et adhibita, non diffitendum attamen peculiarem conſtitutionem interdum aliquid ſecum ferre, quod cariem dentium inducit, nulla arte auertendam.

DCCCCLXXV. *Incrementum cariei* dentariae jam praeſentis *auertitur*

*a*) *ablatione partis corruptae carioſae* ac caui carioſi *expurgatione*, dum foramen a ſordibus intus haerentibus ac partibus corruptis, acicula, dentiſcalpro ſeu alio in-

inſtrumento idoneo liberatur; ſub quo opere attendendum, vt internus caui carioſi ambitus major fiat externo, aut vt ſulcus infra orificium externum inſtrumenti ope imprimatur, quo ſequens impletio eo firmius ſuſtineri poſſit. Haud tamen diffitendum hanc operationem ob ſitum orificii carioſi lateralem vel interiorem ſparſim eſſe difficilem vel impoſſibilem. Errant, qui cariem incipientem lima auferendam ſuadent absque dentis impletione inſequente, namque per ſe patet, quomodo ſic ob faciliorem variorum nocentium ad cauum carioſum aditum, morbus inde citius increſcat.

*b*) *inflammationis* ac *doloris*, ſi adfuerint, *therapia*, qua nerui dentis carioſi ſimul ſenſu priuantur ad methodum antea (CCCLXV.) expoſitam. Conuenit ſemper haec medendi ratio, antequam impleatur dens carioſus, ne nerui dentis a contactu corporis alieni deinde irritentur, doloresque augeantur.

*c*) dentis carioſi denique congrua *impletione*, qua externa nocentia de cauo dentis carioſi exacte arcentur. Optime inſtituitur haec operatio ferramentis idoneis,

 quo-

quorum ope cauitas dentis exesi, quam exactissime fieri potest, lamellis aureis, stanneis, plumbeis adimpletur, quo facto ostium limula abraditur et leuigatur, vt nullum inaequalitatis vestigium restet ab extus. Vnicum vero frustum metalli cauum cariosum paullo superans adhibeatur, cum pluria haud ita firmiter adhaereant. Dentis cariosi impletio cera, mastiche, pice, vel alia massa balsamica, priori longe inferior merito habetur, quum talia breui saliua impraegnata putredinem, foetorem, morbum augeant. Accidit tamen, vt, ob doloris grauitatem, corpus in cauum cariosum inductum iterum educi debeat, quo facto, adplicato cauterio vel oleo aethereo sensilitas neruorum dentis minuenda erit, antequam denuo impleatur. Dens cariosus rite impletus interdum per seriem annorum longam seruari potest.

DCCCCLXXVI. Dentem nunquam nisi necessitate ductus euellat chirurgus, cum, experientia teste, illi, qui ad hanc operationem paullo imprudentius festinant, varia eaque grauia mala inducere possint. *Indicatur* vere euulsio,

a) si

a) ſi dentium exeſorum dolores vsque adeo graues atque intenſi fuerint, vt nullis omnino aliis remediis leniantur, et malum praeterea locale deprehendatur.

b) ſi dentes lactei caduci puerorum ad alteram dentitionem progredientium vacillantes fuerint.

c) ſi dentes ſecundarii ad peruerſam ac incongruam adeo directionem protrudantur, quae loquelam et maſticationem turbet, vicina irritet, difformitatem inducat.

d) ſi caries interna vel in radicibus dentis; ſi abſceſſus in cauitate alueolari vel ſinu maxillari adfuerint.

e) ſi dens ſua carie alueolum inficiens parulidem, epulidem, fiſtulam maxillarem vel alium morbum induxerit.

Nunquam e contrario inſtituenda erit dentis euulſio, ſi caries a qualicunque cauſa interna prognata, inflammatio grauior adfuerit, vel ſi dens impletione ſeruari potuerit.

DCCCCLXXVII. Inter inſignem copiam ac varietatem *inſtrumentorum* pro *euellendis dentibus* conſtructorum vſitatiora ſunt:

a) *pelicanus;*

b) *clauis anglicana emendata;*

c) *for-*

c) *forceps dentaria, recta, curuata;* ac
d) *pes caprinus.*

Priora dentem extrorſum vel introrſum, poſteriora verſus ſuperiora vel inferiora educunt; poſteriora inde, ſi eorum vſus conceditur, omnino praeferenda. Dentes molares, quos firmiter prehendere licet, pelicano aut claue anglicana, inciſores, canini et omnes vacillantes forcipe dentaria euelli poſſunt, radices vero eximuntur pede caprino, ac deinde forcipula excipiuntur. Si dens maxillae ſuperioris pelicano vel pede caprino euellendus eſt, vel ſi dens maxillae inferioris extrahi debet, aeger in ſedili humili aut puluinari ſedeat, chirurgo a tergo aegroti ſtante; ſi vero dens claui anglicana vel e maxilla ſuperiori forcipe euellendus eſt, tunc in ſedili ordinario ſedeat, chirurgo a fronte aegroti ſtante.

DCCCCLXXVIII. Ipſa *encheireſis euellendi dentes*, vſu ac exercitio aſſiduo maxime addiſcenda, chirurgum certe inſtructum, circumſpectum, dexterum, cordatum requirit, ne dens nec fruſtra comprehendatur, nec frangatur, nec partes vicinae laedantur et grauiſſima interdum mala inducantur. In vniuerſum quoad hanc operationem monendum:

a) gingiuas ad marginem alueolarem dentis euellendi cultello incuruato ſeparandas eſſe, vt ſequens disruptio auertatur.

b) vn-

b) vncus inſtrumenti infra coronam ad ceruicem dentis imprimatur.

c) in inferioribus dentibus eximendis ſurſum, in ſuperioribus deorſum verſus ducere inſtrumentum cum dente euellendo conuenit; in molarium euulſione ob minus ſpatium dentem paullulum verſus exteriora vel interiora ducere cogimur. Neque nouiora inſtrumenta, quibus dentes molares recta linea leuari vel deprimi poſſe dicuntur, omnino ſcopo ſatisfacere videntur.

DCCCCLXXIX. In euulſione dentium molarium, qua dens extrahendus paulo *lateraliter inclinatur*, conuenit dentem verſus partem marginis alueolaris tenuiorem minus reſiſtentem dirigere quae exterior eſſe ſolet; exceptis duobus poſteriobus maxillae inferioris; ſi vero dens carioſus ad locum, cui vncus inniti debet, exeſus fuerit, vel fruſtra ſemel tentata fuerit extractio, dentem verſus interiora ſub extractione clauis anglicanae ope, lente quidem dirigere praeſtat. Dente euulſo gingiuae et margo alueolaris, ſparſim fiſſus vel fractus, pollice ac indice chirurgi ad cauum alueoli adprimuntur. Si dens extractus haud nimis carie exeſus fuerit, expurgatus et impletus mox iterum in aueolum, coagulo ſanguinis ab-

ablato, immitti, et diu conſeruari poterit, doloris reditum tunc excludens.

DCCCCLXXX. Solita *ſymptomata poſt dentis euulſionem* ſunt leuis haemorrhagia ac gingiuae ac buccae aliqualis intumeſcentia, quae periculo carent et collutioni oris frequentiori facile cedunt. Grauiora tamen ſymptomata interdum ſequuntur ſequentia:

*a)* *haemorrhagia grauis*, a cruore e ſinu alueolari prorumpente, ex arteriae dentalis in dentis radicem abeuntis ruptura. Interdum haec haemorrhagia ab eroſione arteriae inducitur. Sedatur talis effuſio, obſeruatis omnibus, quae circa haemorrhagias alio loco dicentur. Cauum alueolare ſtyli ope charta bibula maſticata, agarico quercino, ſpongia praeparata, cera, linteo carpto ſpiritu vini rectificatiſſimo imbuto, exactiſſime impleatur; quo facto alueolo impleto, ſpleniola graduatim vltra dentes vicinos imponantur, ac os faſcia claudatur nec per nycthemeron aperiatur. Si dentes oppoſitae maxillae deficerent, vel ſubere impoſito vel applicato tornaculo maxillari compreſſio inſtituenda erit. Interdum ſanguifluxus e ſuperficie gingiuae in ſcorbuticis praecipue oritur, qui lethalis viſus

visus fuit, adstringentium efficacissimorum ope supprimendus, quae in haemorrhagiae chirurgia indicentur.

*b*) *contusio grauis*, *inflammatio*, *abscessus*, euulsionem sequens, ex propriis signis dijudicanda, ad methodum anteá expositam curatur.

*c*) *partis marginis alueolaris cum dente euulsio* accidere potest, si dentis cum alueolo concretio adfuerit, radices valde diuergant, extrorsum vncatae, versus apicem iterum vnitae vel in globum majorem terminatae fuerint, aut denique si summa, ac incauta et praua in euellendo vis adhibetur, cui statui methodus antiphlogistica ac collutiones oris resoluentes opponuntur.

*d*) *fractura* cum remanente festuca offea *alueoli*; sub quo statu aut sequitur abscessus gingiuae, quo suppurationis ope festuca separatur, aut callo iterum concrescit; eandem therapiam poscit. Festucae offeae plane solutae auferuntur, magis cohaerentes in situm naturalem reprimuntur.

*e*) *fractura corporis maxillae*, vel hujus luxatio rudioris ac ineptae euulsionis sequela alio loco pertractabitur.

DCCCCLXXXI.

DCCCCLXXXI. Dentes puerorum ad alteram dentitionem progredientium vi adhibita majori euellendi non ſunt,[a] cum ſubſequens tenerior dens ſaepe laedatur vel ſimul auferatur. Nec euellatur dens lacteus niſi vacillet aut alter ad prauam directionem protrudatur; primarius tunc euellendus erit. Interdum duos dentes lacteos extrahere cogimur, vt vno ſecundario latiori locus concedatur. Dentes, qui euelli nequeunt, carie tandem exeſi per partes ſecedunt; munditiei tamen ratio habenda eſt, ne foetor oris moleſtus inde excitetur. Aſperae etiam et prominentes coronae partes, quae linguam et membranam oris laedunt, lima quodammodo abradenda ſunt.

---

ORDO

# ORDO III.
## VULNERA EORVMQVE CHIRVRGIA.

DCCCCLXXXII.

Quae de vulneribus ampla et multipartita morborum classe pertractanda veniunt, sub duplici conspectu commode ponuntur, quatenus alia de illis *in vniuersum*, alia *speciatim*, valent.

## CAP. I.
### *Vulnera in vniuersum.*

DCCCCLXXXIII.

Vulnus in genere *vocatur* recens continui solutio a causa mechanica, cito inducta, vt plurimum hians ac sanguinem fundens. Vulnera enim punctim inflicta, instrumento rotundo praecipue, haud dilatantur, nec partes laceratae, et exsangues cruorem fundunt.

DCCCCLXXXIV. Omnis vulneris *principium* est cohaesio partis solidae a qualicunque causa mechanica superata. *Causa* vel est

a) cor-

a) corporis mechanice laedentis, duri, acuti, ſcindentis, pungentis, obtuſi, in corpus humanum actio.

b) vel reciprocus corporis in tale inſtrumentum impetus,

c) vel tenſio violenta vndecunque nata.

DCCCCLXXXV. Varia vulnera in vniuerſum accipiunt *nomina:*

a) ab *inſtrumento laedente*, inciſa, caeſa, puncta, contuſa, lacerata, ſclopetaria, venenata.

b) ab ipſius vulneris *indole*, parua, magna, ſuperficialia, profunda, penetrantia in cavum quoddam, non penetrantia, cet.

c) a *figura*, recta, curua, transuerſa, obliqua, aequalia, inaequalia.

d) a *parte laeſa*, arteriae, venae, nerui, capitis, pectoris, abdominis, viſceris, cet.

e) a *ſymptomatibus*, ſimplicia, complicata, leuia, grauia, periculoſa, inſanabilia, lethalia.

DCCCCLXXXVI. Vulneris *diagnoſis* generalis eruitur ex *ſignis*

a) *ſenſualibus* et

b) *rationalibus.*

DCCCCLXXXVII.

DCCCCLXXXVII. *Signa ſenſualia* viſui tactuique ſeſe offerunt: viſus plagae extenſionem externam et, comparato cum eadem inſtrumento atque aegroti ſub laeſione ſitu, profunditatem, vti quoque liquidum e vulnere effluens laeſionis indolem declarat. Haec ſigna in vulneribus inciſis vt plurimum ad dignoſcendam laeſionis indolem ſufficiunt. Tactu ſtatus labiorum vulneris, ejus directio et profunditas, ac partium denique vicinarum ratio deprehenditur; quae operatio vulneris *exploratio* dici ſolet.

DCCCCLXXXVIII. *Exploratio* vulneris mox inflicta laeſione optime inſtituitur, antequam tumor inflammatorius accedat, nunquam niſi vrgente neceſſitate inſtituatur; ſi vero indicetur, vnica eaque attentiſſima ſufficiat, cum omnis corporis alieni in vulnus immiſſio irritationis effectus vt augeat neceſſum ſit, rudis vero contrectatio inflammationem, ſanguifluxum, auctam ſuppurationem et alienas in celluloſa vias inducere poſſit. *Perficitur* exploratio, ſi ambitus vulneris hoc admittit, ſeu praegreſſa hujusdi latatione, ope *digiti* albumine oui vel oleo blando imbuti; in minoribus *ſpecillo* immiſſo. *Specillum argenteum* haud nimis tenue, apice nodato, leui manu, quantum res concedit, in eo, quo violentiam paſſus eſt aeger, ſitu, caute immittitur. *Specilla flexilia* e pinna balaenae, cornu, reſina ela-

elaſtica, corio, confecta explorationem non niſi obſcuriorem admittunt atque inflexam vulneris viam haud ſemper ſequuntur.

DCCCCLXXXIX. Signa *rationalia* vulnerum in vniuerſum ex notione anatomica, functionibus laeſis perſpectis et ſymptomatibus praeſumuntur.

DCCCCXC. Vulnerum *prognoſis* in vniuerſum ſcrupuloſiſſimam requirit attentionem

*a)* ad vulneris *indolem*, an inciſum, contuſum, punctum, ſclopetarium, venenatum, fuerit.

*b)* ad *partes laeſas* nobiliores vel ignobiliores, arteriae, venae, nerui, carnis, ligamenti, organi, viſceris, cet., ſubſtantia aut deperdita aut non deperdita.

*c)* ad *conſtitutionem* aegroti, vtrum habitus corporis laxus an ſtrictus, obeſus, an macilentus, ſanus an valetudinarius, vel cum acrimonia quadam humorum junctus fuerit.

*d)* ad *aetatem* variam, infantilem, virilem, ſenilem.

*e)* ad *locum*, quem *inhabitet*, aeger, an in ſalubri vel nociua atmoſphaera, e. g. noſocomio, degat.

DCCCCXCI.

DCCCCXCI. Omnibus his rite perpenſis *praeſagiendum* erit

*a*) de vita aut morte aegroti.

*b*) de ſanatione poſſibili, impoſſibili, integra, partiali, facili, difficili, cita, tarda.

*c*) de effectu a vulnere futuro, v. g. tabe, inſenſilitate, immobilitate, figura laeſa, cet.

DCCCCXCII. Vulnerum *ſanatio* in vniuerſum *naturae viribus*, principii vitalis energia abſoluitur

*a*) aut, ad primam, vt dicunt, indicationem, ſi immediata labiorum vulneris conglutinatione facta, vaſa prolongantur et ſanatio absque ſequenti ſuppuratione ſuccedit.

*b*) aut, ſi, ſuppuratione facta, vulnus in vlcus mutatum fuerit, ſubſidentia labiorum vlceris, papillularum carnearum propulſione, cutis de peripheria ad centrum lenta productione, quo facto cicatrix denique inducitur.

Omnia haec non niſi vaſorum allongatione ac nouae ſubſtantiae generatione fieri poſſe, excreſcentiae variae, ſubſtantiae deperditae reſtitutio, fracturarum ſanatio, ac injectio denique calli ac cicatricis inter alia docere videntur.

DCCCCXCIII.

DCCCCXCIII. Ad vulnerum ſanationem in vniuerſum *ars* nihil aliud facit, quam vt remoueat impedimenta, quae ſanationi obſtare poſſunt, quod efficitur,

*a*) exacta *labiorum* vulneris ad ſe inuicem *adductione*, et diligenter proſpiciendo, ne contactus eorundem mutuus interrumpatur. Adductio labiorum vulneris ſimplicis, in illis quoque haud negligenda erit, haud ad primam indicationem reuniendis, cum ſanatio inde mire acceleretur.

*b*) variorum *irritantium* externorum ac internorum conueniente *auerſione*, prohibitione. Omne igitur vulnus cito et, quantum res concedit, raro deligandum; aëris acceſſus vitandus; de puris, ſanguinis abſterſione abſtinendum; corpora aliena obuia elutione, injectione, extractione auferantur; motus partis laeſae, omnia irritantia, prementia qualiacunque prohibenda, primae viae ſordibus irritationem aucturis liberanda, humorum dyſcraſiae conuenienti therapia occurrendum.

*c*) ſymptomatum conuenienti therapia, quae omnia in ſpecialiori vulnerum pertractatione vberius patebunt.

DCCCCXCIV.

DCCCCXCIV. Haec quidem de vulneribus *omnibus* valent; reliqua variant prout vulnus vel ſimplex vel complicatum eſt. Vnde jam exponenda veniunt, quae *ſimplicibus* ſunt communia, deinde ad *complicata* progrediendum.

## *Vulnus ſimplex.*

DCCCCXCV. Vulnus vocatur *ſimplex*, quod in corpore ſano inſtrumento puro ſecanti debetur, nullis grauibus ſymptomatibus premitur et nil niſi reunionem deſiderat.

DCCCCXCVI. Cujuslibet vulneris ſimplicis indiuidui *comites* ſunt

a) *dolor* ſub diuiſione ipſa notabilior, deinde miteſcens, ex diſſolutis, tenſis, denudatis, irritatis fibrillis nerueis, cutaneis praeſertim ortum ducens;

b) *labiorum hiatus*, in vulneribus transuerſis major quam in eis, quae ad longitudinem inflicta; elaſtica cutis retractione ac muſcularium fibrarum actione inductus;

c) modicum *ſanguinis profluuium* a ſoluta vaſorum ſanguiferorum integritate proueniens, ſalutare eſt et ſponte ceſſans, dum vaſa coarctata coagulo, quod vulneris frontem quoque obtegit, obturantur, ſero cruento tunc transſudante;

*d*) labiorum vulneris *tumor inflammatorius* poſt ſuppreſſum ſanguinis fluxum ex ſtimulo praegreſſae violentiae et ſanguinis impedito tranſitu naſcens, non raro, pro ratione vulneris et ſubjecti, altero vel tertio poſt laeſionem die febriculam conſenſualem (CCCCLII.) ſecum afferens; hic tumor vel ſponte *reſoluitur*, vel, ſi labia hiantia conglutinationem citiſſimam haud admittunt, ſuppurationem ſubibit, in quo tamen caſu non amplius vulnus, ſed vlcus vel abſceſſus adeſt.

DCCCCXCVII. Vulneris ſimplicis *prognoſis* illaetabilis eſſe nequit, quum omne periculum a complicatione pendeat.

DCCCCXCVIII. Ad *curationem* vulneris ſimplicis quod ſpectat, ſola *reunio* hic indicatur, medicatricibus naturae viribus praeſtanda, variis tamen *auxiliis*, *ſymptomata* et alia *obſtacula* conglutinationis *remouentibus*, adjuuanda.

DCCCCXCIX. *Labia vulneris hiantia*, variis *auxiliis externis*, aut vnico, aut pluribus junctis ad ſe inuicem *adducuntur* ac *retinentur*;

*a*) *ſitu commodo*,

*b*) *faſciis vnientibus variis*,

*c*) *emplaſtris*,

*d*) *ſutura.*

Quae-

Quae tamen remedia in vulneribus contuſis, laceratis, venenatis aliisque complicationibus, vel vbi ſuſpicio corporis alieni haud mox auferendi adeſt, vix vnquam cum ſpe ſanationis absque ſuppuratione ſequenti adhibentur. Neque tentetur reunio vulneris ad primam indicationem, niſi haemorrhagia ſedata, et coagulo ſanguinis, vel corpore alieno ſi adfuerit, e vulnere leniter eluto, vel ablato vt exactus labiorum vulneris contactus nullo corpore alieno intercipiatur.

M. *Situs* reunioni vulnerum, transverſorum ſeu obliquorum praecipue, maxime favens in vniuerſum talis eſſe debet, quo partes laeſae laxentur, vulnerisque labia proxime ſe attingant, vnde ad modum vulneris nunc flexio nunc extenſio, nunc decubitus ſupinus, nunc pronus, nunc inflexio aliqualis lateralis requiritur. Haud ſufficit tamen partem laeſam in ſitu idoneo poſuiſſe, ſed in hoc ſitu faſcia quoque idonea, pro ratione partis laeſae ad eandem placide ſuſtinendam, adhibenda eſt.

MI. Orae vulneris *faſciis* ad ſe inuicem adduci ac retineri poſſunt, ſi vulnus ad longitudinem corporis ſeu oblique paululum inflictum fuerit. Inter faſcias huic ſcopo adaptatas principales ſunt *faſcia vniens* ac *faſcia expulſiua*. *Faſcia vniens* circularis duobus capitibus, in media parte

fiſſa eſt, per quam fiſſuram vulneri impoſitam vnum caput perducitur, attractis deinde capitibus faſciae partem laeſam circumdantibsu, vulneris labia ad ſe inuicem adducuntur, ac eadem faſcia retinentur, quae tamen haud nimis arcte conſtringatur. Commodius adhibetur *faſcia vniens filis* ſe excipientibus *praedita*, vtpote vulnus haud obtegens. Profundiora vulnera ſpleniorum vel lintei carpti, infra faſciam lateralem impoſitionem, quibus fundus vulneris comprimi queat, ſimul requirunt. *Faſcia expulſiua* in vulneribus obliquis, punctis, ad viciniam oſſis decurrentibus, vbi integumentorum panniculus pro parte ſeparatus fuerit, cum vtilitate adhibetur; educto nempe in anteceſſum leni preſſione ſanguine, ſplenium, ſeu linamentum in ſuperficiali vulnere tenue, in profundiore craſſius, ad fundum ejus imponitur, quod faſcia circulari de parte inferiori vsque ad externum vulneris orificium adſcendente leniter adprimitur. Aequali tali compreſſione parietes vulneris ad ſe inuicem adducti vniri poſſunt.

MII. Vulnera ſuperficialia cutanea, *emplaſtri* adhaeſiui ope, in telo lineo craſſiori tenuiter extenſi reuniri poſſunt. Figura talis emplaſtri ad rationem loci ac profunditatis vulneris variae magnitudinis, in vniuerſum extremis latioribus, parte media vulneri incumbente anguſtiori, eſſe

debet;

debet; quod abrasis crinibus, cessante sanguifluxu, adductis rite vulneris labiis illi imponitur, quo orae in situ idoneo retineantur. Notandum tamen: talia emplastra a qualicunque humiditate, lacrymis, saliua, sanguine, sudore, remediis externis humidis, vti quoque barba crescente, facile solui, quo facto scopus vnitionis haud attingitur, dum vulneris margines iterum secedunt. Pro reuniendis vulneribus paruis telum sericum adhaesiuum anglicanum satis commode inseruit.

MIII. Ea operatio chirurgica in vniuersum dicitur *sutura*, qua vulnerum vnitio acus ac fili ope instituitur. *Acus* variae ad modum vulneris magnitudinis, incurua, circuli partis figuram aemulans, absque manubrio recto, acuta, ad tertiam longitudinis partem et maximam latitudinem anceps, laeuigata, nulla rubedine exesa, plenior quam filum, quod illa trahit, esse debet; *filum* sit planum ex pluribus linis cera nexis compositum.

MIV. Inter varias suturas pro vulnerum reunione adhibitas hodierna retinuit chirurgia

a) *suturam interscissam*,

b) *gastroraphiam*,

c) *suturam intestinalem* et

d) *suturam circumflexam.*

De

De poſterioribus ſub alio titulo agetur, de priori pauca jam veniunt monenda.

MV. Ipſa *ſutura* interſciſſa ſequenti *encheireſi inſtituitur*: ablatis in anteceſſum e vulnere ſordibus aliisque alienis, abraſis crinibus, ſi adfuerint, orae ejus impoſitis vtrinque manibus adjuuantis, ſeu digitis chirurgi ad ſe inuicem adducuntur; acus tunc filum excipiens, aliquali de margine vulneris diſtantia, eo majori quidem quo profundius vulnus, ab exteriori parte, infra diuiſionem, per alteram oram ab interiori ad exteriorem partem, pollice ac indice chirurgi tunc reſiſtente cum filo trajicitur. Alii filum duabus acubus praeditum, ſingula per labium vulneris de interiori ad externam partem ducta transmittere malunt, qua ratione tamen inferior vulneris pars minus exacte jungi poſſe videtur. Si longitudo vulneris plures ligaturas poſcit, eodem modo aliud filum pollicis circiter a priori diſtantia trajicitur; fila denique, medium quidem primo, adductis vulneris labiis, leniter in nodum ſimplicem, ac deinde in mobilem, qui accedente tumore inflammatorio ſub rupturae cutis periculo facile iterum ſolui queat, connectuntur; nec ſitus (M.), emplaſtra (MII.), faſciae (MI.), ad ſuſtinendum nexum negligantur. Si angulatum fuerit vulnus, angulum comprehendere debet ſutura prima.

MVI.

MVI. Sutura rite peracta labia vulneris, angulati praecipue, interdum quidem ad primam, vt dicunt, indicationem absque ſuppuratione ſequenti coaleſcere poſſunt; haud diſſimulandum tamen: ſitum conuenientem, quietem, emplaſtra, faſcias, regimen atque attentam aegrotorum vberiorem curam, ad reunienda vulnera vt plurimum ſufficere; ſuturam vero, ob puncturas, irritationem perennem, inflammationem, ſuppurationem, cutis disruptionem ſaepiſſime nocere, et opportunitatem ſuturae inde rarius occurrere.

MVII. *Symptomata* vulnerum ſimplicium methodo ſimpliciſſima *auertuntur* vel *ſedantur. Dolorem* corporum alienorum irritantium ablatio, prohibitio, ſitus partis laeſae mutatus, cataplasma anodynum, ſedare ſolent. Linteo carpto ſicco, nitido obtegatur vulnus ſimplex, margines, ne illud adhaereſcat, pingui quodam blando illinentur, emplaſtrum adhaeſiuum abraſis, ſi adfuerint, crinibus, ne decidant applicata, ſuperinjiciatur, leuis compreſſio, faſciae circularis ſeu contentiuae modice adſtrictae ope, accedat, omnia cujusuis generis irritantia vitentur, rara denique deligatio ad perfectam conſolidationem continuetur. Si ſub deligatione vulneris ſ. vlceris linteum carptum margini firmius adhaereat, ſemper ſpongia aquae tepidae imbuta emolliendum erit vt irritatio nociua auertatur. *Sanguifluxum*

*fluxum* e vulnere ſimplici ſua ſponte, vti ſolet, non ceſſantem linteum carptum molliter adpresſum facile ſupprimit. *Tumor inflammatorius* raro quidem in vulnere ſimplici obuius, interdum tamen, chirurgiam (CCCCLX ſeq.) expoſitam hirudines praecipue ad margines, vel ipſam vulneris ſuperficiem admouendas, poſtulat. *Febris conſenſualis* pro diuerſa ſubjecti partisque laeſae irritabilitate, ſenſilitate, diuerſae vehementiae, methodo antiphlogiſtica, lenioribus laxantibus, ac denique opiatis tempeſtiue datis egregie infringitur. Vnde etiam poſt operationes chirurgicas, plagam majorem infligentes, vtiliter adhibetur idem hoc remedium. Quodſi ſuppurationem admiſerit, eamque ob cauſam ſaepius renouandam deligationem exigat vulnus ſimplex, ad vlcera ſimplicia referendum eſt.

## *Vulnus complicatum.*

MVIII. Vulnus complicatum *vocatur*, quoties talis adeſt corporis vniuerſi, vel partis vulneratae, vel ipſius laeſionis, conditio, vt a ſimplici illa, quam (MVII.) expoſuimus, medicatione recedendum ſit. Sic cacochymia ſeu cachexia quaecunque, morboſus partis laeſae ſtatus, ſymptomata vulnus comitantia, ſiue neceſſario, ſiue caſu, ſuperueniant, illud complicatum reddunt.

MIX.

MIX. Multiplex inde naſcitur, vulnerum complicatorum *diuerſitas*, quae variis ſymptomatibus accedentibus indicantur: principales complicationes ſunt

*a*) *haemorrhagia*,
*b*) *ſymptomata neruoſa*,
*c*) *contuſio*,
*d*) *praua vulneris figura*,
*e*) *effluxus alienus*,
*f*) *corpus alienum vulneri communicatum*,
*g*) *deperdita ſubſtantia*;

Quae omnia ſigillatim nunc veniunt conſideranda; morboſum corporis ſtatum hic praeterimus, quum ille vulnus in vlcus antea pertractatum transmutet, quod quoque valet de aëre noſocomiorum effluuiis putridis repletorum, qui toties infauſtum reddit aliarum quoque curationum chirurgicarum ſucceſſum.

## *Haemorrhagia.*

MX. Haemorrhagia in vniuerſum *adeſt*, quoties, ſoluta vaſis ſanguiferi integritate, ſanguis ablato fulcro vel extra corpus effunditur, vel in caua ejus colligitur; qui ſtatus quum ex arteriae vel venae laeſione oriri poſſit, harum partium vulnera ſingulatim veniunt conſideranda; cordis vulnera earumque partium, vbi ſanguis in caua majora effunditur, ex vulnerum ſpeciali pertrac-

tatione

tatione patebunt. Commode vero ſanguifluxus *diuiduntur*

*a*) in *paſſiuum*, ſi vaſa ſanguifera a quauis violentia externa diſſoluautur, ac

*b*) *actiuum*, ſi a cauſa interna ſolis naturae viribus integritas vaſorum tollatur.

## *Haemorrhagia a vulnere arteriae.*

MXI. Vulnus arteriae *eſt* integritatis canalis arterioſi a qualicunque cauſa mechanica diſſolutio, quae

*a*) aut *vulneri cutis* partiumque interpoſitarum directe *reſpondet.*

*b*) aut, ob obliquitatem vel indolem vulneris externi, *externe haud patet.*

MXII. *Prius cognoſcitur* ex ſanguinis purpurei, cito coagulabilis, profluio vehementiore cum ſaltu arteriae micantis ſynchrono, preſſione, inter vulnus atque cor admota, coercendo: quae quidem ſigna eo notabiliora ſunt, quo major eſt canalis laeſi diameter, aut quo minus ille a corde diſtat. *Poſterius dijudicatur* abſentia haemorrhagiae externae, ac ſanguinis arterioſi in textum celluloſum, ſeu caua majora effuſione, quae ſuo loco pertractabuntur.

MXIII. *Arteriae minoris laeſio* in cujuslibet partis organicae vulnere ſemper adeſt; ſanguinis

nis ex hac effuſio ſalutaris, nunquam abſque neceſſitate in corpore ſano coercendus, dum dolori, inflammationi, febri efficaciter obſtet, vel ſponte ceſſat, vel chirurgia (MVII.) expoſita facile ſedatur. *Arteriae majoris* autem, *cordiue vicinae*, *vulnus*, ex anatomica notitia, et characteriſticis ſuis ſignis (MXII.) noſcendum, tantam breuiſſimo temporis ſpatio parit ſanguinis jacturam, vt inde ſumma debilitas, oculorum obfuſcatio, tinnitus aurium, frigidus extremorum, faciei, totius corporis ſudor, pulſus celerrimus, tremulus, debiliſſimus, ſyncope, conuulſio, ipſa denique mors inferatur; in illis vero, qui poſt grauiſſimam haemorrhagiam euadunt, inſanabilis interdum debilitas remanet.

MXIV. *Arteria minor transuerſim diuiſa*, proprio *elatere ſeſe retrahit*, *oſtium* ſanguinem fundens lente *conſtringit*; vnde ſaltus ſanguinis ſenſim minuitur, denique coagulo cruoris tardius effluentis *hiatus occluditur*, et ipſe canalis, humore irruente non amplius extenſus, marceſcit et coaleſcit. Arteriam transciſſam tamen abſque futura functionis notabili laeſione, vel ſuppreſſo tranſitu, iterum coire poſſe, docet arteria temporalis transuerſim diuiſa, cujus pulſatio, ſanato vulnere, denuo interdum ſentiri poteſt. Rariſſime hoc in arteriis majoribus a corde minus remotis, medicatricibus naturae viribus ſuccedit;

haud

haud desunt tamen exempla, vbi sanguifluxus a majoris arteriae vulnere e. g. axillaris, solis naturae viribus, in aëre frigidiore, sub exacta quiete, syncope seu terrore, suppressus fuerit. Neque naturae conatus dicti semper sufficiunt ad claudendam arteriam ex parte tantum dissectam, vel in canale osseo inclusam, vel membranam firmam penetrantem, vel ob rigiditatem vel ossificationem contrahi nesciam, vnde tales laesiones grauiorem semper haemorrhagiam inducunt.

MXV. Ex dictis adparet, vulneris arteriae *prognosin* pendere a canalis laesi diametro, ejus a corde distantia, ratione vulneris, quantitate sanguinis emissi, viribus denique ac constitutione aegroti. Vulnera arteriae cujusdam incisa, majorem sanguinis copiam fundunt, quam contusa, aut lacerata; in profundo vulnere haemorrhagia grauior quam in superficiali, in hoc enim aër externus ad vasis coarctationem atque cruoris inspissationem aliquid confert. Vbi dissolutio sanguinis e. g. in febribus malignis, a scorbuto, cachexia varia, venenis adest, non solum ominosa sanguinis tenuissimi ex minori arteria jactura induci, sed saniosus quoque sanguis absque vulnere, de auribus, oculis, naribus, ore, vtero, intestinis, renibus, de cute vesicantibus erosa, vlcerum superficie, aut cum vrina, aut sudore non coercendus, ob defectum forsan vel vitium lym-

phae

phae coagulabilis erumpere poteſt. Corporis quoque mentisue agitatio, primarum viarum ſordes, colluuies inprimis biliofa, ac febris conſenſualis accenſa, vti inflammationem inducere, ita quoque haemorrhagiam augere ac renouare valent; quae etiam de congeſtionibus ſanguinis localibus ac ſpasmis valent. Corpora aliena in vulnere relicta ſanguifluxum interdum et ſupprimere, interdum ſuſtinere poſſunt. Si membri cujusdam princeps arteria ſauciata fuerit, nec rami a latere emergentes, ad adducendum ſanguinem ſufficiant, haemorrhagia quidem interdum circumſtricto filo ſedari poteſt, intercepto vero circulo, vita et calor in toto membro extinguuntur: quod tamen in artubus rariſſime accidere, ſed ramos collaterales, lente dilatatos, pro vita membri ſufficere et notitia anatomica et experientia docet.

MXVI. Vulnus arteriae, plagae exterae non directe reſpondens, ſanguinis arterioſi in telam cellulofam effuſionem limitatam vel illimitatam, totuplicem aneurysmatis ſpurii ſpeciem, vel in alia caua accumulationem parit, ſub chirurgia aneurysmatis pertractandam.

MXVII. Vulneris arteriae *curatio*, niſi ſolius naturae vires (MXIV.) expoſitae ſuffecerint, arte praeſtanda, deſiderat profluentis ſanguinis arterioſi certam ſuppreſſionem vulnerisque deinde

con-

consolidationem ad genium atque indolem morbi instituendam.

MXVIII. *Haemorrhagiae suppressionem faciliorem reddunt*

*a*) *imminutio massae sanguinis* ad animi deliquium vsque, aut ex ipsa arteria laesa si vulneri cutis partiumque interpositarum respondeat, vel e vena secata, qua nempe copia humorum in arteriam irruens ejusque contractionem impediens minuitur, vires vitales, illum impetum suffulcientes franguntur, sanguisque lentius jam motus ad coagulationem disponitur.

*b*) *animi corporisque quies* exacta.

*c*) *regimen frigidum.*

MXIX. Interdum a terrore, syncope vel remediis adhibitis sedata haemorrhagia, accedente febri consensuali, aucta deinde vehementia recrudescit; talis haemorrhagia secundaria quoque a spasmo, subsultu membri laesi, relaxatione partium locali, generali, vel sanguinis dissolutione putrida, scorbutica oriri potest. Interdum magna sanguinis copia ex omni puncto vulneris, exigui et superficialis quoque, diu transsudare potest.

MXX. Ipſa *haemorrhagia ſiſti* poteſt

*a*) *compreſſione arteriae ſupra laeſionem.*

*b*) ipſius *vulneris compreſſione.*

*c*) *cauterio.*

*d*) *medicamentis externis.*

*e*) *diſſectione integra.*

*f*) *ligatura.*

MXXI. *Opportunitas arteriam* laeſam ſupra laeſionem h. e. ad partem cordi propiorem *comprimendi* tunc potiſſimum occurrit, ſi arteria verſus os vicinum adprimi, et influxus ſanguinis inde coerceri poteſt. Ita arteria temporalis ad cranium, ſubclauia arteria ad ſuperficiem ſuperiorem prioris coſtae, axillaris ad inferiorem partem colli humeri, brachialis ad interiorem mediam partem humeri, radialis ad inferiorem partem radii inguinalis ad oſſis pubis marginem, cruralis ad mediam interiorem partem femoris, poplitaea ad inferiorem et poſteriorem femoris ſuperficiem, comprimi poteſt.

MXXII. *Ipſa compreſſio* perficitur, aut pollicis miniſterio viri prudentis, fortis, atque conſtantis, aut proprio torculari ſeu machina contortili, quibus glomera, ſplenia graduata, puluinaria, vel ſi deficiunt alia faſcia circularis rite inuoluta, ad truncum arteriae adprimi, atque haec vel coarctari vel plane comprimi poteſt.

MXXIII.

MXXIII. Ad ſiſtendam haemorrhagiam adaptata *machina contortilis*, aut totum membrum conſtringit, omnesque arterias et venas comprimit, totalem circulum ſanguinis infra preſſionem intercipit, ac neruorum preſſione ſimul ſenſilitatem aufert, aut truncum arteriae ſolum premit, ramos intactos linquendo, eademque ita eſt comparata, vt absque alterius miniſterio in ſitu ſuo per ſe ipſam ſuſtineri poſſit, quae e metallo confecta ſunt torcularia, ligneis vtique praeferenda ſunt, cum hae, a qualicunque humiditate difficilius moueantur. Maxima tamen in vniuerſum chirurgi prudentia in adhibendo torculari opus eſt, cum in faſcia adſtrictiori ſtuporis et gangraenae, in laxiore nouae profuſionis periculum immineat. Hinc nunquam niſi breui tempore adhibeatur torcular, dum alia ad cohibendum ſanguinem parari poſſunt, aut laxe circumdetur faſcia, qua, vrgente neceſſitate, conſtringi poſſit membrum, ac ſanguifluxus ſedari.

MXXIV. Laeſae *arteriae compreſſio* in ipſo laeſionis loco inſtituenda eſt vel *vniuerſalis* vel *localis*. *Vniuerſalis* inſtituitur, quando ſanguis ex multis minoribus vaſis in ſuperficie vulneris prorumpit; perficitur linteo carpto vel raſo, ſicco vel remedio adſtringente v. c. ſolutione concentrata vitrioli coerulei impraegnato, quo vulnus firmiter impletur, manu, vel faſciae idoneae ope

deinde

deinde adprimendo. *Localis* compreſſio ad vnum aliquem locum, vbi ex arteriae vulnere ſanguis prorumpit, dirigenda, inſtituitur glomeribus firmis, e linteo carpto, ſeu ſpleniis gradatim majoribus, ſeu fruſtulis agarici quercini, ſpongiae ceratae vel compreſſae, inter ſe junctis, coni figuram, variae ſecundum profunditatem arteriae comprimendae magnitudinis, referentibus, cujus apex ad arteriae vulnus, manu vel faſciae caute adſtrictae, vel inſtrumentorum idoneorum ope adprimitur. Talis compreſſio arteriarum, quae ad oſſa decurrunt, haud difficili negotio peragitur, v. c. arteriae temporalis, frontalis, occipitalis, maxillaris externae, radialis cet: ſymptomata ex compreſſione partium faſcia conſtrictarum naſcitura, totius membri inuolutio (XCVII.) faſcia circulari, juxta artis regulas inſtituenda, optime auertit, haud neglecta ſimul congrua arteriae ſanguinem aduehentis compreſſione (CLXXXIX.), qua impetus humorum partem laeſam petentium commode infringitur. Profundioris, in majore ab oſſe quodam diſtantia, arteriae laeſio, in anteceſſum vulneris externi exigui dilatationem poscit, vt aditus ad ipſum vulnus arteriae comprimendum pateat. Negandum tamen haud eſt, compreſſionem talem arteriae inter partes molliores latentis, ob compreſſionem vaſorum collateralium vix auertendam, ob irritationem vul-

neris, retropressionem partium mollium, dissolutionem cellulosae, ob metum denique recrudescentis haemorrhagiae a mutato coni comprimentis situ, variis premi incommodis; inde vbi ob majoris arteriae vulnus compressio adhibetur, torculari, si locus hoc concedat, membrum laxe circumdetur, quo, vrgente sanguifluxu, arteria mox constringi queat.

MXXV. Ferrum candens seu *cauterium* vulneri arteriae admotum, certe sanguifluxum supprimit, soluta vero praemature eschara, vel incauta lintei carpti ablatione, vel si ob momentaneum attactum eschara ferro candenti adhaeret, aucta vi recrudescit haemorrhagia, quo facto vas laesum ob deperditam substantiam difficile ligari poterit. Neglectam hoc auxilii genus tamen, in profundissimae arteriae, vel in canali osseo inclusae, laesione adhiberi, ferrum candens per cannulam inuolutam adplicari, et praematura escharae solutio leni compressione ac prudenti regimine auerti poterit.

MXXVI. Inter *medicamenta externa*, sanguinis fluxum coercentia, minori adhuc cum securitate adplicantur varia *caustica*, cum lentius escharam inurant, et dissoluta per superficiem vulneris se extendant. Agarico praeparato, lycoperdo, et omnibus fere fungis communis est in continendo sanguine aliqualis facultas, styptica tamen

tamen virtute deſtituuntur, et vix, niſi compreſſione (CLXXXIX.) adjuti, haemorrhagiam ſiſtunt: fruſtula tamen, laeui facie, praeciſſae arteriae commode objiciuntur, cum absque irritatione, exacte inaequalitates implendo, vulnus vaſis obtegant. Sanguifluxum ex minoribus vaſis puluis gummi arabici, albi, pellucidi, vel colophonii vulneri aut plumaceolis inſperſus ſedare ſolet. Frigida ſaepius admota, ſpirituoſa rectificata, acida vegetabilia vel mineralia diluta, alumen, vitriolum, aliaque plus minus quidem irritant, ſanguinem coagulando tamen ac vaſa conſtringendo raro ſola ſaepius preſſione aliquali adjuta juuant. Nec inter nouiora ſpecifica hucusque remedium exſtat, quod cum ſecuritate, ſolum, absque irritatione aut preſſione ſanguinem cohibeat.

MXXVII. Majoris *arteriae* laeſae *totalis tranſciſſio* vix certo aliquo ſigno dignoſcitur aut ad ſiſtendam haemorrhagiam cum ſecuritate inſtituitur, cum retractis extremis, haud ceſſante ſanguifluxu, ligatura difficilius ſuccedat, et in minoribus preſſione coercendis vel vbi ligatura conceditur, ſuperflua merito habetur.

MXXVIII. Certiſſimum contra haemorrhagiam á laeſa arteriae praeſidium poſitum eſt, in *ligatura*, qua arteria circumducto filo conſtringitur. Duo ſunt ejus inſtituenda modi,

 *a*) prior

*a*) prior arteriam laeſam vna cum partibus adjacentibus conſtringit,

*b*) alter ſolam arteriam comprehendit.

MXXIX. Ad *priorem ligaturam perficiendi modum* linum ceratum ex pluribus filis compoſitum (MXXIV.) acu admodum curuata, congrua, ſuperficie ejus concaua ad arteriam reſpiciente vel vnica circumductione traducitur, vel ad latus ejus de inferiori ad ſuperiorem partem, et deinde de ſuperiori ad inferiorem alterius lateris, tali modo ad imas partes dimittitur. vt duas circiter partes arteriae, vna cum circumjacente aliquali carne ac celluloſa, filo comprehendantur; quo facto filum ad arteriam adpresſum duplici nodo firmiter adſtringitur, idemque denique, poſtea linteo inuoluendum, pollicis fere de nodo diſtantia transſcinditur. Haec tamen ligaturae ratio variis premitur periculis, filum etenim partibus conſtrictis ſulcum imprimendo facile laxatur; carnes filo laceſſitae diducto vinculo retrahi poſſunt; deuinctis carnibus ſerius decidere ſolet ligatura varias moleſtias inducens; nec raro ligatis cum arteria partibus vicinis, neruoſis praecipue, grauior dolor, inflammatio, febris, conuulſiones cum vitae diſcrimine accedunt, neceſſitatem transſciſſionis fili vel ſtrictioris ligaturae inducentes.

MXXX.

MXXX. *Altera ligaturae ratio* ea eſt, qua ſola arteria absque partibus vicinis conſtringitur. Vas nimirum forcipe minori, quali ad diſſectiones vtimur, ſeu hamulo proprio hunc ad ſcopum confecto lente et caute attrahitur; quo facto arteria laeſa lino latiori ex pluribus filis confecto circumdatur, et filum nodo ſimplici modice conſtringitur, ac extremum fili denique ſi locus hoc concedit mediante acu parua ante ligaturam per mediam arteriam traducitur, et altero nodo duplici firmatur. Hic ligaturam adhibendi modus nulla ſymptomata inducit, ac haemorrhagiae efficaciter obſtat; haud vero inſtitui poteſt, niſi ad arteriam laeſam aditus ſatis pateat, vel dilatato vulnere externo parari poſſit. Quo citius ligatura arteriae laeſae inſtituitur, eo facilius ſuccedit, cum inſequens tumor vulneris inflammatorius operationi mire obſtet. Metus laeſionis arteriae a modice conſtricto filo latiori, experientiae haud inniti videtur

MXXXI. In vulneribus arteriae majoris profundius inter partes molliores ſitae, vix compreſſio (MXXIV.) cum ſecuritate tentatur, ſaepiſſime ſequitur haemorrhagia ſecundaria (MXXV.) omnino ligaturam *poſcens* arduam ſaepe atque difficilem. Hic ſtatus ſemper, injecto torculari, magnam externi vulneris dilatationem poſcit, arteriaeque cautam denudationem,

qua

qua facta, ſoluto torculari, vulnus arteriae ſaepiſſime in conſpectum venit, ad quam tunc, ad methodum in aneurysmatis chirurgia exponendam, ligatura ſubducto filo inſtituenda erit. Vulnus arteriae in vniuerſum facilius detegitur, in aneurysmate ſpurio, quam in vulnere arteriae ſimplici ſanguine libere effluente, abſente coagulo.

MXXXII. *Apparatus ſanguinem coercens* in vniuerſum ſub abſoluta membri laeſi quiete et conuenienti mentis corporisque regimine, niſi ſuppuratio aut putredo accedens obſtent, vel aliena ſymptomata vrgeant, *intactus relinquitur*, donec vulnus arteriae perfecte conſolidatum ſit, haecque vel cum partibus vicinis preſſione condenſatis firma cicatrice concreuerit, vel ſaltem, ſanguine jam per ramos collaterales dilatatos liberam viam conſecuto, plane collapſa demum coaluerit.

MXXXIII. *Sanguis* laeſa arteria *haud externe effluens* aut aneurysma parit, morbum ſpecie multiplicem, euentu ancipitem, mox pertractandum; vel in caua majora corporis effunditur cruor, cujus morbi ratio in ſpeciali vulnerum pertractatione vberius patebit.

*Aneu-*

## *Aneurysma.*

MXXXIV. Aneurysma in vniuerſum *dicitur* tumor morboſus a ſanguine arterioſo exortus: diuiditur autem in quatuor ſpecies,

*a*) *verum*,
*b*) *ſpurium*,
*c*) *mixtum*, et
*d*) *varicoſum*.

MXXXV. Aneurysma *verum eſt tumor* a ſanguine arterioſo, tunicis arteriae integris adparentibus. Vnde immerito ad morbos a ſolutione continui oriundos referri videtur, et potius ad cyſtides incompletas pertinet: at aeque injuſte a reliquis ſpeciebus diuulſeris, cujus principium quoque poſitum eſt in cohaeſione tunicarum adeo imminuta, vt non ſolum ſanguinis impulſui debitam reſiſtentiam opponere nequeant, hincque violentam expanſionem ſubeant, verum etiam facile rumpantur. Praeterea hi morbi quoad diagnoſin, prognoſin ac therapiam multa habent communia *Aneurysmatis veri cauſae* eſſe poſſunt, quae arteriae tunicas debilitare, ſanguinisque impetum in arteriam debilitatam augere poſſunt, ſicut diſtenſiones, contuſiones, fracturae, vlcera, niſus vehementiores, vomitus, tuſſis, ſuppreſſio haemorrhagiarum conſuetarum, et congenita denique alicujus arteriae ſeu totius generis arterioſi debilitas.

MXXXVI.

MXXXVI. *Aneurysmatis veri differentias*, quod attinet, cum hoc malum occurrere possit, vbicunque arteriae adsunt majoris diametri, in minoribus vero rarius obseruetur, recte illud dispescitur in *externum* et *internum*. Inter externa ea sunt frequentissima, quae ad popliteam arteriam occurrunt; porro aut totum arteriae ambitum aequabiliter destendit, aut vno solummodo latere herniosum quasi tumorem praebet; aut tumorem limitatum format, aut illimitatum ad longitudinem arteriae ita extensum, vt finis ejus vix distingui possit. In nonnullis denique vnicum aneurysma, in aliis, ob peculiarem systematis arteriosi habitum, plures tumores aneurysmatici occurrunt. In vniuersum, vbi aneurysma a sola causa interna exortum adest, systematis arteriosi totius labem suspicari licet.

MXXXVII. *Externum noscitur* ex tumore ad arteriam sito, plerumque post illatam quandam injuriam oborto, figura ouato vel cylindraceo, plus minus circumscripto, ex paruo colliculo lente insurgente, basi vt plurimum larga praedito, cutis colorem vix mutante; paruus tumor pressioni cum aliquo strepitu cedit, idemque cessante pressione redit, et arteriae pulsum refert, pressa quoque supra tumorem arteria euanescit, morbus sensim augetur; major autem tumor coaguloque repletus, tunicis arteriae incrassatis, sensum

ſum formicationis creat, preſſuque non imminuitur, pulſus infra tumorem paruus, debilis eſſe ſolet. A tumoris preſſione ad partes vicinas varia ſimul ſymptomata irritationis, ſuppurationis, cariei, corruptionis induci poſſunt. *Aneurysmatis* autem *veri interni diagnoſis*, niſi tumor, pulſans aut tremulus, extus ſentiri poſſit, incerta eſt atque ambigua, quum reliqua ſigna, pulſus inaequalis, debilis, cordis partiumque vicinarum palpitatio, dyspnoea, tumor faciei et brachii lateris adfecti, ex multis aliis cauſſis natales ducere queant.

MXXXVIII. Aneurysma *ſpurium eſt* tumor à ſanguine arterioſo, per vulnus arteriae extra ejus tunicas in communem celluloſam circumjacentem, vel in propriam canalis tunicam celluloſam, effuſo. Cujus *principium* itaque eſt vera ſolutio continui, a cauſſa, quae omnes arteriae tunicas disrumpere, diuidere vel perforare valet, inducta, quorſum referri poteſt vulnus, venaeſectio improuida, fractura, arteriae ruptura a tenſione violenta qualicunque, ſaltu, tuſſi, ſternutatione, onerum geſtatione, contorſione, conuulſionibus, inſufficiens vulneris arteriae vel indirecta compreſſio, aut compreſſionis praematura ablatio.

MXXXIX.

MXXXIX. *Distinguitur aneurysma spurium* in internum et externum. Alia hic porro datur distinctio in *limitatum* et *non limitatum.* Aneurysma spurium limitatum oritur, vbi sanguis arteriosus e paruo vulnere vel propter vulneris angustiam, vel propter fasciarum vim, vel propter vitalis humoris pigritiam, vel propter fortioris membranae seu aponeuroseos resistentiam, minore impetu egressus atque coagulatus, arteriae hiatum obturat, aut in cellulosa arteriae tunica haerens, tumorem oblongum, aut, coagulo lamellatim disposito, subrotundam eminentiam format, dum interim externis inuolucris et partibus superjacentibus cicatrix inducitur. Lentissime interdum augetur haecce aneurymatis species, vnde a nonnullis quiescens seu consecutiuum salutatur. *Non limitatum creat* vehementior sanguinis ex majusculo arteriae vulnere effusio, celluloso textu excepta. Quod quidem aneurysma, si presso pede caussam sequatur, erumpens seu primitiuum dicunt.

MXL. Aneurysma *spurium limitatum noscitur* ex vi praegressa, tumore ad arteriam sito, lentissime aucto, qui, si paruus sit, nuper exortus, molliori pressione reprimitur; postea vero a sanguinis coagulo durescens non cedit pressioni, nec cutis colorem mutat; si paruus est tumor, notabi-

tabiliter pulſat, major vero obſcuriorem micationem refert. Haud limitati diagnoſin alio loco (CLXXX.) expoſuimus.

MXLI. Aneurysma *mixtum eſt* tumor a ſanguine arterioſo exortus, diuiſa alterutra arteriae tunica, integris ſed lente dilatatis reliquis. *Principium* conſiſtit in imminuta ob membranae alicujus laeſionem canalis reſiſtentia; vnde ille, ſanguini propellendo impar, integras tunicas in tumorem expandi permittit. *Cauſſa* eſt, quicquid ſecando, pungendo, cuntundendo, diſtendendo, corrodendo vnam aliquam arteriae tunicam laedere poteſt, vnde aneurysma verum, vna alteraue tunica demum rupta, in mixtum tranſire conſueuit. Aneurysma mixtum citius increſcere ſolet, quam verum.

MXLII. Et hic quoque dantur *differentiae:* etenim vel externa membrana ſuperficialis diſſoluta eſt, ſicut in venaeſectione interdum accidit; vel fibrae, muſculares dictae, lente diducuntur, quod ad arcum arteriarum euenire ſolet, aut interna denique tunica vitio quodam forſan corrodi poteſt. Deinde vel internum eſt vel externum. *Cognoſcitur* autem *aneurysma mixtum* ex tumore ad arteriam, poſt laeſionem qualemcunque lente exſurgente, ſtrictiore vt plurimum baſi praedito, ceterum aneurysmatis veri majoris minorisue ſigna

prae

prae se ferente, prout ipsa laesio vel major fuerit vel minor. Aneurysmatis mixti interni diagnosis aeque ambigua est ac veri interni.

MXLIII. Aneurysma *varicosum*, *venosum*, *varix aneurysmaticus*, *est* venae, ob praeternaturalem cum adjacente arteria communionem, varicosa expansio. Oritur nempe, quando tali vena imprudenter pertusa, instrumentum per hanc in arteriam impingit, omnesque ejus tunicas diuidit, vnde sanato externo vulnere internum remanet, sanguinemque arteriosum in venam transmittit. *Cognoscitur* ex tumore varicoso, inprimis basilicae, ad locum, in quo venaesectio instituta fuit, maximo, tremulo, qui sub pressione digiti strepitum edit et euanescit, neque tamen quando ligatura infra eundem adplicatur, decrescit, arteriamque ipsam in brachio expansam, versus carpum vero angustam, exhibet. Notandum tamen non omnes tumores pulsantes aneurysmaticos judicandos esse, cum varii alii tumores pulsent absque arteriae majoris laesione.

MXLIV. Quoad *prognosin* omne aneurysma in vniuersum periculosum est, quin etiam lethale, nisi artis auxiliis occurri possit malo; pro diuersa tamen morbi specie, sede, gradu, corporisque habitu variat. Verum communiter difficilius

cilius curatur, quam alia ſpecies: eo certius vero medelam reſpuit morbus, ſi plures tumores ſimul adſint, vel ſi arteria in majori diſtantia adfecta fuerit. Quo major tumor, eo grauior morbus, eoque magis ruptura timenda. Aneurysma verum ſeu ſpurium limitatum ſi rumpatur, aut ſpurium illimitatum euadit, cruore in celluloſum ſe effundente; aut haemorrhagia, rupta ſimul cute, accedit, quae, niſi tempeſtiue adferatur auxilium, cito necare poteſt; aut denique aegri, effuſo in cauitate quadam majori ſanguine, pereunt. Praeuidetur externa ruptura aneurysmatis ex maxima tumoris tenſione, prominentia, cutis attenuatione, decoloratione rubra, coerulea, nigricante, rimis ſimul conſpicuis. Varicoſum ſub debita et tempeſtiuā tractatione ſine notabili damno per multos annos tolerari poſſe, obſeruatione compertum eſt. Quoad locum internum qualecunque omnem curam radicalem excludens certam mortem adfert, quamquam varia auxilia palliatiua, venaeſectio, diaeta, regimen, opium, religioſe adhibita vitam ad tempus protrahere poſſunt. Exiguum aneurysma in loco, qui aptam faſciationem continentem ac torcularis aplicationem admittit, expooſitum, riteque tractatum, vitae quidem non nocet; diu autem prouida continuanda eſt cura, ſiquidem non raro poſt multos annos elapſos neglectum malum periculum

culum inducere poteſt. Tali modo ſitum, vt ſanguis torculari coerceri haud poſſit, operationem excludit. Quo altius aneurysma ſitum, eo difficilius rami anaſtomotici lateres, ligata ſeu plane compreſſa principali arteria, dilatantur, difficilius operatio ſuccedit, vti in arteria axillari, inguinali, crurali, poplitea. Spurium naſciturum in loco idoneo ſitum tempeſtiua arteriae laeſae compreſſione praeuertitur. Quoad habitum corporis, robuſti, vegeti, ſani, iuuenes, facilius operatione ab hoc morbo liberantur, cum in his arteriae laterales minus reſiſtentes cordis energia facilius extendantur; in ſenibus, debilibus rarius operatio ſuccedit. In aneurysmate vero et ſpurio haud recenti difficultas circuli ſanguinis per arteriam laeſam jam per aliquod tempus ſubſiſtit, et rami laterales jam dilatati ſunt, quod ligato trunco arterioſo, circulum faciliorem reddit.

MXLV. Mali *curationem* quod attinet, aneurysmati ſpurio non limitato ad eam, quam (CXC.) diximus, methodum medendum eſt. Glaciem impoſitam, vbi ſanguis diffuſus erat, profuiſſe legimus. Limitato autem, non ſecus ac vero, ſi paruum fuerit, ac tumor retropreſſionem admittit, non modo palliatiua, verum etiam radicalis medela paratur, congrua et ſatis diu continuata

nuata arteriae laefae compreffione inftrumenti idonei hunc ad fcopum adaptati et fafciae circularis totum membrum inuoluentis adminiculo praeftanda. Dicta haec inuolutio prudenter ex arte inftituta (LXV.) mire fanationi fauet. Compreffio aliqualis venarum ab inuolutione, multis fufpecta, ob minorem fanguinis arteriofi influxum innocua eft, quid? quod oedemati partium infra pofitarum taediofiffimo, calorem animalem fupprimenti, valide obftat, quod aliorum et propria multiplex experientia docuit; rami arteriofi laterales vix modica externa preffione coarctantur. Tumor aut haemorrhagia recrudefcens apparatus comprimentis renouationem pofcit. Compreffio ad omnis tumoris plenariam abfentiam continuanda, nec quies ac debita vitae ratio negligetur. Nec defunt exempla dictam compreffionem in aneurysmatibus limitatis haud amplius reprimendis profuiffe, quin in ipfis aneurysmatibus illimitatis cum fucceffu adhibitam effe, reforpto nempe coagulo naturae viribus, remediorum externorum adftringentium, refoluentium virtute adjutis. Majus aneurysma fiue verum, fiue fpurium, fiue mixtum fuerit, in loco idoneo (MXLIV.) fitum, compreffione haud coercendum, operationem poftulat. Aneurysma verum internum, venaefectionibus repetitis, fcrupulofiffima quiete, cautisfimo mentis corporisque regimine ac opii prudenti vfu

vſu palliatur, quibus praeſidiis neglectis vel inſufficientibus, in ſpurium, citiſſime lethale, tranſit. In artuum aneurysmate raro indicatur amputatio, niſi a morbo inueterato partes vicinae molles, oſſaque jam corrupta fuerint.

MXLVI. Quoad *operationem* aneurysmatis, in vniuerſum ad ſequentia attendendum,

*a*) vt nulla haemorrhagia durante operatione oriatur,

*b*) deinde arteria laeſa denudetur,

*c*) immediata ejus compreſſio vel

*d*) ligatura inſtituatur et

*e*) vulneris denique conſolidatio adjuuetur.

MXLVII. *Haemorrhagiae periculum* congrua arteriae compreſſione ſupra laeſionem aut ſolis digitis aut torcularis idonei ope, locis modoque (DXCIV.) dictis inſtituenda, certe auertitur.

MXLVIII. *Arteria* laeſa *denudatur* larga integumentorum ad illius tractum inciſione, quae in limitato aneurysmate tumorem excedere debet, lentaque et cauta partium ſubjacentium diuiſione, cultri chirurgici, in ſpecillo ſulcato ducti, vel ſcalpelli et forcipis, quibus ad diſſectionem anatomicam vtimur, miniſterio peragenda, vsque dum vulnus vel dilatatio arteriae diſtincte adpareat, ſcrupuloſiſſime vitando, ne rami collaterales arteriae laedantur. Nonnulli ad euitandam

lentam

lentam ac dolorificam hanc diſſolutionem, ſi aneurysma fuerit ſpurium, parua inciſione in cauum coagulum continente facta, digitum huic aperturae immittere malunt, et ſupra hunc vulnus ampliare, quod, ſi arteria laeſa poſteriorem caui locum tenet, absque periculo perſicitur. Omni coagulo deinde digitorum ac ſpongiae ope ablato, ſoluto tunc torculari, vulnus ſeu dilatatio arteriae patet. Ad detegendum arteriae tibialis anticae aneurysma, ſerrula partem oſſis cum ſucceſſu ablatum fuiſſe legimus, quod tamen haud niſi oſſe ſimul corrupto locum habere videtur.

MXLIX. Rita arteriae laeſae denudatione facta, coagulo ablato, paruum arteriae vulnus, prudenti ac rite inſtituta compreſſione (MXXII.) expoſita radicaliter ſanari poſſe, experientia docuit. Tale vulnus, eodem modo, vti arteria temporalis transſciſſa, cum partibus vicinis preſſione condenſatis firma circatrice absque tubi interceptione concreſcere poteſt, vti quoque verum aneurysma paruum, ſola compreſſione prudenti, diuturna, ſanari poſſe compertum eſt.

ML. Major autem arteriae hiatus, aeque ac aneurysma verum preſſione haud coercendum, *ligaturam* poſcit, ſupra et infra locum adfectum injiciendam, totumque vulnus vel tumorem in-

cludentem, licet vnicam ligaturam haud raro ſuffeciſſe conſtat. Neruum adjacentem, quamuis eum ſaepe ligatura impune comprehendi poſſe compertum ſit, liberum relinquere praeſtat, praeſertim cum neruus, membri flexione atque agitatione vel ſpatulae ſeu ſpecilli obtuſi ope, vel arteriae aliquali eleuatione ſtylo in vulnus immiſſo, facile et absque dolore ab arteria ſeparari queat; interdum coagulo intermedio arteria de neruo jam ſeparata inuenitur; ſub toto hoc opere ramorum arteriae lateralium laeſio cautiſſime vitetur. Filum tunc chirurgicum latum duplex (MI.) acu ſolita inuerſa, quali ad ſuturas vtimur, vel acu hunc ad ſcopum fabrefacta, apice tamen obtuſo atque margine haud ſcindente, vel ſatis commode inſtrumento ad ligaturam arteriae intercoſtalis propoſito, infra arteriam ducitur. Retracta tunc acu, vnum filum ſupra vulnus ſeu dilatationem, alterum infra locum adfectum ducuntur, et vtrumque duplici nodo tantum conſtringitur, vt ſanguinis tranſitus inde intercipiatur, et tota pars adfecta inter duas ligaturas comprehendatur. Ob diſſolutionis ramorum lateralium periculum, haud tamen ligaturae vltra laeſionis limites diſtent, plures arteriae caſu laeſae, plures ligaturas poſcunt. Ligatura facta, ſoluto torculari, ſi ſanguifluxus aut tumor haud revertit, rite inſtitutam ligaturam docet. Arteriam

teriam inter vincula mediam difcindere, ob extremorum retrotractionem nocuum et fuperfluum merito habetur. Circulus fanguinis arteria ligata per ramos collaterales fuccedit, fin minus, calor et vita infra ligaturám exftinguitur: quod tamen rariffime in ártubus fieri folet. Aneurysma mixtum vti verum tractatur, arctior tamen bafis facilius et absque ramorum lateralium laefione inter ligaturas includitur. Ligata ad flexuram cubiti arteria brachiali, ramos anaftomoticos majufculos, tam radiales quam cubitales, ad fustinendam fanguinis transmiffionem fufficientes, nunquam deeffe; hinc vanum effe mortificationis metum, et notitia anatomica et experientia chirurgica conftat. Operatione rite peracta, fenfus, calor, pulfus interdum mox operatione facta, interdum poft nonnullas horas, dies, quin hebdomades redire folet. Eam, quam commendatam vidimus arteriam claudendi rationem, hiatum in ipfo canale futurae circumflexae ope reunire, vel cylindro circumdare, in minore arteriae laefione fuperfluam, in majore minus tutam effe putâmus.

MLI. Saepiffime coagulo ablato, vulnere àqua tepida eluto, ac torculari foluto, vulnus arteriae fanguine prorumpente indicatur. Sparfim, *ne guttula* quidem *fanguinis*, perfricato li-

cet loco, vbi torcular injectum erat, et ſatis largo temporis ſpatio conceſſo, *prodit*, et deinde deligato vulnere aucta vehementia haemorrhagia recrudeſcit. Hic ſtatus, licet locus vulneris arterioſi haud adpareat, ligaturam arteriae denudatae pulſatione dignoſcendae, *poſcit*, qua conſtricta, ſi ſupra ligaturam adſit vulnus, ſanguis prorumpere ſolet, et locum vulneris indicare, altiorem ligaturam poſcentem. Pars operationis difficillima eſt fili, ſub arteriam laeſam profundius ſitam, ducti debita conſtrictio, quae ſi inſufficiens fuerit, partibus vicinis praecipue ligatura comprehenſis, ſanguifluxus redit. Inſtrumentum quo pro ſtringendo polypo vtimur, adſtrictioni fili commode inſeruit; ipſi tubo pro ligatura polypi naſalis cum ſucceſſu vſi ſumus. Filum rite arteriae laeſae ſubductum eſſe docet presſio indicis ad partes filo tenſo incluſas, ſub qua ſanguifluxus ceſſat, quo facto ad conſtrictionem fili procedendum erit.

MLII. *Aneurysma arteriae popliteae*, excepto eo quod poſt venaeſectionem in flexura cubiti ſurgit, omnium frequentiſſimum occurit. Sub operatione hujus aneurysmatis, vnicam ligaturam in media arteriae femoralis parte, ſupra locum vbi per tricipitem mnſculum tranſit, ſufficere, et tumorem aneurysmaticum deinde lente diminui et denique penitus euaneſcere nouioribus obſeruatis

uatis conſtat. Haec medendi ratio omnino ſolitae praeferenda erit, cum arteria in loco ſano ligetur, cum operatio longe minori moleſtia aegroti atque chirurgi perficiatur, et vulnus, excepto loco per quem filum decurrit, cito reuniri poſſit. Saepe tamen hanc medendi rationem ſequitur atrophia et motus membri aliqualis difficultas.

MLIII. *Vulneris conſolidatio* promouetur, leniſſima deligatione, quiete, atque therapia, rationi vlceris futuri adaptata; ſeparato filo inſtar vlceris ſimplicis ſanari ſolet.

## *Haemorrhagia a vulnere venae.*

MLIV. *Vulnus venae eſt* diſſolutio mechanica canalis venoſi ex cauſſa qualicumque. Triplex eſt hujus *differentia:* vel cutis partiumque interpoſitarum vulneri directo reſpondet, vel minus, vel denique integris tegumentis externis accidere poteſt. Deinde vel perfecte vel ex parte tantum diuiſa eſt vena.

MLV. Vulnus venae directe reſpondens plagae externae *cognoſcitur* ex ſanguinis minus purpurei lentiusque coagulabilis, absque ſaltu, pulſui ſynchrono, niſi majori arteriae valde vicina ſit vena, profluuio, tanto quidem vehementiore, quanto major eſt diameter venae laeſae, plethora, ſanguinis ogasmus.

MLVI.

MLVI. Vulnus venae oblique inflictum, vel absque cutis diſſolutione factum, ecchymoſin (CLXXVIII.) creat, minus tamen vehementem ſanguinis effuſionem, quam arteriae laeſio. Quodſi majoris diametri fuerit vena vulnerata, magnam et lethalem ſanguinis jacturam inducere poteſt; minoris venae haemorrhagia aut ſponte naturae viribus vel arte facili negotio (CLXXXIII.) ſedatur, vel ſyncope inducta ſubſiſtit.

MLVII. *Prognoſis vulnerum venarum* in vniuerſum longe minus ambigua eſt, quam arteriarum; quum vena diuiſa decuplo fere minorem ſanguinis copiam fundat, quam ejusdem diametri arteria; quum illa denique ob crebriores anaſtomoſes longe facilius comprimi queat, citiusque ob minorem retrotractionem fibrarum elaſticam coaleſcat. Poteſt tamen vulnus venae mortem inferre, ſi tanta inde oriatur ſanguinis interceptio aut reuulſio, vt ille encephalo atque cordi deficiat.

MLVIII. Pauca circa *curationem* ſunt monenda. Haemorrhagia tempeſtiua compreſſione, vel adſtringentium adplicatioue plerumque facile ſupprimitur; ſin minus ad methodum expoſitam recurrendum eſt. Ecchymoſeos leuioris, grauioris medelam (CLXXXIII.) diximus; quodſi vero haemorrhagia ex profundiore vena orta, ob ſym-

fymptomatum ambiguitatem aneurysma mentita fuerit, tamquam tale tractanda foret, vulnere vafis detecto, et torculare foluto, vera morbi natura medendique ratio patet. Sanguinis ex arteria vel vena laefa in caua majora effufio, in fpeciali vulnerum cauitatum pertractatione explicabitur.

## *Haemorrhagiae a caufa interna.*

MLIX. Praeter dictas haemorrhagias, quae a vulnere arteriarum feu venarum inducuntur, aliae, nonnullis *actiuae* dictae adfunt, quae naturae viribus a *caufa interna* fponte oriuntur, et haud raro cum pyrexia junctae funt.

MLX. Quarum *principium* eft refiftentia vaforum in fingula parte, impulfui humorum impar; vnde aut ipfa vafa disrumpuntur, aut oftia tali modo diducuntur, vt fanguis erumpat, quod eo potius accidit, fi congenita feu acquifita fingulae partis debilitas, feu teneritas (XXXXII.) et plethora feu fanguinis diffolutio (CCCIX.) adfit. *Caufae occafionales* funt omnia,

*a*) quae circulum fanguinis in vniuerfum et ad fingulam partem augent, aut

*b*) reditui ejus per venas obftant, vti febres ardentes, inflammatoriae, exanthematicae, exercitia violenta, nifus mufculares vehementes, diaeta lauta, fpi-

fpirituofa, fuppreffiones haemorrhagiarum naturalium, ftricturae fortiores, fpasmi, infarctus varii, venas praecipue comprimentes in abdomine, vtero, pulmonibus cet.

MLXI. *Prognofis haemorrhagiae a caufa interna* de quantitate fanguinis emiffi, viribus ac conftitutione, ac morbi denique caufa ac indole pendet; praecipue vero attendendum, an fymptomatica fit an critica. Praefagienda eft haemorrhagia fenfu grauitatis, tenfionis, ftillationis, pulfationis, caloris, tumoris in fingula parte, praefertim jam antea haemorrhagiam paffa, pulfu vt plurimum forti, pleno, duro. Sanguis phlogifticus cito coagulabilis melior eft, quam fi diffolutus fuerit. Haemorrhagia a caufa interna facile, faepe quidem ftatis temporibus, reuertit. Mediae aetatis homines faepius adficiuntur.

MLXII. Malum *praeuertitur* plethorae diminutione, conftitutioni aegroti adaptata; victu tenui vegetabili, potu refrigeranti haud fpirituofo, vinofo, excercitio corporis modico, continuo, laxantibus antiphlogifticis; nocentium, caloris praecipue ftrenua euitatione, venaefectionibus caute tamen inftituendis, cum a faepius repetita fanguinis miffione plethora augeatur.

MLIII.

MLXIII. Praeſens malum, ſi a quantitate ſanguinis deperdita periculum immineat, coercetur animi corporisque quiete, admiſſo aëre frigido, potu refrigerante, acido vegetabili, minerali commixto, aluminoſo, opio, ſi aliqualis ſpasmus, nimia ſenſilitas, irritabilitas in cauſa fuerit; veſicatoriis (CCXXXVII.) caute adhibitis; emeticis lenioribus; remediis externis frigidis adſtringentibus variis (DCCCCLXXIII.) expoſitis, fotu, injectione, ſeu lintei vel ſpongiae miniſterio adhibendis. Fomenta frigida genitalibus admota in ſummo vitae diſcrimine haud raro profuerunt. Extremitatem faſciis adſtrictis ligatura vix cum ſecuritate adhibetur, ſparſim tamen proficuam fuiſſe obſeruauimus. A ſyncope dum effluit ſanguis, haud intempeſtiue excitentur aegri, ſi quidem ſub hoc ſtatu vaſa facilius contrahuntur, vires vitales impetum ſanguinis ſuffulcientes franguntur, et ſanguis jam lentius motus ad coagulationem diſponitur. In vniuerſum haemorrhagiae a cauſa interna nunquam, ſi indicia euacuationis criticae adſint, niſi vrgente neceſſitate, violenter ſupprimantur.

MLXIV. Ex nuper allatis, cum iis, quae in vulnerum arteriarum pertractatione (MXVII.) antea dicta ſunt, comparatis, liquet, quae chirurgia haemorrhagiae narium, haemoptyſi, immodico

modico ſeu peruerſo menſtruorum aut haemorrhoidali fluxui conueniat. In haemoptyſi grauiori ſal marinum ad totam vnciam porrectum cito ſanguifluxum ſedauit. Idem de oleo therebinthinae ad guttas decem adſumto obſeruauimus. Haemorrhagia mere ſymptomatica cauſae praecipue ablationem poſcit, vti quoque a qualicunque diſſolutione humorum (CCCIX.) inducta ſeu ſuſtenta, ex minimis vaſis ominoſam valde ſanguinis jacturam cauſans, efficaciſſimis antiſepticis vix ſupprimitur. Haemorrhagias grauidarum, parturientium, puerperarum vterinas hic attingere, haud permittit inſtituti ratio.

## *Symptomata neruoſa.*

MLXV. Symptomata *neruoſa* quidem ob neceſſariam neruorum irritationem cujusdam vulneris indiuidui comites ſunt (DCCCCXCVI.), cum nullum vulnus absque aliquali dolore, inflammatione ac febri ſit; interdum tamen grauiora ſymptomata accedunt, acutiſſimus dolor, febris intenſiſſima, ſubſultus frequens corporis totius aut partis adfectae, proſtratio virium, oppreſſio pectoris, anxietas, palpitatio cordis, vomitus, obſtructio alui pertinax, diarrhoea, ſpasmus tonicus, conuulſiuus cet: vnde aegrotus non ſolum in maximo vitae diſcrimine verſari, ſed ſaepe quoque necari poteſt.

MLXVI

MLXVI. Dicta haec fymptomata haud absque neruorum qualicunque adfectione oriri poffe verifimile videtur. Ipfa vero irritatio

*a*) vel in ipfo vulnere, vel

*b*) praegreffo vulneris ftimulo excitata extra vulnus adeffe poteft.

MLXVII. *In ipfo vulnere* laefio neruorum, tendinum, expanfionem aponeuroticarum, ligamentorum, vifcerum, quin mufculorum quoque puncta, contufa, lacerata; corpora aliena irritantia, feftucae offeae, venena immiffa, fanguis, pus, fanies, bilis, vrina, excrementa effufa retenta; ligatura neruum conftringens, grauiffima inflammatio, gangraena cet. fymptomatibus neruofis *anfam* dare poffunt.

MLXVIII. *In reliquo corpore* habitus fyftematis neruei valde fenfilis, irritabilis, animi adfectiones qualescumque graues, vermes, cruditates variae in primis viis, aër impurus exhalationibus nociuis repletus, accedens alius morbus exanthematicus, putridus, fymptomatibus vulnerum neruofis (MLXV.) anfam dare poffunt; inde fymptomata neruofa dicta faepe multis poft laefionem diebus praeterlapfis et interdum fanato jam vulnere accedere poffunt.

MLXIX. Ideam generalem laefionum partium neruofarum (CCIII.), doloris (CCCXXIVIII.), fpasmi

ſpasmi (CCCLXXXVIII.), tetani (CCCCIX.) inflammationis (CCCCXLII.) cum horum morborum diagnoſi, differentiis, cauſis, ſymptomatibus, prognoſi ac therapia jam antea dedimus, plura in majorum cauitatum vulnerum pertractatione patebunt. Reſtat, vt de neruorum, tendinum, ligamentorum, muſculorum vulneribus nonnulla generalia moneamus.

## *Vulnus nerui.*

MLXX. In omni vulnere partis organicae, ſenſu, motuque praeditae, diſſolutio neruorum minorum adeſt, quae laeſio tamen in vniuerſum nullis alienis ſymptomatibus ſtipatur, nec therapiam requirit de generali expoſita (DCCCCXCVIII.) recedentem. Hoc loco venit conſiderandum *vulnus nerui majoris*, qui vel totus vel ex parte a violentia graui externa diuidi poteſt. Vulnus nerui majoris *noſcitur* ex notitia anatomica comparata cum loco, indole, magnitudine, profunditate vulneris; an totalis an partialis ſit laeſio, ex ſymptomatum ratione vix certe dignoſcitur, cum ſyſtematis neruoſi ſenſilitas in pluribus indiuiduis mire differat.

MLXXI. Neruus *totalis abſciſſus* poſt dolorem acutum fugacem, tunicarum elatere retrahitur, vnde neruulos vicinos tenſionem pati neceſſe eſt, quo ſtimulo dolor ac inflammatio inſur-

ſurgunt, ipſe neruus abſciſſus, quoad tempus ſaltem, perit, partibus, ad quas diſtributus erat, niſi nerui laterales easdem partes adeant, torpore, inſenſilitate, marcore, quin imo necroſi correptis, ſi aliunde vis vitalis haud accedat. Iſta corruptio rariſſime extremorum, ſaepius medullae ſpinalis vulnerationibus ſuperuenit.

MLXXII. Nerui autem *partialis laeſio*, quo maxime puncturae pertinent, fibrarum diuiſarum retrotractionem parit: hinc fibrae integrae fortius tenduntur; interdum dolor grauiſſimus cum immanis partis tumore ac rubore late diffuſo excitatur, ſtimulus cum neruis vicinis cerebroque demum ac corde communicatur, quo febris intenſa, deliria, ſpasmi vel conuulſiones variae ac denique mors induci poſſunt: aut tumor inflammatus rumpitur cum euacuatione humoris acris, tenuis, copioſiſſimi; ſubſequente ſaepe paralyſi, atrophia, gangraena aut morte. Vnde patet, ſymptomata imperfectam nerui diſſolutionem concomitantia, forſan ob humorum, in nerui capſulam effuſorum, inſuetum cum fibrillis nudis contactum, in vniuerſum multo grauiora eſſe. Notandum tamen, dicta ſymptomata minime in omni nerui partiali laeſione adeſſe; vti quoque ſymptomata neruoſa interdum absque vlla vulneris ad adſpectum deterioratione accedere poſſunt, quod

quod tunc potiſſimum accidit, ſi alia remotior irritatio neruoſa vulnere praegreſſo forſan excitata vel aucta ſimul adfuerit.

MLXXIII. *Neruum* abſciſſum non ſolum *concreſcere*, ſed ipſam portionem ablatam *regenerari* poſſe, nouioribus certis obſeruationibus conſtat, quae allongatio atque concretio vix genuinae ſubſtantiae nerueae, ſed potius celluloſae atque tunicis neruorum debetur; pars regenerata inde tenuior ac minus fibroſa, indurata, conſpicitur. Experientia tamen docet, neruus princeps quamuis abſciſſus ſit, ſenſum tamen, dolorem, motum partis, ad quam ille decurrit, redire poſſe, an ex renata functione nerui regenerati, an, quod veriſimilius videtur, ex aucta vi vitali vel allongatione neruorum lateralium, vberiore experimenta docebunt.

MLXXIV. *Symptomata*, ex nerui laeſione oriunda ſaepe *auertuntur*, larga ſanguinis detractione, hirudinibus ad labia vulneris admotis, quiete membri laeſi animique abſoluta, primarum viarum tempeſtiua, emeticis, laxantibus, expurgatione, indefeſſa partis fomentatione frigida, acida, anodyna, diaeta tenui, parca, regimine frigido, totius membri inuolutione prudenti, adjuta methodo antiphlogiſtica (CCCCLXV) expoſita. Vulneris exiguitas, ac ſymptomatum ad-

aduentus, haud differendam, congruam, profundam illius dilatationem requirit, qua humores effuſi educantur neruusque laeſus, tenſus, irritatus plane diuidatur. Balſami peruuiani, ſeu olei terebinthinacei ſeu laudani in vulnus inſtillatio neruum laeſum attingens atque fotus emolliens, oleoſus, tepidus, frictiones vnguinoſae blandae, cataplasmata emollientia, anodyna, herbarum cicutae, aconiti, bellodonnae, hyoſciami, opio mixti, interdum ſymptomata fugarunt. Caeterum neruorum laeſionis medela curationem doloris (CCCXXXVIII.), ſpasmi, tetani expoſitam ſequitur. Diriſſimis ſymptomatibus perſiſtentibus, miſerum et incertum in ſola membri amputatione haeret refugium.

## *Tendinis et aponeuroſeos vulnus.*

MLXXV. *Tendinis ſolutio mechanica* triplex eſſe poteſt;

*a*) vel enim totus transſcinditur,

*b*) vel tenſione violenta totus disrumpitur,

*c*) vel tendo aut aponeuroſis ex parte tantum inciditur, rumpitur.

MLXXVI. Laeſae autem *fibrae* tendineae ad gradum fibrarum muſcularium cum illis nexarum *retrahuntur*, qua retractione fibrae integrae cum par-

partibus adjacentibus tenduntur. Tendinis diuifionem in ftatu fano absque dolore vel alio graui fymptomate fieri conftat. Quodfi vero inflammatio aut diuturna tenfio vel irritatio tendinem aponeurofinue adficiat, non dolor folum crudelis, verum omnia alia quoque *fymptomata* grauiffima interdum nerui laefionem (MLXV.) fequentia inducuntur, quin haec vehementia adhuc fuperant. Paruum denique tendinis aponeurofeosue vulnus, feu partialis diffolutio, plantae pedis, volae manus, pollicis ac digitorum praecipue, ob difficultatem euacuationis atque ftimulum humoris, haud raro infra aponeurofin feu in vagina tendinis effufi, in vniuerfum fymptomata longe grauiora infert, quam majus harum partium vulnus aut tendinis abfciffio. Neque tamen fymptomata dicta funt conftantia, quin laefionis tendinum, atque expanfionum tendinearum vulnera, dilacerationes, puncturae, haud raro absque vllo grauiori fymptomate inftar vulneris fimplicis fanantur.

MLXXVII. In *curatione tendinis diffoluti* duplex datur momentum: partes diuifae reuniendae, fymptomata leuanda. Reunionem plane diuifi tendinis efficit extremorum retractorum adductio, inque mutuo contactu retentio; vtrumque folo fitu conuenienti relaxationi mufculi, ac tendinis laefae

laesae fauenti, debita defasciatione adjuto, absque crudeli acus ministerio obtineri posse, multiplici experientia compertum est. Extrema autem adproximata materiem fundunt in principio fluidam; deinde solidescentem, quae denique in massam firmam, organicam, substantiae tendinis similem abit, extrema vicina firmiter nectentem, vt debita facilitate ille iterum moueri queat, et nil nisi leue annulare vestigium praegressae diuisionis remaneat. Vulnera tendinum, pinguium blandorum recentium ac balsamicorum vsum requirunt, rancida autem vnguenta, spirituosa fortiora non secus ac aëris frigorisque accessus probe sunt vitanda. Successiua enim partis denudatae, exsiccatae et corruptae exfoliatio, si totum tendinis ambitum comprehendat, tantum facit hiatum, vt extremorum reunio aut impossibilis euadat, aut saltem tendo iterum concretus, cum partibus vicinis firmiter coalescat, et inde motus membri, quatenus eo tendine famulante eget, ad maximam partem pereat. Grauia ex partiali tendinis vel aponeuroseos vulnere seu punctura prouenientia symptomata frigidae in principio morbi sedulam adplicationem, vulneris sufficientem dilatationem, atque therapiam requirunt omnibus viribus inflammationi occurrentem. Rigiditas, post tendinearum partium consolidationem, interdum a tendinis cum vagina aut par-

tibus vicinis coalitione remanens, balneis tepidis emollientibus, fotu aquoſo, ſaponaceo, oleoſo, frictione modica et leui partis rigidae motu adjutis, tollitur.

MLXXVIII. *Tendo Achillis* aut inciſione aut ruptura aut totus aut pro parte *laedi* poteſt. Sub ipſa ruptura aegrotus, quin interdum adſtantes ſenſum crepitus perſentiunt. Rupturam factam indicat ſenſus caui vel ſulci ad locum rupturae, qui ab extremi ſuperioris retractione exoritur, et ſub ſuralis muſculi actione augetur. Vaginam tendinis ſolam ruptam eſſe indicat ſulcus minor, in quo contracto muſculo, tendinis integritas ſentiri licet. Vaginae, absque tendinis laeſione, diſſolutio ſola quiete ac therapia vulnerum ſimplicium facile ſanatur. Quanquam ipſius tendinis diſſolutio ſola quiete ac ſitu relaxationi muſculi ſuralis ac tendinis laeſi fauente absque faſciarum adſtrictione ſanari poſſit; praeſtat tamen vti calceo ad ſuſtinendam extenſionem pedis induento, apice aperto, parte poſteriori loro praedito, quod ligula ad faſciam latam ſuperiorem ſurae partem circumdantem, adfigitur; qua faſcia omnis motus extrema tendinis rupti diducturus certe auertitur. Absque neceſſario hujus calcis incommodo, ſanatio optime faſcia circulari de femore ſupra genu ad digitos pedum deſcendente,

dente, ſubjecto et in vtroque extremo deinde reflexo ſplenio longiori perficitur.

## *Carnis vulnus.*

MLXXIX. *Fibram muſcularem*, a cauſa qualicumque mechanica *diuiſam*, elater inſitus verſus punctum fixum retrahit, vnde nerui fibraeque adfines tenduntur, dolor interdum et alia ſymptomata neruoſa inducuntur, extremis ſimul ob vasculorum ſanguiferorum laeſionem cruentatis, motuque fibrae retractae ceſſante. Quae laeſio nullam aliam chirurgiam deſiderat, quam carnis ſolutae reunionem; extremorum nempe adductionem ſitu faſciisque firmandam; rariſſime ad ſuturam confugiendum. Aliqualis difficultas motus muſculi antea diuiſi, ſanato vulnere, remanere ſolet.

## *Vulnus ligamenti.*

MLXXX. *Vulnera ligamentorum* in vniuerſum partium tendinearum ac neruoſarum conditionem et therapiam ſequuntur; articuli cauum aperientia merito aliis deteriora habentur, cum vaſorum lymphaticorum laeſio, quae haud raro ſimul adeſt, ſynouiae effluxus, ritae ſuppurationis difficultas, aëris, puris ad ipſum articuli cauum acceſſus, variis eisque grauibus complicationibus anſam dare, ſymptomata neruoſa, vlcera malig-

na, cariem, anchylofin, fungum articularem et contracturam inducere poffint. Inde dilatatio vulneris in ipfum articuli cauum penetrantis vix cum fecuritate tentatur; fymptomatibus vero ad horum morborum methodum exponendam occurritur. Plures hirudines ad labia vulneris adplicatae interdum citum leuamen adferunt.

## *Vulnus offis.*

MLXXXI. *Os* ictu, incifione, portionis alicujus dedolatione *vulneratum*, mox rite adductis labiis vulneris obtegi, acceffus aëris arceri ac reunio cum partibus mollibus, ad primam, vt dicunt, indicationem, quiete, emplaftris, ac fafciis facilitari debet, quod haud raro absque vllo fymptomate fuccedit. Nifi vero, ob contufionis vicinarumque partium laefionis grauitatem, cita offis laefi obtectio, ac cum partibus vicinis conglutinatio obtinenda foret, morbus cariei indolem atque curationem (antea) expofitam fequitur. Cicatrix profunda, firma, albicans, offi adhaerens radicalem fanationem effe promittit, mollis e contra, eminens, laxa, fubrubra fufpicionem adfecti offis mouet. Feftuca offis laefi foluta ac retenta interdum fymptomata neruofa inducit, quae incifionem cicatricis requirunt; faepius formatur abfceffus, quo aperto, offis morbus detegitur.

Vul-

## *Vulnus ob effluxum liquidi complicatum.*

MLXXXII. Praeter ſanguifluxum (MX.) expoſitum, qui in omni vulnere adeſt, varia alia fluida a laeſo quodam viſcere, receptaculo, ſanationem vulneris impedire aut hoc complicatum reddere poſſunt; ita humores oculorum, ſaliua, aër, alimenta, chymus, excrementa, ſuccus pancreaticus, bilis, vrina, ſynouia, liquidum in burſis tendinum atque muſculorum contentum, ſanationi vulneris obſtare poſſunt, quae omnia in ſpeciali vulnerum pertractatione vberius patebunt.

MLXXXIII. *Vas lymphaticum* majusculum *diuiſum* eſſe *cognoſcitur* e diuturno ſtilicidio lymphatico, coalitionem ſoluti impediente. Poteſt etiam in hac laeſione *diuerſitas* occurrere: totalis nempe vel partialis vulneratio; haud tamen niſi e pertinacia effluxus dignoſcenda. Quae totali vaſis lymphatici abſciſſioni paratur chirurgia, in compreſſione ſimpliciſſima (CXCIX.) et deligatione ſicca vel, niſi haec ſuffecerint, adplicatione medicamenti ſtyptici, ſpirituoſi, ſaturnini conſiſtit: partialis diſſolutio, huic therapiae non cedens, cauſtica vel totius inciſionem totalemque vaſis abſciſſionem poſcit; cauterium quoque ſi locus concedit, cum vtilitate adhibetur. Ligaturam denique vaſis lymphatici cum ſucceſſu inſtitutam fuiſſe legimus. Oedema longum taedioſum infra

ſra partem adfectam ſanationem vulneris ſparſim ſequitur.

## *Vulnera ob eorum figuram complicata.*

MLXXXIV. Vulnerum *figura* haud raro reunioni obſtare ac ſanationem retardare poteſt; praecipue hoc accidit

*a*) in *puncturis*,

*b*) in *vulneribus inaequalibus angulatis.*

MLXXXV. *Punctura eſt* ſolutio continui inſtrumento pungente tenui inducta, in qua diſſolutione ob exiguitatem vulneris ſaepe nec notabilis hiatus, nec ſanguiſluxus adeſſe ſolet. *Prognoſis* puncturarum pro partium varia ratione ac indole quidem varia, in vniuerſum tamen vulnere ſimplici difficilior, ac haud raro ob retenta fluida effuſa, dolorem, inflammationem, febrem, abſceſſum parit, quae ſymptomata pro magna parte tempeſtiua ac ſedula ſanguinis e loco recenter puncto expreſſione, ſuctione ſeu curcubitulae impoſitione (CCXXI.), fotu frigido adſtringente, ſaturnino, auertuntur. Punctura profundior inter partes molles decurrens, in vniuerſum vulneris externi exigui dilatationem, humoris effuſi ritam eductionem, ſuccedentem fundi vulneris debitam compreſſionem (MVII.) haud neglectis cautelis in vulnerum hiſtoria expoſitis (MVIII.) poſcit; quo facto vulnera ſinuoſa haud

raro

raro absque vberiori incommodo ſanantur. Si vero ob canalis longitudinem humores effuſi ad externam plagam adduci nequeant, ſeu abſceſſus oriatur, hic in loco decliuiore tempeſtiue incidendus, et vlceris ſinuoſi therapia deinde adhibenda erit. Neruorum tendinumue punctiones harum partium laeſionem partialem (MLXXI.) ſequuntur.

MLXXXVI. *Vulnera inaequalia, dentata, angulata, irregularia* ob retractionem angulorum lentius ſanantur, aut ſaltem ſanato vulnere cicatrix difformis, rugoſa, profunda ſaepe remanet; quod malum tempeſtiua atque exacta labiorum vulneris adductione, ſitu, emplaſtris, faſciis obtinenda, auertitur. Interdum vna alteraua ſutura ad prohibendam retrotractionem angulorum vulneris requiritur.

## *Contuſiones.*

MLXXXVII. *Contuſio* in genere *eſt* violenta cujuscunque corporis obtuſi in ſuperficiem humani actio, aut reciprocus corporis in tale inſtrumentum impetus, quo partes organicae tali modo premuntur, tenduntur, evexantur, lacerantur, vt mox ſubſequatur debilitas et atonia partis contuſae, tumor dolens mollis ambitum praegreſſae violentiae comprehendens, haud raro extra hujus limites late excurrens.

MLXXXVIII.

MLXXXVIII. Varios contusio in systema sanguiferum *effectus* edit, hinc triplex contusionis *gradus* elucescit:

*a*) in *priore* vasa, ipso violentiae praegressae stimulo relaxata et dilatata, majorem liquidi quantitatem admittunt expansionemque praeternaturalem subeunt.

*b*) in *secundo* sanguis per vasa dilatata minori quidem copia in cellulosam telam transsudat, integris tamen, vti videtur, hujus laminulis.

*c*) in *tertio* denique vasa et cellularum septa dissoluuntur, sanguis copiosius effusus majus cauum replet, mora coagulatur, nunc resorbetur, nunc putrescit, simul praesente non raro partium vicinarum laesione.

Contusiones partis corporis externae, ossi vicinae in vniuersum grauiores sunt, quam in loco ab osse distantiori. Datur porro contusio *superficialis* vel *profunda*; *simplex* vel *complicata*, *in ipso loco* violentiam passo, vel *opposito* aut *remoto*; cum vel *absque vulnere*.

MLXXXIX. Contusionis absque externo vulnere *signa*:

*a*) aut

*a*) aut *adſpectu cognoſcuntur*, ſicuti poſt praeuiam violentiam qualemcumque tumor cito ſubnaſcitur dolens, rubens aut nigricans.

*b*) aut *tactu indagantur* mollitie, fluctuatione, inaequabilitate praeternaturali digiti pulpae obuia.

*c*) aut denique ſunt *rationalia*, a functione laeſa cujusdam partis repetenda.

MXC. Varia autem contuſionem comitantur aut ſequuntur *ſymptomata*: dolor, inflammatio, ſugillatio, ecchymoſis, ſuppuratio, variique morbi, pro diuerſa partis contuſae fabrica et functione laeſa, varii; ſic contuſio *arteriarum* aneurysmata; *venarum*, varices, rupturas; *neruorum* dolores acerrimos, paralyſin, atrophiam, ſpasmos, conuulſiones, gangraenam, necroſin; *muſculorum* aut *tendinum* eorum rupturam, rigiditatem, et adfectus neruoſos; *glandularum* infarctus, ſcirrhos, carcinomata; *perioſtei*, vlcera profunda, caries; ipſius *oſſis* exoſtoſes, tophos, ſpinas ventoſas, fracturas, luxationes; *viſcerum* denique functionem eorum diuerſimodo laeſam, commotionem, rupturam atque citam mortem, inducere poteſt. Vnde prono fluit impetu, *prognoſin* contuſionis pendere

*a*) a

*a*) a gradu violentiae,

*b*) a conditione ac mobilitate partis laeſae,

*c*) a conſtitutione aegroti, cum in nonnullis graues contuſiones absque majori incommodo ſanentur, in aliis leuiores contuſiones, non ſolum periculoſae, quin lethales euadant. Laetum reſolutionis ſignum affulget, vbi color loci contuſi ſub ſymptomatūm leuamine in flauum, coeruleum, viridemue tranſit.

MXCI. Contuſionis *curatio* praecipue verſatur

*a*) in *phlogoſeos therapia*,

*b*) in *ſanguinis* effuſi *reſolutione* et, niſi haec mature ſuccedat,

*c*) ejus *eductione*.

Inflammationi auxiliis toties dictis occurritur. Quo notabilior pars contuſa, quo grauior inflammatio, dolor, functio laeſa, eo magis ſtrenua ac tempeſtiua therapia antiphlogiſtica ad auertendos ejus effectus, adhibenda, niſi contraria indicatio adfuerit, in vulneris ſclopetarii chirurgia exponenda. Effuſio ſanguinis poſt leuiorem contuſionem auertitur prudenti atque cita compreſſione et adplicatione epithematis frigidi, repercutientis, acidi, ſpirituoſi, quo ſcopo, aqua frigida, acetum, vinum, ſpirituoſa, aqua marina

rina aceto nupta, vel ſal ammoniacum in aceto ſolutum, adprime ſunt vtilia. Quum vero majorem ſanguinis effuſi copiam, adjuuantibus viribus naturae, reſorberi inque circulum reduci poſſe experientia conſtet, ſalutaris haecce reſolutio remediis diſcutientibus efficaciſſimis, inter quae alcalina volatilia ac ſaponacea principem ſibi vindicant locum, promouenda eſt; haud neglectis laxantibus antiphlogiſticis, quorum vſus mire reſorptioni humoris effuſi fauet. Quodſi vero pluribus diebus elapſis, nullum adparuerit reſolutionis ſignum, nec ſymptomatum leuamen, praecipue in partibus aponeuroticis, vbi ſegnior reſolutio ſuccedit, ad emollientia reſoluentibus nupta, et ſi effuſio, ſenſu fluctuationis et aliis ſignis in abſceſſuum chirurgia expoſitis indicitur, ad tempeſtiuam inciſionem refugiendum eſt. Effuſiones in majoribus corporis cauitatibus alio loco pertractabuntur.

MXCII. Singularem attentionem merentur contuſiones articulationum, trochanteris majoris, et genu praecipue, vnde non ſolum ligamenta articularia, ſed ipſe quoque articulus inflammationem ſubire, dolor chronicus acutiſſimus, motus difficultas, abolitio cauſari, et ſuccedens denique ſuppuratio profundiſſima, hydarthrus, fungus articularis, caries, mala inſanabilia induci poſſunt.

poſſunt. Chronicis his ſymptomatibus, haud raro, effectus materiae rheumaticae ad partem debilitatam delatae, jungitur. Tales contuſiones in vniuerſum citam et ſtrenuam methodum antiphlogiſticam, fortiſſima reſoluentia, deriuantia, reuellentia, atque exactam membri laeſi quietem poſcunt, quibus grauiſſima mala haud raro auerti poſſunt.

MXCIII. Inter *contuſiones* absque vulnere externo, principalem attentionem requirunt illa, *quas pulueris pyrii exploſio* vel *globi*, *quos machina pyria euomuit*, inducunt, vnde non ſolum conquaſſationes grauiſſimae, ecchymoſes, ſtupor maximus, rupturae muſculorum, vaſorum, neruorum, ligamentorum, fracturae atque comminutiones oſſium, ſed pro notabilitate partis laeſae ſubita quoque mors cauſſari poteſt.

MXCIV. *Theoriam dictarum* (MXCIII.) *contuſionum* nonnulli ab actione aëris, ante globum citiſſime motum, compreſſi ac lateraliter ſe extendentis; alii a vacuo pone globum citiſſime reimpleto; alii denique a concuſſione electrica deriuare, ac inde comprobare tentarunt, contuſiones grauiſſimas absque immediato globi, e tormento bellico emiſſi, cum ſuperficie corporis contactu, induci poſſe. Varia tamen hisce theoriis obſtare videntur. Etenim, aëris motum

qua-

qualemcumque ad contusionem inducendam parum aut nihil facere docent, aqua, arena, globus filo propensus cet. quae a globi majoris e tormento bellico emissi, propinquo, absque immediato contactu, transitu, tanta quidem de orificio tormenti distantia, vt pulueris pyrii explosio haud amplius agat, haud mouentur; nec desunt exempla globi majoris transitum, ablatis licet ab ejus velocissimo motu vestimentis, aliisque corpori maxime vicinis, huic tamen minime nocuisse. Electricitatem haud mali causam esse suadet absentia electricitatis sub frictione metallorum, experimentis cautis electrometri ope institutis, indagata.

MXCV. *Contusiones* graues e contra, absque cutis laesione (MXCIII.) *immediato contactu* globi e machina pyria ejecti *induci possunt*,

*a*) quoties globus transiens, minuta violentia ac celeritate paruam superficiei corporis partem oblique quidem attingit, sed ob cutis resistentiam ad angulum impulsui similem reflectitur, ac directionem mutat, effectus vero impulsus, secundum priorem directionem, ad partes internas propagatur.

*b*) quoties globus parua vi ac velocitate superficiem corporis recta linea attingit, cu-

cutem vero haud perforare valet, ſed aut fundum petens quieſcit, aut reflectitur; contuſio vero profundiſſima inducitur.

MXCVI. Harum contuſionem *prognoſis* in vniuerſum quidem ex conditione partis laeſae pendet; aliis tamen contuſionibus multo grauiores merito cenſentur illae, cum major interna diſſolutio, neruorum labes, ſtupor aut membri adfecti aut totius corporis, ingens inflammatio citaque gangraena cum maximo vitae diſcrimine ſaepiſſime inſequatur. *Curatio* harum laeſionum generalem contuſionum medelam ſequitur; prouidiſſima tamen attentio habenda eſt, num contuſionem ad adſpectum leuem major diſſolutio interna comitetur, ne tempeſtiua inciſio aliaeque cautelae differantur.

MXCVII. Quae ab inſtrumento contundente facta ſunt *vulnera contuſa* ſtrictius dicta, ſaepiſſime lacerata, in vniuerſum quidem, niſi breui exſiccationem et phlogoſeos reſolutionem admittant, methodum emollientem exigunt, quo celerius in ſuppurationem tranſeat inflammatio, vulnere deinde ad methodum antea dictam tractando. Inter vulnera contuſa ſpecialem pertractationem merentur vulnera ſclopetaria, vtpote omnium grauiſſima.

Vul-

## *Vulnera ſclopetaria.*

MXCVIII. *Vulnerum*, *globis* aliisue corporibus *e ſclopeto ſeu machina pyria ejectis*, inque corpus humanum actis, factorum praecipua *differentia* poſita eſt in diuerſa eorum penetratione. Diſtinguuntur inde

*a*) in *coeca*, in quibus corpus alienum introitum in corpus, haud exitum ſibi parauit, quae corpora inde remanere ſolent.

*b*) in ea, *quae exitum ſimul habent*, ſi globus penitus per partem transadactus eſt. In iis oſſe illaeſo, veſtimentis aliisque mollioribus haud reſiduis, corpora aliena abeſſe poſſunt. Introitus globi noſcitur vulnere anguſtiore magisque colliſo, depreſſo; exitus vero longe largiore apertura aliquomodo eleuata: ſi exitus globi inferior eſt, quam introitus, aut obliquam globi directionem, aut debiliorem illius motum ſuspicare licet.

*c*) in *totius membri* ſeu partis alicujus totali *ablatione*.

MXCIX. Vulnera haec, aliis *grauiora ac complicatiora* vt plurimum *redduntur*, dilaceratione fibrarum, vaſorum, neruorum; commotione,

quae

quae interdum ad ipſam partem laeſam limitatur, interdum per totum corpus excurrit; vnde exſurgit ſpasmus, elaſticitatis ablatio, partis laeſae inſenſibilitas, grauitas, ſtupor, frigus, humorum accumulatio, effuſio, a pulueris pyrii exploſione comburente inducta; febris porro intenſiſſima, acuta, inflammatoria, vel neruoſa, vel putrida, vel hectica; corporibus alienis, inhaerentibus, duris, mollibus; haemorrhagia, raro primaria, ſaepius ſecundaria; ſuppuratione ſequenti praua, copioſa, debilitante; abſceſſibus variis; vlceribus ſinuoſis, pure reſorpto; ac ſymptomatibus denique pro partium laeſarum ratione, methodo medendi adhibita, ac conſtitutione aegroti oriundis.

MC. *Prognoſis* cujuscunque vulneris ſclopetarii pro dictis circumſtantiis, ſi adfuerint, quidem varia, incerta tamen atque ambigua ſemper merito habetur, cum vulnus ad adſpectum leue, haud raro maximas vitae inſidias aegroto ſtruat. Parietes vulneris ſclopetarii a praegreſſa contuſione et tenſione quaſi emortuae deinde inſtar eſcharae ſecedunt; nullum inde vulnus ſclopetarium absque ſuppuratione ſanatur. Contuſionis effectus grauior ad globi introitum; mitior ad hujus exitum. Quo citior motus globi eo grauior effectus; quo grauior contuſio, eo lentior inſlammatio ſuccedit.

MCI.

MCI. Antequam curationem vulneris sclopetarii suscipiat chirurgus, attentissime perpendet, *an amputatio membri laesi mox instituenda*, longae curationi, cruciatus ac periculi plenae, praeferenda. Si grauis ossis comminutio prope juncturam adfuerit, vasa majora, nerui, musculi, tendines majores dilacerati, totum membrum frigidum insensile foret, neque tamen commotionis effectus per reliquum corpus propagati videantur, omnino cita membri amputatio praeferenda videtur; quanquam haud desint obseruata rariora, grauissima vulnera, sub dictis circumstantiis, absque amputatione denique sanata fuisse. Interea locus, in quo vulnus inflictum est, et difficultas sequentis debitae tractationis aegroti, ad ferendum judicium de necessitate amputationis multum faciunt.

MCII. Vulneris sclopetarii *exploratio* in vniuersum in eo, quo vulnus inflictum fuit, situ instituenda est, cum in quouis alio directio canalis mutetur. Notandum hic, viam vulneris haud semper recta via procedere; haud raro enim globus minuta vi procedens ad resistentiam ossium, quin partium tendinearum, aponeuroticarum reflectitur, ejusque via aliam directionem adsumit. Ipsa indagatio optime digito in vulnus immisso, exiguo vulnere in antecessum dilatato, perficitur;

 minus

minus ſecure ſpecillo craſſiori inducto. Glandis ſeu minoris corporis via difficilius exploratione detegitur.

MCIII. Saepiſſime vulnera ſclopetaria *dilatationem* largam, tempeſtiuam, poſcunt, ad notitiam anatomicam atque rationem vulneris inſtituendam; ductus ſuperficialis breuior transſciſſionem; profundior externi orificii largam inciſionem, verſus fundum in coni figuram decreſcentem, exigit; quae verſus integumenta oppoſiti lateris decurrunt vulnera, inciſionem oppoſitam requirunt; quae denique, exitum habent, vtriusque orificii dilatationem ſufficientem poſcunt; haud parcendis filamentis tendineis integris, quae interdum per medium ductum transuerſim decurrunt. Certa tamen fidaque experientia conſtat, non omnia vulnera ſclopetaria dilatationem requirere, ſed absque ea omnino ſanationem admittere. Neceſſaria tamen erit vulneris dilatatio, ſi haemorrhagia grauis adfuerit ligaturam poſcens, ſi corpora aliena cuti vicina ſeu nociuam aliarum partium preſſionem, ſeu irritationem inducentia adſint haud absque vulneris dilatatione extrahenda, ſi ſitus viſcerum oſſiumque mutatus ampliorem plagam poſcat, et denique ſi expanſio aponeurotica muſculos inflammatos obtegat.

MCIV.

MCIV. *Corpora aliena* dura, globi, glandes plumbeae, feſtucae oſſeae, ſub ſitu congruo (MLXXIV.) ac dilatato vulnere (MLXXV.), digito ſeu ſpecilli ope *indagantur*, corpora mollia, veſtimenta aliaque immiſſa difficilius deteguntur, et retentae minus nocent. Aliena quae ſentire licet, digitis, vel forcipe idonea caute, ne partes vicinae ſimul attrahantur, admota *extrahuntur*, vel per ipſum vulnus, vel per inciſionem oppoſitam. Terebrae, cochleae, vnci, aliaque ad extrahendos globos inuenta, raro cum vtilitatis ſpecie vel absque detrimento adhibentur. Neque tamen globulorum, ſeu aliorum corporum extractio ſemper ſuccedit, nec violenter extrahenda, ſi absque grauiori laceratione ac diſtenſione haud educi queant, praecipue ſi vel oſſis cujusdam ſubſtantiae impacta, vel minora aut mollia inter partes vicinas lateant. Cum omne vulnus ſclopetarium, ſoluta a ſuppuratione eſchara amplior euadat, corpora aliena ſub hoc morbi ſtadio, ſaepe absque dilatatione vulneris ſatis commode extrahi poterunt, praecipue ſi idoneus membri laeſi ſitus globum verſus vulnus externum dirigat. Feſtucae oſſeae majores haud plane ſolutae, non extrahendae, ſed in ſitum idoneum reprimendae, niſi earum ſitus, aut figura, vel ſymptomata inde deriuanda obſtent.

MCV. *Globus* seu *aliud alienum*, in corpore *remanens*,

*a*) aut suppuratione sequenti solutum facilius extrahitur,

*b*) aut fistulosum vlcus inducit,

*c*) aut minori, seu plane nullo incommodo aegroti per totam vitam remanet,

*d*) aut locum mutat; in distantiori, saepissime decliuiori loco abscessum format, quo aperto seu rupto, extrahi poterit.

MCVI. Quum vulnera sclopetaria pro velocitate globi transeuntis, ob crispationem vasorum laceratorum, nisi majus vas sanguiferum fuerit laesum, vel nullum vel paucum *sanguinem fundunt*, salutare in primo vulneris stadio modicum hujus profluuium tempestiua ac prudenti plagae dilatatione (MLXV.) restituitur, qua et insequens inflammatio et tensio vulneris minuitur, haemorrhagia metuenda praepeditur, febris consensualis mitigatur et suppuratio simul promouetur. In vniuersum vulnera sclopetaria nisi vasa majora laesa fuerint, longe minorem sanguinis copiam fundunt quam incisa vel puncta. Haemorrhagia secundaria grauis, soluta eschara, vel orgasmo febrili, vel corporis seu membri saltem adfecti motu, vel accedente suppuratione, vel incauta appa-

apparatus deligationis ablatione, inducta, quae haud raro praegreſſo grauitatis aut pulſationis in parte adfecta ſenſu indicatur, vel ab humorum diſſolutione ſuperueniens, ad methodum (DCCCCLXII. ſeq.) propoſitam cohibetur. Decet inde in hoc caſu, vt torcular ſemper praeſto ſit, quo haemorrhagia cohiberi poſſit.

MCVII. *Gangraena* vulneris ſclopetarii comes vel *primaria* eſt immediata contuſionis et ſuppreſſae vis vitalis ſequela, nulla arte auertenda; vel *ſecundaria* praegreſſae grauiſſimae inflammationis effectus, ſaepe ad methodum antiphlogiſticam viribus aegroti ac grauitati morbi adornatam, auertenda, qua nimia ſuppuratio ſecutura quoque auertitur.

MCVIII. Ipſa vulneris *deligatio*, citae ſuppurationis promotioni ac eſcharae ſolutioni adornanda. Leniter ideo linteo carpto, vnguento digeſtiuo ſeu oleo blando imbuto, impleatur vulnus, ſeu hoc in vulneris canalem injicitur, et cataplasma emolliens vulneri imponitur, omnibus adſtringentibus, ſpirituoſis vitatis. Deligato vero vulnere, totum membrum fomento antiſeptico adſtringente vtiliter circumdatur, cui ſcopo aqua marina, aqua vulneraria Thedeniana, ſaturnina, ſal ammoniacum aqua ſeu aceto commixtum, decocta aromatica, ſpirituoſa, vinoſa, in-

inſeruire poſſunt. Suppuratione praeſente ab emollientium vſu abſtinendum erit; linteum carptum ſiccum pro deligatione ſufficit, leni inuolutione totius membri haud neglecta; linum paruum (CCLXXVI.) per canalem vulneris, ad auertendas puris accumulationes, vtiliter traducitur.

MCIX. *Symptomata primitiua auertuntur, mitigantur* methodo antiphlogiſtica; ſanguinis miſſiones repetitae, caute tamen inſtituendae, ne vires aegroti fractae ſuppurationi futurae impares reddantur; haud neglectis cautelis, quoad therapiam internam, primarum viarum expurgationem, regimen animi corporisque quietem cet. antea expoſitis.

MCX. *Symptomata ſecundaria* abſtinentiam a regimine antiphlogiſtico, niſi a qualicunque cauſa redeat inflammatio, poſcunt. Suppurationi nimia prauae, puri reſorpto, abſceſſibus commotionis ſequelis, qui haud raro majori de ipſo vulnere diſtantia adueniunt, vlceribus ſinuoſis, oedemati, carie, fracturis, luxationibus, ſpasmis, anchyloſi, marcori, paralyſi, ad methodum ſuo loco pertractandam vel antea expoſitam occurritur. Perioſtii contuſio ejus inciſionem, ſi locus concedit, haud raro poſcit. Vulneris ſanatio ſub febri lenta, virium proſtratione, ſuppuratione

larga,

larga, diaeta, cortice, antifepticis haud coercenda, absque caufa detegenda minime fuccedens, triftem interdum membri amputationem pofcit, qua aegrotus fparfim ex orci faucibus eripitur. Totalis membri, globi majoris impetu, ablatio, vix citam extremi amputationem admittit, cum commotionis effectus frequentiffime fupra laefionem, quin interdum per totum corpus jam propagatus fit.

## *Vulnera a corpore alieno illi communicato complicata.*

MCXI. Varia *corpora aliena* vulneri communicari et hoc inde complicatum reddere poffunt; principalia funt

- *a*) *corpora mechanica*,
- *b*) *acrimoniae chemicae*,
- *c*) *venena*, quae vulneri qualicumque modo admota, multa ac varia fymptomata inducere valent.

MCXII. *Corpora mechanica*, quouis modo in corporis vulnus inducta, vti aculei, feftucae variae ligneae, metallicae; glandes, globi cet. *extractionem* requirunt, ad rationem peregrini, digitis, acu, forcipe idonea, inftituendam; praeuia interdum vulneris conuenienti dilatatione. Corpora minora, arena, fruftula vitrea, feftucae paruae

paruae osseae, satis commode saepe injectione eluuntur. Partes ferreas magnete admoto extractas fuisse obseruatum est. Remanentia in corpore aliena haud extrahenda, varias turbas inducunt (MCV.) expositas.

MCXIII. *Acrimoniae variae* vulneri *communicatae*, tempestiua ablutione, dilutione, inuolutione, lauatione, injectione, instillatione, aquosa, oleosa, mucilaginosa, vel contraria admiscendo; alcalina acidis, his alcalina, vel admoto cauterio, vel cucurbitarum adplicatione, vel copiosam suppurationem promouendo occurritur atque earum nociuus effectus infringitur.

MCXIV. Varia *venena* corpori per vulnus communicata, vel resorptione materiae nociuae vel per consensum, stimulum seu impressionem remotioribus partibus aut toti corpori communicando, varias easque grauissimas turbas inducere possunt. Inter varia venena corpori per vulnus communicanda in nostris regionibus communissima sunt

*a*) diuersae *insectorum puncturae*,

*b*) *morsus viperarum*,

*c*) *furiae infernalis*, ac denique

*d*) *morsus animalis rabidi.*

MCXV. *Puncturae culicum, apum, vesparum* pro sensilitate aegroti inflammationem satis graueni,

uem, cum febri conſenſuali, inducere poſſunt, quae ſymptomata, acri cuidam ſtimulanti in puncturam immiſſo, attribuenda eſſe videntur. Aculeus, ſi in vulnere haereat, acu educendus; ſi non, ſtimulus epithemate frigido, acido, ſaturnino, theriacali infringitur; in veſparum puncturis ſpiritus ſalis ammoniaci vſus externus profuit; raro ſymptomatum grauitas methodum generalem antiphlogiſticam poſcit.

MCXVI. *Coluber berus* ſeu *vipera*, animal *veneno praeditum*, quippe quod in ore gerit aculeos oſſeos, plicatiles, cauos, quorum baſis premit totidem folliculos ſucco venenato turgidos; *vulneri*, quod iratum *mordendo inducit*, liquidum iſtud infundit, vnde tumor inſurgit inſignis, dolorque grauis e vulnere cito proſerpens, deinde horror, pallor, pulſus debilis, inaequalis, intermittens, color icteritius, extremorum frigus, anxietas praecordiorum, vomitus, palpitationes, animi deliquium, ſudores frigidi, ſopor, conuulſiones et niſi cito adferatur auxilium, mors: quae omnia eo certius citiusque ſequuntur, ſi in pluribus locis morſum animalis acceperit aeger. Virus viperarum haud in neruos agere videtur, ſed in ſanguinem qui illo admixto cito coagulatur. Antidotum hujus veneni experientia comprobatum eſſe dicitur, oleum oliuarum frictione

punctu-

puncturae ac toti membro frequenter admotum, et interne ſimul majori quantitate porrectum; leuamine haud cito ſequente vulnuſculum inciditur, vt oleum ipſius fundum attingi queat, larga deinde ſuppuratio ſuſtinetur. Profuerunt balnea tepida ac cita membri ligatura. Neque paruam laudem tribuunt ſali alcalino volatili ſub forma vel ſalis vel fluoris porrecto, externe in vulnusculum immiſſo, nec minus foliis belladonnae ad rationem ſubjecti de tribus ad duodecim grana ſemel vel bis per diem porrectae.

MCXVII. In regionibus ſeptentrionalibus interdum occurrit furia infernalis, quae in partes haud obtectas ex aëre cito ſe intrudit, maculam nigram inducit, quae inſtar ſphaceli ſubito ſub dolore atrociſſimo ac febri acutiſſima proſerpit et mortem, ad fida obſeruata, paucis diebus, quin horis inducere poteſt, niſi atrociſſimo malo totius infecti exſciſſione occurratur. Disruptionem extremi inſtar capilli e cute prominentis ſymptomata, atque periculum augere, compertum eſt.

## *Morſus animalis rabidi.*

MCXVIII. *Animalis rabidi* aut *ſumme irati* aut *hydrophobici*, canis, lupi, felis, vaccae, anatis, galli, cet. ipſius hominis *ſaliua, vulneri, excoriationi, cuti integrae,* morſu, oſculo, degluti-

glutitione, adſperſione, lambendo (quod ipſi bis certe obſeruauimus) admota, partim irritatione, partim reſorptione ſyſtema neruoſum diuerſimodo adſicere, ac grauiſſima ſymptomata inducere poteſt. An praeter ſaliuam in aliis partibus fluidis ſeu ſolidis haerere poſſit virus, ſub tanta obſeruationum diuerſitate haud certe adhuc euictum videtur; in ſola tamen ſaliua ſedem habere virus, valde probabile videtur. Vulnus quidem, ſi quod adeſt, a ſaliua infecta, adeo parum mutatur, vt hoc per longum tempus ſimplicis purique ſpeciem prae ſe ferat, quin plerumque nimis facile claudatur. Diu latitans virus vero humoribus admiſtum, horrendam ſuam indolem denique poſt hebdomades, menſes, quin, vti dicunt, poſt annos, manifeſtare ſolet.

MCXIX. Canibus. omnium animalium maxime familiaris eſt morbus, et ab illis frequentiſſime homini communicatur. *Suſpicionem* vero, *canem* eſſe *rabidum*, mouent, ſpuma oris, cibi potusque auerſatio, curſus caude depreſſo vacillans, moroſitas, mordacitas; praeterea, dominum haud noſcit canis rabidus, nullum ſonum edit, domicilium ſolitum relinquit, incluſus furioſus euadit, ab aliis canibus euitatur, qui quoque carnem ſaliua canis rabidi imbutam recuſant. Certiſſime vero, ſi aliud animal a morſu rabidum euadit.

MCXX.

MCXX. *Symptomatum*, hujus miasmatis euolutionem infequentium, praecipuum eft hydrophobia, feu permanens, faepiffime inuita, aquae feu alius cujusuis liquidi auerfatio, haud ab alia cognita deglutiendi difficultate deriuanda. Quae hydrophobia praecipuum quidem fymptoma morbi conftituit, minime vero caufam mortis praebet, quae in adfectione neruofa generali quaerenda eft, morbofa irritabilitate pharyngis et difpofitione ad fpasmos juncta.

MCXXI. Atrociffimi mali *prodromi* praegreffa infectione obferuantur

*a*) in *parte, cui virus infertum erat*,

*b*) in *reliquo corpore*,

*c*) in *ipfa* denique *mente aegroti.*

MCXXII. *Partem primo infectam* quod attinet, vulnus a morfu canis rabidi ab aliis vulneribus haud venenatis nullo certo figno dignofcitur; vulnera haud confolidata, copiofam faniem fundere, ac fpongiofam carnem protrudere; fanata iterum aperiri, cicatrices nitefcere, cutem integram dolore, prurire, obferuatum eft; quod tamen non cum aliquali conftantia accidit. Conftantius fignum eft, loci primum adfecti fenfatio dolorifica variae indolis, fenfim ad truncum, quin imo fauces, quibus ftrangulationem jam inductura videtur, fe extendens. Reforptionem virus ope

ſyſtematis lymphatici fieri veriſimillimum videtur; neque tamen nec vaſa lymphatica, nec glandulae vicinae ſtimulo morboſo vel tumore adfici videntur; quod in aliis reſorptionibus virulentis fieri ſolet.

MCXXIII. *In reliquo corpore* laſſitudo, dolor vagus rheumatismum mentiens, anorexia, vomitus, ſitis, aluus adſtricta, reſpiratio anxia, ſomnus parcus haud reficiens, ſubſultus, ſpasmi, pulſus paruus frequens, aërophobia, oppreſſiones pectoris, dolor in ſcrobiculo cordis, diſpoſitio ad ſpasmos, rigiditas muſculorum abdominalium, haud raro hydrophobiae prodromi obſeruantur. Nec deſunt ipſius *mentis turbae:* triſtes, cogitabundi, anxii, iracundi, moroſi, ſolitudinem amantes, nunc taciti, nunc loquaces euadunt, ſomnus leuis, phantasmatum plenus, quae omnia incertae durationis, interdum quoque plane abeſſe poſſunt, interdum ſub ipſo morbi gradu aucto perſiſtunt, mox continua, mox remittentia obſeruantur. Quo magis aegroti morbum timent, eo certius atrociſſimo malo corripiuntur; quantum imaginationis vires faciant, inde conſtat, vt hydrophobia a morſu canis haud rabidi inducta fuerit. Quo mobilior ad ſenſum motumque eſt aeger, eo citius morbus accedit. Infantes ac foeminae inde citius morbo corripiuntur, quam viri. Sub coelo calido frequentior

eſt

eſt morbus, quam ſub frigido. Notandum tamen hydrophobiam non a ſola communicatione ſaliuae animalis rabidi, ſed quoque, quod raro tamen accidit, absque vllo contagio, vtpote ſymptoma alius morbi oriri poſſe; a fructuum fagi eſu ortum eſſe morbum exempla proſtant.

MCXXIV. Ipſa *hydrophobia* ſenſim accedit, primo liquidi auerſatio, ſolummodo ingrata, reluctans, difficilis, deinde horrida, dolorifica, tremebunda, anxia, conuulſiua, ſtrangulans, exanimans. Idem cruciatus a deglutitione ſaliuae, quam inde cum vehementia et angore exſpuunt miſeri. Horror deinde vsque adeo increſcit, vt nequidem ſuſtineri queat contactus liquidi, balneo, clysmate, fomento, frictione admoti. Intolerabilis porro euadit ipſe adſpectus liquidi cujuscunque coloris, quin omnium illorum, quae ſpecie vel ſono ideam fluidi reuocare poſſunt, corporum ſplendentium, pellucidorum vel lucidi coloris, ipſius lucis qualiscunque ac ſonus liquidi fluentis vel ſtillantis. Aëris denique horror vel jam adeſt vel quoque accedit, cujus leuiſſimo motu miſeri adficiuntur. Neque tamen haec omnia cum conſtantia accidunt; hydrophobia nunc continua eſt, nunc intermittit, nunc remittit.

MCXXV. *Reliqua ſymptomata* ſaepe adſunt, ſolidorum deglutitio impedita, ſitis intentiſſima, lingua

lingua ſicca, arida, fiſſa, aſpera, aphthoſa, faucium aliqualis inflammatio, vox ſtridula, rauca, fere exſtincta, facies dejecta, pallida, minax, ferox, anxia, deſperabunda, oculorum rubor, pupillarum dilatatio, epigaſtrii tumor, abdominis depreſſio, vomitus bilioſus, ſatyriaſis, delirium ferox, mordendi cupido, febris intenſiſſima, ſenſuum ſingulare acumen, ſenſilitas exquiſita, reſpirationis difficultas, conuulſiones et ſpasmi totum corpus peruagantes, quibus miſeriis mors denique finem imponit. Haec omnia nunc maximo gradu, nunc minori, adeſſe, nonnulla quoque ad mortem vsque plane abeſſe poſſunt.

MCXXVI. Diriſſimi hujus morbi *prognoſis* valde eſt ambigua. Aegrotorum ſalus maxime in prophylaxi haeret. Morbus inter vigeſimum et quadrageſimum diem accedere ſolet, haud tamen cum conſtantia; ſecundo poſt laeſionem die et ad finem decimi ſeptimi menſis morbum inuaſiſſe compertum eſt; id quod monſtrat communicationem virus lentiſſime interdum fieri. Prodromi morbi ſi jam adfuerint, curationem adhuc admittere diriſſimum malum, ex obſeruatis colligitur. Declaratam autem hydrophobiam rem eſſe deſperatam, ab omni aeuo compertum eſt; quamquam ſinguli morbum ſuperaſſe leguntur. Totius morbi duratio ſi lethalis fuerit, raro vltra hebdomadem ex-

excurrit, ipſa hydrophobia vix quatriduum emetitur. Symptomata laeſionem eo citius ſequi ſolent, quo junior, irritabilior, ſenſilior eſt aegrotus; quo magis ſyſtema reſorbens viget, porro quo ferocioris ſpeciei vel ferueſcentioris irae fuerit animal laedens; quo grauior ejus morbus; quanto calidior clima vel anni tempus. Nudae cuti morſu virus facilius communicatur, quam veſtimentis obtectae. Animal reuera rabidum fuiſſe docet ejus ſaliuae vel morſu communicatio, vel in vulnus recens alius animalis immiſſio, morbum inducens.

MCXXVII. Teterrimi morbi *prophylaxis* omnibus viribus innititur eliminatione atque deſtructione virus; quod tentatur

*a*) rita vulneris *elutione*,

*b*) illius *exſciſſione* vel dilatatione varia,

*c*) *aduſtione* ac *irritatione* vulneris diuerſa.

MCXXVIII. Rita vulneris *elutio* nunquam eſt ommittenda; ne quidem ſi exſciſſio totius vulneris inſtitui poteſt. Sub ipſa enim hac operatione particula virus facillime vulneri recenti communicari poteſt. Sit vero elutio longa, diuturna; inſtituatur ſuperinfuſione frigidae, elutione ſpongiae ope, ſtillicidio, injectione quae in vulneribus magnis laceratis ſatis facile inſtituitur, in minoribus profundis, difficilius, quae praeuiam dilatationem poſcunt.

MCXXIX.

MCXXIX. *Exſciſſio* totius vulneris tempeſtiua, omnium remediorum contra atrociſſimum morbum, procul-dubio eſt certiſſimum; eluto in anteceſſum vulnere, totum hujus ambitum includere debet. Sit inde pars exſciſſa conoidea vbique imperforata. Conuenit inde ambitum vulneris atque directionem rite in anteceſſum explorare. Vetant interdum vulneris ratio ac partium vicinarum indoles hanc vulneris exſciſſionem. Sub hoc rerum ſtatu, ambitum vulneris quantum cum ſecuritate licet auferre, aut ſaltem vulnus ad varias directiones dilatare cogimur. Sanguifluxus haud intempeſtiue ſupprimatur, ſed potius ſi locus hoc concedit cucurbitae ope extrahatur cruor. Alii ſanguinis eductionem hirudinum ope tentarunt.

MCXXX. Vulnus haud exſciſſionem admittens applicationem *cauſtici fortioris* poſcit, cito eſcharam inducentis, breui ſoluendam, cui ſcopo alcali cauſticum vegetabile in forma ſolida, ſeu butyrum antimonii optime inſeruit, quorum eſchara cito auferri poterit; mitiora cauſtica minus commoda merito judicantur, cum particulae virulentae ſub tali eſchara diutius latere poſſint; nonnulli inde eſcharam reſecandam eſſe ſuadent. In vniuerſum totam vulneris ſuperficiem vbique attingere debet cauſticum. Eundem promptum effectum ab vſtione profunda ferri candentis ſeu

moxae aut pulueris pyrii incenſi ope expectare licet. Soluta eſchara vulnus ſuppurantium cantharidibus remixtorum ope in vlcus large diuque fluens mutetur; haud neglecta totius ambitus inunctione mercuriali repetita, quae medendi ratio ſaltem ad quadrageſimum vsque diem continuanda erit. Si juſto citius clauſum fuerit vulnus, tumeſcente, dolente, rubente inprimis cicatrice, eadem dicta therapia tempeſtiue adhibeatur.

MCXXXI. Neque ſub teterrimi morbi prophylaxi negligatur therapia interna, regimen diaphoreticum, alui leuis ſubductio, balneum tepidum, alcali volatile fluor, belladonna, inunctio mercurialis ad ſaliuationem vsque protracta, ſanguinis in plethoricis miſſio. Olei oliuarum potum copioſum et frequentem inunctionem externam nobis quoque proficuam fuiſſe viſum fuit.

MCXXXII. *In ipſa hydrophobia declarata laudantur* quidem inunctiones mercuriales in collo ac ipſo ore, ab aegroto ipſo perficiendae; internus mercurialium vſus ad citam ſaliuationem protractus, turpethum minerale, opium, moſchus, camphora, belladonnae folia, radix; alcalina volatilia, ſcarabaei, cantharides, anagallis, lichen terreſtris, puluis antilyſſus, balnea marina, ſemicupia, emetica aliaque bene multa. Ardua tamen ac difficilis, quin ſaepe impoſſibilis ac periculi plena eſt medela, cum difficillime porrigi, quin

quin vix clysmate injici poſſint remedia. Nec vllius remedii vis ſpecifica ad debellandum virus hujusque certa atque conſtanti experientia comprobatum eſt. Curſum aegroti, quoad vires ſinunt, diu continuatum proficuum fuiſſe legimus.

MCXXXIII. *Sectiones hydrophobia exſtinctorum* nihil certi ad indagandam morbi naturam monſtrant; deuiationes in talibus funeribus obuiae, a conuulſionibus exortae, ad probandam conuulſiuam morbi naturam cum ejus ſymptomatibus, valent. In nonnullis leuis ventriculi et oeſophagi inflammatio inuenta fuit. Sanguis hydrophobicorum nullam cruſtam inflammatoriam monſtrat.

## *Virulentiae ſtudio vulneri communicatae.*

MCXXXIV. Generalis quidem indicatio requirit, vt variae acrimoniae ac virulentiae citiſſime e vulnere remoueantur; adſunt tamen circumſtantiae, vbi virus ſtudio vulneri aut ſuperficiei corporis integrae admouetur, aut, vt majus periculum auertatur, aut, vt nouus morbus priori contrarius inducatur, quo hunc ſanandum fore ſperatur. Prius fit in variolarum inſitione; poſterius in ſcabiei ac gonorrhoeae communicatione a nonnullis tentata.

## *Inſitiones pro avertendo variolarum contagio.*

MCXXXV. Inter flagella generis humani, vnde inſignis hominum numerus quouis anno necatur, principem procul dubio tenent locum *variolae.* Nullus alius morbus, nulla miſeria generi humano infeſta, ne bella quidem maxime cruenta, nec ipſa peſtis, tantam hominum cladem efficiunt, quam variolae. Europa, quae centum circiter ſexaginta milliones hominum continere dicitur, in vna generatione quindecim, et in ſeculo quadraginta quinque milliones incolarum hoc morbo necatos numerare poteſt. Quamuis epidemiam varioloſam notant clades funeſtae defunctorum, et inter illos qui e morbo euaſerunt multos, qui a materiae varioloſae metaſtaſi ad caput, pectus, articulationes aliasque partes, valetudinarii, deformes, hebetes, cōeci, corporis animique viribus fracti per reliquam totam vitam remanent. Nihil inde generi humano exoptatius imaginari poteſt, quam remedium ſecurum, conſtanti experientia comprobatum, quo pernicioſisſima hujus morbi peſtis coerceri atque penitus e politioribus terris excludi queat. Aſt omnia quae hucusque, ſi vaccinationem exceperis, ad hunc ſcopum obtinendam propoſita ſunt, vel omnino effectu carent, vel tot tantisque laborant difficultati-

tatibus, vt piis solummodo desideriis adnumerare possimus. Periculi vero variolosi auersio praecipue tentata fuit, variolarum naturalium insitione, et denique vaccinatione.

## *Insitio variolarum naturalium.*

MCXXXVI. Variolarum insitio *est* illa operatio chirurgica, qua virus variolosum homini, haud hunc morbum perpesso, neque jam infecto, communicatur.

MCXXXVII. Variolarum humanarum insitionem, quamquam ad maximam partem in illis subjectis, qui hanc medendi rationem admiserunt, atrocissimi morbi pericula auertat; quamquam ingens hominum numerus hac operatione seruatus sit; minime tamen generi humano proficuam fuisse, constanti experientia comprobatum est. Variolae insitione communicatae in vniuersum quidem mitioris genii minusque periculosi sunt quam naturales, negari tamen haud potest, illas haud semper omni periculo carere et sparsim, licet si omnimodo ad artis regulas instituatur, rarissime funestum habuisse euentum. Tenerrima aetas infantilis, dentitio, habitus morbosus haud raro insitionem excludunt seu saltem incommoda morbique pericula adaugent. Insitione denique variolosa aliorum infectio et inde perpetua

petua variolarum epidemia sustinetur ac sparsim variolis malignis ansa praeberi potest.

MCXXXVIII. Scimus inde experientia edocti, numerum eorum, qui fato varioloso succubuerunt, *minime* insitione variolarum humanarum *minutum*, quin *potius adauctum* fuisse. Tabulae defunctorum omnes apud nostrates et exteros per pluria decennia collectae hoc abunde probant. Nec vllibi insitio variolarum naturalium generaliter recepta fuit; vbique tot habuit aduersarios quam amicos. Frustra inde erant vbique terrarum conatus principum, medicorum, bonorum ciuium, vt insitionem variolarum naturalium diuulgarent.

MCXXXIX. Noscimus jam aliam medendi rationem, qua teterrimus morbus variolosus, generi humano per secula infestus, cum securitate et absque vllo periculo auerti potest, *insitionem* nempe *vaccinarum*. Insitio variolarum naturalium, post detectam *vaccinarum virtutem*, merito inde non solum superflua sed quoque nociua habenda est, et haud amplius chirurgiae prouinciam ingreditur. Missis inde cautelis atque encheiresi insitionis variolarum naturalium mox ad vaccinationem, diuinum illud remedium, quod generi humano largitus est creator, pro auertendo variolarum contagio, progredimur.

MCXL.

## *Vaccinarum inſitio.*

MCXL. Vaccinatio *eſt* illa operatio chirurgica, qua, in ſolatium generis humani, lympha in vaccinis contenta, ad auertendam infectionem variolofam, homini haud variolas antea perpeſſo communicatur, vnde periculum infectionis variolarum humanarum certe atque cum ſecuritate auertitur.

MCXLI. Inter vaccas lactiferas, haud inter tauros, boues ac vitulos, diu innotuit in nonnullis regionibus, Anglia, Holſatia pluribusque, variolarum ſpecies, epidemice graſſantes, mammas vaccarum obſidentes, in Dania incognitae. Hae variolae quae ſub nomine vaccinarum innotuerunt, pallide coerulei coloris, liquidum pellucidum acre continentes, circulo roſeo cinctae, lente deinde exſiccantur, absque vllo vaccarum ſanitatis detrimento, et eſcharam formant, quae pluribus ſeptimanis praeterlapſis, niſi frictione vexetur pars adfecta, decidere ſolet.

MCXLII. Per ſeculum jam obſeruatum eſt inter incolas ruricolas, ancillas quae mulctioni lactis vaccarum inſeruiunt, eodem morbo ad digitos manuum ſparſim affici, et has poſtea ab infectione variolarum immunes eſſe. Haec tamen experientia in copia narrationum plebis, inter quas

quas nonnullae rite et prudenter obſeruatae atque ſecutae, generi humano proficuae eſſe poſſent, occultatae, haud attentionem publicam per longam annorum ſeriem excitauit. Contigit denique fauſta ſors *Eduardo Jennero*, praxin medicam in Anglia exercenti, haud inuentorem fuiſſe obſeruationis certae atque conſtantis, vaccinas infectionem variolarum humanarum auertere, ſed primum fuiſſe qui lympham vaccinarum inſitione hominibus communicauit, et hos deinde vario modo infectioni variolarum humanarum expoſuit. Anno praeteriti ſeculi nonageſimo octauo in lucem meridianam protraxit ſummus vir experientiam haud ambiguam, vaccinas genuinas omnem variolarum humanarum infectionem certe atque cum ſecuritate auertere. Per ſecula poſteri nomen immortalis Jenneri grata ſeruabunt memoria, cujus ſtudio milliones hominum jam ſeruati ſunt et ſeruabuntur; qui tramitem nobis monſtrauit, ope cujus peſtis varioloſa, generi humano adeo infeſta atque pernicioſa, non ſolum certe auerti, ſed e politioribus terris penitus excludi poſſit.

MCXLIII. Experimenta Jenneriana jam vbique terrarum frequentiſſime repetita jam docuerunt ſequentia, quae principiis medicis certis atque indubiis jam adnumerari poſſint;

1. Vac-

1. Vaccinatio omnimodo ad artis regulas instituta et characteribus genuini morbi comitata, omne *periculum infectionis* variolarum humanarum *certe auertit.* Vaccinas genuinas perpessi omnibus infectionis variolarum modis curate expositi ab infectione incolumes fuerunt.

2. Vaccinatio *nullis grauibus symptomatibus iuncta* est, nec in ipso loco insitionis, nisi hic irritamento quodam vexetur, nec in reliquo corpore, cum plurimi insiti vix vllo symptomate morboso a vaccinatione inducto afficiantur. Nullam inde praeparationem admittit vaccinatio, in omni aetate annique tempore institui potest, nullam epidemiam parit.

3. *Constitutio habitusque corporis* eorum qui vaccinationem subierunt *nullam plane patitur iniuriam* quae vaccinationi attribui possit, quid? quod plures medici obseruarunt, varios morbus praecipue exanthematicos, sub vaccinarum decursu accedentes, meliorem habuisse characterem, solita epidemica constitutione praesente.

4. *Vir-*

4. *Virtus vaccinarum* pro auertendo contagio varioloſo haud ambigua *ſolis vaccinis genuinis ineſt*, haud vero ſpuriis. Maximi momenti inde eſt attentiſſima dijudicatio an vaccinae inſitione inductae verae ſint, omnibus characteribus morbi genuini junctae, an non; in quo caſu vaccinatio repetenda erit.

5. *Lympha vaccinarum* genuina homini ſemel communicata vſu ſucceſſiuo in pluribus ſubjectis minime virtutem perdit qua infectioni varioloſae obſtat. De anno milleſimo ſeptingenteſimo primo, quatuordecim annorum ſpatio, particula lymphae vaccinatoriae a Jennero Hafniam miſſa, ad hodiernum vsque diem, vaccinatione quouis ſeptimo vel octauo die repetita, conſeruata, et in omnes regnorum prouincias miſſa fuit, absque ne minima quidem virtutis imminutione. Hac lympha inde ſollicite conſeruata, haud neceſſum fuit lympham de aliis locis arceſſandi.

MCXLIV. *Characteres vaccinae genuinae* ſequentes obſeruantur:

1. mag-

1. magnitudo vaccinae pro vaccinatione idoneae, de puncturae veſtigio per octo dies ſenſim increſcit ad lentis majoris magnitudinem,
2. in cujus media parte depreſſio notabilis obſcurioris coloris obſeruatur.
3. margo prominens format annulum ſubalbum, ſubpellucidum, liquidum limpidum haud coloratum continens quod inſtar albuminis oui breui ſiccеſcit.
4. ambitus inter ſeptimum ac decimum diem circulo roſeo cinctus inuenitur, plus minus extenſo, qui ad octauum diem increſcere, deinde decreſcere, denique poſt duodecimum diem plane euaneſcere ſolet.
5. liquidum in vaccina contentum haud in vnico cauo ſed pluribus cellulis paruis includitur, inde punctura facta haud omne liquidum, vti in variolis, aliisque papulis ſimul euacuatur, ſed lente inſtar guttularum e vulnere facto prorumpit.
6. talis ſtatus vt plurimum ſeptimo vel octauo die a vaccinatione facta inuenitur; notandum tamen vaccinas ſub coelo calidiori citius, ſub frigidiori lentius increſcere. — Ante ſeptimum a vaccinatione diem

diem lympha ob minorem copiam, poſt octauum diem, ob majorem ſpiſſitudinem, pro vaccinatione inſtituenda, minus ſecura merito habetur.

7. ad duodecimum a peracta vaccinatione diem exſiccatur vaccina, primo quidem in media parte, deinde in ambitu; formatur eſchara laeuis, coloris fuſci, depreſſionem in media parte retinens, quae denique frictione haud vexata, poſt rigeſimam ſecundum diem ſponte decidere ſolet. Vaccinarum quouis die mutationem monſtrant imagines nitidae publici juris factae. Notandum denique vaccinas frictione vexatas v. ruptas pro vaccinatione haud eligendas eſſe.

8. lympha vaccinoſa e talibus vaccinis deſumta, aliis rite comunicata, infectionem varioloſam futuram certe auertit. Ubi hi characteres, vnus vel plures, deſint, pro vaccinatione haud ſecura merito habetur lympha, et vaccinis ſpuriis haud infectionem varioloſam auertentibus anſam dare ſolet.

MCXLV. *Characteres vaaccinarum ſpuriarum* ſequentes obſeruantur:

1. Sym-

1. Symptomata irritationis a vaccinatione facta immediate ſequuntur vaccinationem. Locus inſitionis inflammationem ſubit primis jam diebus; haud vti in vaccinis genuinis ad nouum diem lente increſcunt vaccinae.
2. quoad formam, puſtulae in vaccinis ſpuriis haud in media parte depreſſae ſed vbique aequaliter extenſae inueniuntur.
3. liquidum in vaccinis ſpuriis contentum haud ad octauum diem limpidum pellucidum, ſed albicans, purulentum, turbulentum inuenitur.
4. exſiccatio eſcharae ſequentis, ejusque ſolutio, breuiori tempore ſequitur.
5. liquidum contentum haud in pluribus cellulis, ſed in vnico cauo includitur.

MCXLVI. *Inter cauſas* quae *vaccinis ſpuriis* anſam dare poſſunt principales ſunt: lympha e vaccinis haud genuinis deſumta; ſi vaccina e quibus lympha detrahitur ab injuria quauis externa, attritu, frictione, integritatem amiſerit; ſi lympha ante ſeptimum vel poſt decimum diem ſumta pro vaccinatione adhibetur; denique vaccinae neonatorum debilium ſaepe haud genuinae indolis eſſe ſolent.

MCXLVII. Pro vaccinatione inſtituenda eligatur lympha ex vaccinis genuinis (MCXLIV.) de-

desumta; vaccinae spuriae quae his caracteribus haud gaudent (MCXLV.) si insitione aliis communicantur, haud infectioni variolosae futurae obstant nec vaccinas genuinas inducunt. Decet quoque lympham pro vaccinatione detrahere e corpore sano, non cachectico, scabioso, herpetico, rhachitico, scrophuloso, cancroso, venereo, vel alio morbo suspecto laborante. Totus quidem cutis ambitus vaccinationem admittit, locus tamen pro vaccinarum insitione maxime commodus est: media externa brachii pars plerumque obtecta vestimentis.

MCXLVIII. Maxima cum securitate lympha vaccinae recens, tenuis, mox de uno brachio ad alterum subjecti vaccinandi traducitur sequenti encheiresi. Apex lanceolae chirurgicae, quali pro venaesectione vtimur, vel acus complanata, apice tenui, acuto, vtroque margine scindente, in vaccinam immittitur, et lympha lente prorumpente rite imbuitur ac perpendiculariter sustinetur, vt lympha apicem acus petat. Brachium tunc vaccinandi vna manu vaccinatoris sustinetur et cutis aliquomodo tenditur, altera apicem acus inter epidermidem ac cutem oblique ad duas circiter lineas inducit vaccinator, et post nonnullas ad diuersas regiones motitationes factas horizontaliter extrahit; quo facto, denuo adpressa epidermide, particula lymphae infectionem inductura

ductura remanere ſolet. Vnica quidem punctura ad ſcopum attingendum ſufficit, attamen, vt infectio eo certius ſuccedat, plures in vtroque brachio puncturae, pollicis ad minimim inter ſe diſtantens, inſtituantur, apice acus pro quauis punctura denuo lympha vaccinae imbuto. Si inpluribus ſubjectis inſtituatur vaccinatio, abſtergatur inſtrumentum, ne apex a lymphae acrimonia adficiatur. Facta inſitione brachia per aliquot minuta temporis haud obtegantur, vt lympha vaccinoſa quodammodo ſiccescat, nec veſtimentis, loco inſitionis contiguis, abſtergatur.

MCXLIX. Septimo vel octauo die, ad minimum, *inſpiciatur* locus inſitionis et obſeruetur an characteres vaccinae genuinae (MCXLIV.) adſint; in hoc caſu lympha pro alia inſitione deſumenda eſt, ſin minus, noua inſtituatur inſitio cum lympha de alio ſubjecto idoneo deſumta.

MCXLX. *Lymphae vaccinoſae* recentis *traductio mox* de vno brachio ad alterum *inſtituta* omnino omni aliae encheireſi praeferenda eſt. Si vero ſubjecta idonea deſint, ſeu lympha ad alium locum diſtantiorem transmittenda ſit, maximi momenti cura verſatur in debita lymphae conſeruatione. Nobis ſequens modus in vſu eſt.

MCXLXI. Fruſtulo vitri politi, in media parte ad lentis minoris magnitudinem excauati, lym-

lympha ex aperta una vel pluribus vaccinis genuinis prorumpens apice lanceolae, vel cochleari minori auriculari excepta, in cauum vitri decurrit vsque ad impletionem caui; mox deinde aliud frustulum vitreum ejusdem figurae et magnitudinis, haud cauo tamen praeditum imponitur et margines emplastro adhaesiuo curate circumdentur et deinde cera sigillari obducantur, unde aëris accessus arcetur. Quum vero experientia teste, si talia vitra radiis solis et lucis diu exponantur, lympha contenta virtutes perdat saepe, praecipue sub coelo calidori, nobis in vsu est, vitra puluere carbonum circumdare atque in loco frigidiori conseruare. Lympham tali modo seruatam post menses quin annos adhuc pro insitione idoneam esse experientia docuit. Tali modo seruata lympha, si pro vaccinatione instituenda adhibetur ad sequentia attendendum erit. Haud aperiantur vitra lympham continentia, nisi praesentibus pluribus vaccinandis, in quibus mox institui possit insitio; etenim si in vnico solum vaccinae genuinae sequantur, vaccinatio lymphae recentis deinde de vno brachio ad alterum institui poterit. Lympha tunc intra vitra contenta caute et tantum diluitur, vt ab apice lanceolae, aut acus vaccinatoriae, excipi possit, cum nimia vel haud sufficiens dilutio successum operationis ambiguam reddat. Nonnulli hanc dilutionem guttula aquae stylo excepta,

alii

alii vapore aquae bullientis, alii hâlitu oris inſtituunt. Transplantatio tunc lymphae tali modo dilutae ad modum (MCXLVIII.) expoſitum inſtituitur.

MCLII. Alter inſitionis vaccinarum modus perficitur ope cruſtae vaccinoſae (MCXLIV.), quae in puluerem trita et aqua diluta pro vaccinatione, ad dictam encheireſin adhibetur. Haec cruſta, frictione haud vexata, ad viceſimum ſecundum circiter poſt vaccinationem inſtitutam diem decidua, inde ſollicite ſeruanda erit, vt lympha genuina eo tutius conſeruari poſſit.

MCLIII. Denique filum quoque lineum vel goſſypinum lympha vaccinae genuinae rite imbutum atque ſeruatum vaccinas communicare poteſt; dum talis fili particula, duarum circiter linearum longitudinis, vapore aquae calidae emollita, ſuperficiali rimae oblique inter cutem ac epidermidem ductae accurate immittitur et ſtria emplaſtri adhaeſiui per aliquot dies retinetur. Si aliqualis ſanguifluxus adfuerit, hujus finem expectare conuenit, antequam, denique abluto rite vulnere, filum lympha vaccinoſa imbutum inducatur.

MCLIV. Vaccinae genuinae dicto modo communicatae progreſſum debito ordine (MCXLIV.) ſuccedentem ſaepe vix vlla comitantur ſympto-

 mata;

mata; ſparſim ſub formatione circuli roſei adſunt ſenſus tenſionis et pruritus, ſenſatio dolorifica ſub axillis, nonnulla inquietudo atque febricula, quae omnia, nunquam tamen ominoſa, breui ceſſare ſolent; rariſſime eruptio vaccinarum in toto corpore cum vaccinis in inſitionis loco increſcens decreſcens, aut morbo perpeſſo alia eaque leuis eruptio cutanea ſequitur; nec vlla medicina in vniuerſum opus eſt, niſi forſan accedat alius quisque morbus, haud de vaccinatione ſed conſtitutione pendens, propriamque indicatam therapiam poſcens.

MCLV. Cum eadem particula lymphae vaccinoſaea Jennero Hafniam miſſa poſt 15 annos easdem ſemper ſeruet vires infectioni varioloſae futurae obſtantes, maximi vbique erit momenti vt *genuina* haecce *lympha* ſcrupuloſiſſime *ſeruetur*, ut diſcrimina varia ab uſu lymphae alienae, ſiue a vaccarum vaccinis ſpecie diuerſiſſimis ſumtae auertantur. In noſtra Dania, vbi vaccinatio quotennis firmos atque haud interruptos progrſeſſus fecit, obſeruatis exacte mandatis regiis circa vaccinationem, haud quidquid extimeſcendum eſſe ab epidemia varioloſa, haud dubium incurrit. Inſtitutum noſtrum vaccinatorium, in quo vaccinatio absque vllis expenſis publice quouis octauo die inſtituitur, et ſubjecta, ſi forſan deficiant, requiri poſſunt,

possunt, fontem praebet, de quo lympha genuina seruata, si deficiat, vel haud sollicite seruata fuerit, in omnes regni prouincias, vti quoque ad exteros transmitti potest.

MCLVI. Ne desint vaccinatores instructi atque exercitati in toto imperii ambitu, admittuntur in instituto nostro vaccinatorio omnes artis salutaris cultores, candidati, studiosi, omnesque qui artem salutarem exercent vel exercere cupiunt, vt sponte adsint vaccinationibus publicis et rite instruantur, non solum circa operationis encheiresin et lymphae conseruationem, sed de rita quoque diagnosi totius decursus morbi, et differentia vaccinae verae atque spuriae contagium variolosum haud auertentis. Lubenter quoque admittimus in instituto nostro vaccinatorio alios viros bonos, instructos, haud medicos, verbi diuini ministros, scholarum praefectos, candidatos munera publica ambientes aliosque, vt rite instructi, ipsi exercerent vaccinationem in instituto nostro, et vaccinarum propagatio ab instituto dimissis et testimonio munitis, eos in toto artis vaccinatoriae ambitu rite versatos esse, cum securitate mandari possit.

MCLVII. Omnes vaccinationem passos septimo v. octauo die a vaccinatore inspiciendos esse jussu Regio constitutum est, et si characteres haud

 dubiae

dubiae vaccinae genuinae adſint, vt omnibus teſtimonium daretur autoritate regia munitum, eos a contagio varioloſo immunes cenſendos eſſe; ſin minus vaccinationem reiterandam eſſe. Omnes hi, qui in noſtra Dania vaccinationem ſubierunt, accepto teſtimonio in protocollis vaccinationis inſcripti ſunt, ut de ſtatu ſanitatis eorum praeſenti atque praegreſſo certiores fieri poſſimus. Porro in Regio mandato circa vaccinationem juſſum eſt, ut ſub prima variolarum naturalium apparitione easdem cautelas contra morbos maxime contagioſos atque peſtiferos cito quidem atque ſtrenue adhibendas eſſe, et eos, qui in hac re negligentius verſarentur, grauiſſimas incurrere debere poenas. Sub primis indiciis variolarum naturalium omnes in vicinia loci affecti haud variolas vel vaccinas perpeſſi mox coguntur, vt vaccinationem ſubeant. Variolis naturalibus vero decumbentes, mox ſub debita cuſtodia ad remotiora domicilia, noſocomia vel alia loca mittuntur, in quibus omnis communicatio ſuſpecta cum ſecuritate auerti poteſt; generalis praeterea totius vicinitatis haud ab infectione varioloſa liberae mox inſtituitur. Factum inde eſt quoque non ſolum in noſtra metropoli, ſed in aliis quoque locis, ut incipiens epidemia varioloſa, ſolertiſſima cura adhibita, mox ſedata ſit.

MCLVIII. Pro obtinenda *vaccinatione generali* ac inde auertendo omnis virus varioloſi con-

contagio optimum atque maxime proficuum foret remedium, ſi infantes neonati omnes mox vaccinationi ſubjicerentur. Collegium tamen, cui cura circa vaccinationis progreſſum mandata eſt, haud in hanc ſententiam abire auſum eſt, cum vaccinae neonatis, debilibus inprimis, inſitae experientia teſte haud raro in ſpurias (MCXLVI.) contagium varioloſum haud auertentes abeant; cum infantes tenelli tot aliis periculis ſint obnoxii, quae deinde haud jure vaccinis attribui et vaccinationem ſuſpectam reddere poſſint; neque denique obſtetricibus vaccinationem tenellorum et vaccinarum dijudicationem cum ſecuritate committi poſſe credidit. Lentiore inde quidem, at ſecuriori via eundem ſcopum obtinendum eſſe putauimus, ſi omnes absque vlla exceptione, ſub primo introitu in ordinem aliqualem ciuilem, ſeu militarem, ſub receptione juuenili in coetum religionis, in ſcholas omnes publicas atque priuatas, ſub ineunte tyrocinio opificii cujusdam vel matrimonium ineuntes, haud admitterentur, niſi teſtimonio publico in anteceſſum muniti ſint, eos aut variolas aut vaccinationem cum ſucceſſu ſubiiſſe, id quod quoque Regia autoritate in Dania conſtitutum eſt.

MCLIX. Inter trecenta millia ſubjecta, quae in noſtra patria quindecim annorum ſpatio, vtpote vaccinati, diariis vaccinationis noſtris inſcripti

ſunt

ſunt, et quorum aetas, ſexus, domicilium, vaccinationis ſucceſſus, atque ſanitatis ſtatus indagari poterit, ne unicum quidem exemplum exſtat, quod certam haud ambiguam ſuſpicionem mouere poſſit contra efficaciam, nunquam fallacem, vaccinae genuinae contra infectionem variolarum. Comparatio tabularum publicarum, quae numerum incolarum, natorum ac defunctorum in quauis dioeceſi quouis anno monſtrant, cum tabula vaccinatorum annuorum, docent, in multis locis nullos vaccinationi ſubjiciendos eſſe, niſi aduenas, in aliis ſub ſegniori vaccinationis progreſſu, multos quidem adhuc adeſſe, qui ab infectione varioloſa immunes haud habendi ſunt, quorum numerus tamen adeo exiguus eſt, vt epidemia quaeuis varioloſa, rite, ſtrenue ac cito obſeruatis omnibus regiis mandatis circa vaccinationem, certe ſupprimi poſſit.

MCLX. Exſtant quidem ſingulae exterorum obſeruationes, vaccinationem haud ſemper infectionem varioloſam futuram excludere, quod ſummum numen de genere humano clementiſſime auertat; quum vero in tanto experimentorum, per quindecim annorum ſeriem ſolertiſſime inſtitutorum, numero, nullum plane adſit, quod infauſtam talem ſuſpicionem alere poſſit; quum porro, ſi in vlla alia medicinae parte, ſingulae ob-

obseruationes adeo sint fallaces atque judicium sit difficile, fas sit hic potius aliqualem obseruationis errorem quam naturae legum errorem supponere.

## Aliae insitiones.

MCLXI. Varia mala a gonorrhoea intempestiue suppressa, seu scabie repulsa inducta, noua infectione curare nonnulli tentarunt. Inde *inoculationem gonorrhoeae*, ope bacilli cerei in vrethram hoc morbo laborantis immissi, qui bene inunctus confestim hinc in vrethram viri ex morbo suppresso laborantis introducitur, cum successu adhibitam fuisse et chronicas ophthalmias, eruptiones cutaneas, vlcera vetusta etc. inde sanata fuisse legimus. Simili modo *scabies* crebra scabiosorum contrectatione, ac vestimentorum sordidorum a scabiosis gestatorum vsu, reuocata fuit, et maniam, asthma, spasmos aliaque mala inde fugata fuisse refertur. Ast longe securius gonorrhoea laxantibus, emeticis, emollientibus externis, ac simplicis cerei immissione, scabies vero comphora, sulphure, frictione, balneo, diaphoreticis, absque detrimento reuocatur. Nec decet turpem atque foedum morbum cum aliis communicare. Ipsius pestis insitionem cum successu adhibitam fuisse legimus.

*Vul-*

## *Vulnera a jactura substantiae complicata.*

MCLXII. *Vulnera cum jactura substantiae* naturae viribus, artis auxiliis adjutis, haud raro perfecte sanantur; in nonnullis cum satis distincta nouae substantiae generatione, vti deperdita totius ambitus ossis substantia, a fractura comminuta, carie, necrosi; in membri virilis, scroti, labiorum, mammarum morbis, cum substantia quodammodo ablata, quibus sanatis vix vestigium defectus praegressi saepe remanet; in aliis cum sensibili complanatione partis laesae denique cicatrix (DCCCCXCII.) profunda depressa inducitur. Partes de corpore, instrumento praecipue scindente, separatae, cum parua cutis parte adhuc cohaerentes, panniculus integumentorum, nasus, auris, digitus, artis auxiliis (DCCCCXCIII.) rite admotis, iterum reuniri posse, quotidiana experientia docet; neque plane absonum videtur, partes plane abscissas, cito iterum admotas, ac emplastris, fasciis, sutura, situ, rite firmatas iterum concrescere posse; experimenta saltem in animalibus et ipso homine facta, hoc suadere videntur.

## *Aliae complicationes.*

MCLXIII. Vulnera a miasmate quodam in corpore praeexistente complicata, venereo nimirum, rhachitico, scrophuloso, cancroso, non so-

lum

lum vulnerum ſanationi obſtant, ſed in vlcus quoque ſordidum, rodens, et complicatum mutare valent, quibus haud immerito adnumeratur hydropica corporis vel etiam partis laeſae labes, vtpote vulneri gangraenam facile inducens. Illa denique, quae fractura, luxatione, aliisque morbis complicata ſunt, aliis locis proponentur.

---

CAP.

# CAP. II.

## *Vulnera in ſpecie.*

MCLXIV.

Vulnera in ſpecie pertractaturi *diuiſionem* a diuerſa eorum ſede petimus, ſic primum caluariae, deinde faciei ac colli, thoracis denique et abdominis laeſiones veniunt conſiderandae.

## *Laeſiones caluariae.*

MCLXV. Ad laeſionem caluariae *referimus* omnem violentiam externam

a) *partibus cranium* extus *obtegentibus*,

b) vel *thecae oſſeae*,

c) vel *membranis encephalum includentibus*,

d) vel ipſo *cerebro* vel *cerebello* illatam ſiue veram continui ſolutionem, ſiue vehementem modo contuſionem aut concuſſionem induxerit.

Diuerſas has laeſiones ſigallatim nunc pertractabimus. Verum enim vero monendum eſt, ſingularum

larum characteres non raro deficere, saepius autem mixtos esse atque ambiguos, quia non cuiuis parti datum est, perpetua ac specifica suae laesionis signa edere, neque vna facile injuriam patitur, quin simul aliae laedantur. Nec quamlibet laesionem presso pede sequuntur symptomata, sed sub leuioris simplicis vulneris larua, diu saepe periculosissimam laesionem, haud raro in loco a violentia inducta distantiori, occultat. Denique laesiones visceris omnium nobilissimi, encephali, theca ossea vbique inclusi, explorationem sensuum ope peragendam excludunt aut difficillimam saltem reddunt. Hinc omne caluariae vulnus in diagnosi attentissimum, in prognosi cautissimum, inque therapia prouidissimum desiderat chirurgum.

## *Externorum cranii tegumentorum laesiones.*

MCLXVI. *Partes molles* cranium obtegentes, cutis, membrana adiposa, expansio aponeurotica, musculi temporales, frontalis, occipitalis, ac pericranium denique

*a*) aut *simplici sectione*,

*b*) aut *incisione caesa*,

*c*) aut *punctura*,

*d*) aut denique *contusione*, a violentia quauis externa inducta pati possunt.

MCLXVII.

MCLXVII. Simplex *incisio* instrumento scindente acuto lente inducta, vulnerum simplicium therapiam (DCCCCLX) expositam omnino sequitur. Haemorrhagia grauis ab arteriae frontalis, occipitalis, temporalis laesione, hujus ad os vicinum compressione haud difficulter supprimitur; raro ad sanguifluxum sistendum ligatura opus est.

MCLXVIII. *Vulnera caesa*, instrumento haud valde acuto, majori vehementia, cito inflicta, semper aliquali contusione juncta, inde prioribus (DCCCXCIII.) deteriora merito habentur; praecipue, si obliqua seu transuersa fuerit laesio, attamen nisi cranii laesio, vel aliena symptomata simul adsint, instar vulneris simplicis, emplastris, fasciis, situ, compressione reuniri possunt, nec denudatio cranii simplex hanc methodum excludit; minime tamen parui facienda haec vulnera; in capitis enim laesionibus nunquam tuta fides; tristissimi enim latentis et neglectae complicationis effectus post plures dies, quin imo hebdomades, adparere possunt.

MCLXIX. Ictu *separatus* partes molles cranii obtegens *panniculus*, cuti vnius lateris adhuc cohaerens, vel absque vel cum cranii denudatione, nisi profundioris laesionis signa adsint, citum reunionis tentamen requirit, quo longa atque molesta cura, ossisque alteratio interdum auertitur;

titur; abrafis nempe in antecessum crinibus, in ambitu vulneris, aut totius capitis, (quae tonsura, vbi aliqualis suspicio profundioris laesionis adest, nunquam omittenda), ac liberato a sordibus panniculo, hic exacte in situm pristinum adducitur, atque emplastris (MII.) retinetur; si angulatus fuerit panniculus, vna alteraue sutura interdum versus anguli extremum requiritur; splenio deinde imposito, fascia simplici vel triangulari vel sex capitum firmatur. Quo facto panniculus aut ad primam, vt dicunt, indicationem vbique iterum concrescit; aut partialis reunio succedit, liquido sanguinolento, seroso, purulento, infra panniculi partem accumulato, quod fluctuationis sensu detectum incisione educendum erit; aut plane non conglutinatur panniculus, qui status, aut vitium ossis subjacentis, aut partium contentarum, aut constitutionis aegroti indicat, cui tunc ad indicationes morbi occurrendum erit. Neque periculum profundioris laesionis cito tentamini reunionis panniculi obstat, cum partium contentarum qualiscumque adfectio, a symptomatibus scrupulosissime obseruatis, minus certe ab ossis denudati, aëre ac remediis externis haud raro vexati, decoloratione deducenda est. Panniculus partium mollium plane separatus, denudato osse, vel ablata simul hujus parte, vulneris balsamo arcaei vel vn-

vnguento terebintinato deligationem poſcit, quo facto ambitus vulneris emplaſtrorum ope verſus centrum adducitur.

MCLXX. *Vulnera puncta* integumentorum vniuerſalium cranii inſtar ſimplicis puncturae (MXLVII.) ſaepiſſime ſanantur, interdum tumorem eryſipelatodem mollem per totum caput diſperſum, leuioribus tamen ſymptomatibus junctum inducit; ſi galeam aponeuroticam et pericranium attingit punctura, limitatum, ad muſculi epicranii extenſionem protractum, duriorem, grauioribus tamen ſymptomatibus inflammatoriis ſtipatum; quibus niſi tempeſtiue occurratur, in ſuppurationem late extenſam, oſſis corruptionem minantem, vel durae matris phlogoſin vel aliam adfectionem abire poſſunt. Niſi tempeſtiuae methodo antiphlogiſticae, epithemati frigido, emeticis laxantibus, ac regimini debito cedat morbus, haud differendam inciſionem ad os vsque protractam poſcunt; cruciata, ſi locus concedit, ſcopo optime ſatisfacit. Suppuratio, ſi jam adfuerit, tempeſtiuam puris ope inciſionis eductionem poſcit.

MCLXXI. Integumentorum cranii *contuſiones* therapiam hujus morbi (MXCI.) expoſitam ſequuntur; profundiores ad galeam aponeuroticam et pericranium extenſae, varia eaque grauia ſympto-

ptomata, tumorem inflammatorium, ipſius membranae pericranii de cranio ſeceſſum, oſſis ſubjacentis alterationem, duraeque matris illi correſpondentis ſeparationem, phlogoſin, ſuppurationem, febrem denique acutiſſimam et ſucceſſiue, omnia ipſius cerebri laeſionem paſſi adſerre poſſunt. Neque tamen diſſimulandum eſt, minime conſtantem eſſe horum ſymptomatum concurſum, verum etiam contuſiones et puncturae epicranio pericranioque interdum infliguntur et ſanantur abſque vllius grauioris ſymptomatis acceſſu. Sanguis a contuſione effuſus, ex arteria, tumorem aneurysmaticum, e vena ecchymoſin creat, tumorem nimirum ad ſedem effuſi nunc ſuperficialem, nunc profundum inter aponeuroſin et pericranium, inter hoc et cranium, nunc in celluloſa diffuſum, nunc in majus cauum coaceruatum, ad effuſi indolem fluidam ſeu a coagulatione grumoſam, duriorem, pulſantem, molliorem, inaequalem, plus minus fluctuantem. Talis tumor, niſi generali therapiae (MXCI.) ac epithemati frigido, acido, reſoluenti lenique preſſioni breui cedat, ſeu a ſanguifluxu atque effuſione interna haud ſuppreſſa augeatur, inciſionem poſcit, pro varia violentiae illatae ſede et indole, partium laeſarum dignitate, cicatricis denique ſucceſſurae ratione variae directionis et profunditatis, vt grauiora mala auertantur. Similem

lem tumorem a ſanguine effuſo inducere poteſt violenta capillorum attractio, cui ad expoſitam therapiam occurrendum. Accumulatus in textu celluloſo ſanguis interdnm tumorem format limitatum, in media parte fluctuantem, pulſantem, depreſſum, digito prementi cedentem, margine duriori inflammato circumdatum, qui inexpertis ac incautis pro oſſe impreſſo haberi poteſt. At vero quicumque paulo accuratius examinat illos margines, vtpote ſupra cranii ſuperficiem prominentes, attactum non adeo patientes, perpenſis ſimul aliis ſymptomatibus vix falſa hac ſuſpicione duci poterit, quae mox ſubſequente duri emollitione ſponte euaneſcit; nec tamen periculoſus eſt hic error, cum inciſo tumore diſtincta morbi natura pateat.

MCLXXII. *Vulnera contuſa* partium cranium obtegentium in vniuerſum difficilius ad primam indicationem ſanantur; ſaepius in vlcus abeunt; haud tamen citum reunionis tentamen excludunt, quod interdum ſuccedit, ſaltem innocuum eſt. Attentiſſimus tamen ſemper ſit chirurgus ad ſymptomata, adfectionem partium contentarum indicantia. Muſculi temporalis vulnera contuſa interdum maxillae immobilitatem aliaque ſymptomata neruoſa inducunt, quae methodo antiphlogiſtica ſtrenue adhibita, therapia ſymptomatibus ner-

neruofis adornata, ac conuenienti vulneris, laminae praecipue aponeuroticae mufculum obtegentis incifione cruciata, auertitur. Contufiones externarum partium interdum fequitur cephalalgia grauiffima, vertigo, fpasmi, motus epileptici fparfim latus laefioni oppofitum inuadentes, per hebdomades, menfes, annos perdurantes, absque partium contentarum laefione; quae fymptomata incifione loci antea contufi, vt plurimum a preffione dolentis, cito faepe auferuntur, quod ipfi pluries obferuauimus.

## *Cranii laefiones.*

MCLXXIII. *Cranium* violentia externa laefum

*a*) fimplicem *denudationem*,
*b*) *incifionem*,
*c*) *contufionem*,
*d*) *fiffuram* aut *fracturam*, aut denique
*e*) *depreffionem* offis cujusdam vel plurium *pati poteft.*

Quae laefiones nullis nifi fenfualibus fignis, in loco adfecto potiffimum obuiis, cum certitudine dignofcuntur; ex fola enim pyxidis offeae diffolutione maxillam inhabilem fieri ad mordendum, ad fabulas dudum fuit relatum. Symptomata autem harum laefionum per fe quidem leuia funt vel nulla; faepiffime tamen aliqua partium con-

tentarum injuria ſimul adeſt vel ob humorum effuſionem, vel partium vicinarum inflammationem ſuperuenit.

## *Cranii denudatio.*

MCLXXIV. Mechanica *cranii denudatio* inter ſimpliciſſimas ejus laeſiones referenda, ſaepiſſime, debita therapia cito adhibita, absque incommodo ſanatur; vbi vero ab aëre vel pure vel remediis contaminatur ſuperficies, carioſa fit, et lenta exfoliatione ſeparatur. Vt absque corruptione et ſeceſſu obtegatur os denudatum, vulnusque cito ſanetur, niſi ſuſpicio laeſionis internae adſit, tegumenta ab oſſe ſoluta ipſi citiſſime admoueantur (MCLXIX.) admotaque ſub rara deligatione, neque aeris acceſſum admittente, in ſitu retineantur ad perfectam vsque conſolidationem. Rarius labia vulneris oſſi firmiter adhaerentia centro partis denudatae lente et absque ſenſili exfoliatione ſeſe approximant; rariſſime autem os, cum vulneris margine non cohaerens, neque colore ſuo natiuo gaudens, absque exfoliatione iterum obducitur, aut haec leni oſſis perforatione auertitur. Laminae carioſae ſeparatio promouetur radendo ferro acuto, ſeu vitro, et perforando ejus ſuperficiem: interdum quoque margine cutis ablato pars, oſſeo repagulo jam orbata, facilius ſoluitur. Deligatio vero inſtituatur,

tur, qualis in carie conuenit. Quodſi per totam ſuam craſſitiem corruptum fuerit os, terebratione auferenda eſt pars ſic adfecta.

## *Vulnera caeſa cranii.*

MCLXXV. *Vulnera caeſa cranii* variae directionis, non niſi viſu tactuque *cognoſcenda:*

*a*) aut *tabulam externam* ſolam diuidunt,

*b*) aut ad *diplöen* tranſeunt;

*b*) aut per tabulam internam *ad cauum* vsque *penetrant*;

*d*) aut *portionis ablatio* ſeu *dedolatio* adeſt.

Quae vulnera per ſe quidem noxam haud inferunt; ſaepe tamen aut contuſione aut fractura, tabulae internae praecipue, ſeu anguli vulneris, juncta ſunt, aut partes contentae ſimul adficiuntur et inde maximam ac cautiſſimam attentionem ad ſymptomata requirunt.

MCLXXVI. Talia vulnera, niſi aliena obſtent, inſtar ſimplicis quidem *tractari* atque adductis partibus cito obtegi poſſunt. Sequentia tamen notanda ſunt:

*a*) inaequalitates externae vel internae, marginis vulneris oſſis hiantis reflexi, aut in ſitum naturalem reprimantur, aut ferro auferantur, aut plane ſolutae extrahantur, ſiquidem irritatione

nociturae, antequam partium obtegentium adductio instituatur; attendendo semper, ne cutis vulnus sanetur, antequam ejus fundus clausus fuerit.

*b*) pars ossis dedolatione ablata siue superficialis siue totius profunditatis haud obstantibus symptomatibus alienis, si cuti adhuc cohaereat panniculus, citam reunionem requirit, plane soluto atque ablato quamuis fragmento osseo.

*c*) pus infra os iterum admotum, aut in ossis vulnere detectum citae reunionis tentamen excludit, atque cariei therapiam requirit.

*d*) pus prauae indolis vlcerisque deterioratio, absque causa manifesta, profundiorem laesionem indicat hujusque conuenientem medelam poscit, nullis quamquam aliis symptomatibus adhuc praesentibus.

*e*) durae matris denudatio a vulnere cum deperdita substantia partium obtegentium, strenuam omnium irritantium euitationem, citam atque lenem deligationem humorum effluxui fauentem, ac digestiui blandi impositionem requirit.

*f*) om-

*f*) omnia vulnera caeſa in vniuerſum, in oſſis ſubſtantiam penetrantia therapiam antiphlogiſticam, epithemata frigida, laxantia leniora, atque cautiſſimum regimen poſcunt, vt grauiora mala auertantur.

## *Puncturae cranii.*

MCLXXVII. *Cranii puncturae* therapiam inciſionum partialium ſequuutur; obſeruandum tamen inſtrumenta pungentia non ſolum in infantibus inter ſuturas et per ipſam oſſis ſubſtantiam facile ad cauum cranii progredi, ſed in adultis quoque loca naturaliter tenuiora, partem inferiorem occipitis, proceſſus orbitales oſſis frontis, ac os cribroſum vulnere per naſum admoto facile perforari; imo interdum praeter naturae leges ſolitas, diploes ac tabulae internae defectum adeſſe poſſe vbique, quae loca haud difficile inſtrumento pungente penetrantur. Qui ſtatus aut ſpecillo immiſſo detectus, aut ſymptomatibus indicatus ſi locus concedit, et ſymqtomata adfectionis partium contentarum adſint, trepanationem ſemper requirit.

## *Cranii contuſiones.*

MCLXXVIII. *Cranii contuſiones*

*a*) aut in *tabulam externam* agunt,

*b*) aut

b) aut in *diploën et tabulam internam* propagantur,

c) aut ad *partes contentas* extenduntur,

d) aut *suturae* denique inde *diduci* possunt.

MCLXXIX. Tales contusiones vel absque vulnere vel cum partium obtegentium laesione simul junctae esse possunt.

a) *integra cute* tumor mollis oedematosus fluctuans latentem *laesionem prodit*, quo inciso pericranium ab osse separatum adparet; haud raro cum aliquali ossis decoloratione.

b) *diuisis partibus mollibus*, pericranii ad contusionis ambitum solutio, suppuratio praua absque causa manifesta, atque coloris cranii mutatio *conspicitur*, sequentibus vt plurimum symptomatibus adfectae durae matris vel ipsius cerebri.

MCLXXX. Inducere autem potest cranii contusio vasorum debilitatem, rupturam; humorum accumulationem, effusionem; inflammationem, suppurationem, tabulae externae vel internae ipsiusue diploës cariem, effusionem humorum in substantia diploëtica, durae matris secessionem, inflammationem, erosionem, excrescentias fungosas, exostoses, cephalaeam chronicam multaque alia mala, quae in vniuersum lente, haud raro

raro pluribus hebdomatibus poſt laeſionem praeterlapſis, accedunt. Primitiua ſymptomata vaſorum debilitati atque humorum congeſtioni deb ri videntur; ſequuntur inflammationis ſigna; ſuccedunt denique ſymptomata adfectae durae matris ſeu ipſius encephali. Neque tamen conſtans eſt horum ſymptomatum concurſus, cum ſaepe grauiter per totam craſſitiem adfectum os absque incommodo ſanetur; minime tamen tales caſus prouidiſſimam prophylaxin excludunt.

MCLXXXI. *Prognoſis* omnis *contuſionis* grauioris *cranii*, diploës praecipue, ſemper eſt ambigua, niſi tempeſtiue occurratur malo, febris intenſa, ſopor, paralyſis et mors ſequi poſſunt. Quo grauior violentia admota, quo minus ſpatium cranii, quod tetigit corpus alienum, praecipue ſi in ſuperficie cranii veſtigium ſeu impreſſionem reliquerit, eo grauior merito habetur morbus, eo profundior contuſio.

MCLXXXII. *Therapia contuſionis cranii* ſuperficialis curationem contuſionis partium mollium (MXXCI.), denudutionis cranii ſimplicis (MCLXXIV.) aut cariei (DCCCCLXI.) ſequitur. Profundioris therapia eſt vel prophylactica, qua ſymptomata auertuntur, vel curatiua, qua praeſentia mitigantur. Prius obtinetur venaeſectionibus, hirudinum adplicatione repetita, laxantibus lenioribus,

bus, embrocha frigida, ac diaeta et regimine refrigerante. Nisi hoc succedat et profundioris contusionis signa (MCLXXVIII.) se manifestent, haud differenda erit trepanatio, et quidem pro extensione morbi reiterata, vt humores effusi, purulenti, putridi, aut in diploë aut sub ipso cranio haerentes educantur, latens caries auferatur, et tensio, irritatio, atque compressio tollatur.

MCLXXXIII. A violentia externa, *suturae* vel plures interdum *dissolui* possunt, aut sub ipso violento ictu inflicto solutionem mox inducente, aut pluribus diebus praeterlapsis a liquido coacervato sensim diducuntur; cui statui *occurritur*, caute omnia externa, quibus ossa soluta moueri possunt, euitando; sanguinis congestionem ac inflammationem, methodo antiphlogistica auertendo; humores incisione facta educendo; ossa leni atque cauta compressione vniendo. Nec trepanationem excludit suturae solutio, cum ad latera suturae hiantis humores infra cranium coaceruari posse compertum sit.

## *Cranii fractura.*

MCLXXXIV. *Cranii fractura* in vniuersum *vocatur* hujus a violentia externa cito inducta dissolutio; quae quoad laesionis gradum distinguitur:

*a*) in *fissuram* absque hiatu sensibili, et

*b*) frac-

*b*) *fracturam* ſtricte dictam, vbi major diſ-ſolutio cum marginum diuiſionis diſtantia adeſt.

MCLXXXV. *Cranii fiſſura* per ſe ſpectata ſimpliciſſimam continui ſolutionem ſiſtit, ſpecie tamen *diuerſiſſima* eſt. Datur enim vel major et minor vixque ſenſibilis, capillaris dicta. Alia ſimplex eſt, alia compoſita, angularis, bifurcata, ſtellata, etc. Modo os in eodem, qui violentiam ſuſtinuit, loco, modo in parte intacta finditur, quod contrafiſſuram vocant. Poteſt fiſſura in oſſe percuſſo conſiſtere, poteſt in remotiora, perrecta per ipſas ſuturas via, excurrere, poteſt denique os violentiam paſſo vicinum vel oppoſitum rimam contrahere. Deinde vel tota oſſis ſubſtantia vel ſola externa internaue tabula finditur. Partium denique continentium et contentarum laeſio vel ſimul adeſt vel ſecus. Fiſſura cranii in infantibus directionem fibrarum oſſearum ſequi ſolet.

MCLXXXVI. *Explicatio modi*, *quo fiſſurae inducuntur*, majoribus hucusque premitur difficultatibus. Minuta hujus rei indagatio praeterea curioſa magis quam vtilis merito habenda; cum locus cranii debilior aut fragilior, in quo a violentiae externae propagatione fiſſura inducta eſt, nullo plane artificio maturius detegi poſſit, antequam effectu indicetur. Si violentia externa

cranio

cranio admota, aegrotus, caſu praecipiti aliam cranii partem corpori duriori impingit, duplex fiſſura oppoſita induci poteſt, haud vero contrafiſſura nuncupanda erit.

MCLXXXVII. Fiſſura cranii *diagnoſis* ſolo viſu tactuque eruitur, inde integumentis integris, aut in locis cranii, qui ſenſuum explorationem effugiunt, haud dignoſcendae. Sanguifluxus etenim e naſo, ore, auribus, maxillae ad mordendum inhabilitas, vomitus, ſonus ab aegroto ſub laeſione perceptus, ſudor vnius lateris major, pericranii ſolutio, etc. violentiae praegreſſae vis ac celeritas, gradum concuſſionis quodammodo quidem monſtrant, pro dijudicanda vero fiſſura aut fractura incerta atque ambigua merito habentur. Oſſe denudato rima praeternaturalis, de ſutura, impreſſione arterioſa, aut inaequalitate naturali caute diſtinguenda, prorumpente e rima ſanguine, quod in junioribus praecipue accidit, admoto et abſterſo liquido colorato, aut aſperitate, digiti vngue ſentienda, dignoſcitur. Contrafiſſura inde, niſi partium obtegentium qualiscumque adfectio, et ſymptomata laeſionis partium contentarum, inciſioni oſſisque denudationi anſam praebeat, nullo certo ſigno cognoſcenda.

MCLXXXVIII. Quoad *prognoſin* fiſſurarum cranii, hae per ſe quidem noxam haud inferunt

atque

atque non raro absque vllo ſymptomate ſanantur, periculo tamen minime carent, cum ſaepiſſime fiſſurae, aut contuſione cranii (MCLXXVIII.), aut durae matris ſolutione, aut humorum e diploë vel vaſis durae matris infra cranium effuſione, aut commotione cerebri, aut hujus et meningum inflammatione, aut pluribus vel omnibus his ſimul junctis complicatae ſint. Omne fiſſurae periculum de his complicationibus, ex propriis ſignis characteriſticis attentiſſime dijudicandis, pendet.

MCLXXXIX. Fiſſurae cranii *curatio* naturae viribus abſoluitur, cum ars ad eam ſanandam nihil faciat: verumtamen therapiam contuſi cranii (MCLXXXII.) prouidiſſimam ſemper requirit. Abraſis vbique capillis attentiſſime obſeruetur, an in cute vbique integra, oedema, tumor, rubor, ſenſilitas inſolita, fluctuatio appareat, quibus oſſis denudatio indicari poſſit. Fiſſura detecta, mox, ab aduentu ſymptomatum, quae adfectionem qualemcumque partium contentarum indicant, os tanta diſtantia denudetur, vt trepano locus concedatur; fiſſurae tractum inciſione proſequi, absque reiteratae trepanationis certa indicatione, inutile quin nocuum eſſe videtur. Fiſſura cranii per ſe haud trepanationem, ne quidem oſſis denudationem poſcit; ſaepe absque vllo ſym-

ſymptomate ſub debita tractatione ſanatur. Trepanationis neceſſitas de ſola adfectione partium contentarum pendet, quae ſi adfuerit, ſymptomatibus indicata, ad trepani vſum omnino recurrendum erit. Interea adhibeatur therapia, contuſioni cranii (MCLXXXII.) adornata. Symptomata effuſi humoris infra cranium, compreſſi cerebri, aut irritatae durae matris trepanationem ad latus fiſſurae requirunt, ac therapiam mox dicendam.

MCXC. *Oſſium cranii fractura* ſtricte dicta a fiſſura ſolummodo majori diſſolutionis atque hiatus gradu diſcrepat; ceterum communes fere cum illa habet differentias (MCLXXVII.), quibus varias alias ſubdiuiſiones, ingenioſas magis quam vtiles, addiderunt auctores. Majoris momenti diſcrimen adeſt, ſi fractura cum vnius alteriusue partis in cavum cranii depreſſione, vel cum totali portionis ſolutione acciderit. Quoad *diagnoſin* eadem valent, quae de fiſſura cranii monuimus (MCLXXX.), ob majorem tamen fracturae inaequalitatem, hiatum aut depreſſionem, vel fragmentorum vacillationem, per cutem integram haud raro ſentiendam, facilius dijudicatur. Denudato cranio, fracturae diagnoſis nullam dubitationem admittit. Baſeos cranii fractura viſus tactusque explorationem effugit, et inde haud certe cognoſcitur;

frac-

fractura tamen offis petrofi interdum peffimo omine, effluxu humoris pellucidi, fatis copiofi, liquoris nimirum Cotunniani, per aurem externam effluxu, indicatur.

MCXCI. *Fractura cranii prognofis* eadem complectitur, quae circa fiffuras monuimus (MCLXXXII.). Pro vario fragmentorum et feftucarum numero, ambitu, fitu et effectu variare periculum, fracturamque notabilius hiantem ob faciliorem effufi euacuationem, faepe minus ominofam effe, quam anguftiorem, conftat. *Curatio* fracturarum therapiam fiffurarum (MCLXXXIX.) fequitur; fractura, cum fragmenti vel plurium depreffione, medelam pofcit mox dicendam; cum totali fragmenti folutione juncta, hujus extractionem lenem requirit; quo facto trepanatio faepe minus neceffaria euadit. Ea, quae finui frontali a fractura aperto, conuenit therapia, ex abfceffus finus frontalis chirurgia (DCCXXXVIII.) patet.

## *Cranii depreffio.*

MCXCII. *Partis cranii* a violentia externa *depreffio* fenfu cauitatis vifuque haud difficulter cognofcitur; rite tamen, de impreffione naturali, vbique interdum, ad pofteriorem bregmatis partem haud raro, obuia, vti quoque de effufione humorali fupra cranium, media parte depreffa (MCLXXI.) diftinguenda eft.

MCXCIII.

MCXCIII. Eſt autem cranii depreſſio *varia*

*a*) quoad *depreſſionis indolem* aut absque fractura adeſt, quod in infantibus atque junioribus interdum accidit; aut fractura ſimplici compoſita, ſtellata, portionis ſolutione, hujus infra marginem partis integrae preſſione, ac fractura denique tabulae internae, integra externa, juncta eſſe poteſt.

*b*) quoad *extenſionem*, pro contactu corporis laedentis atque variam cranii reſiſtentiam, majus vel minus ſpatium occupans.

*c*) quoad *complicationem* interdum absque aliarum partium notabili laeſione adeſt cranii depreſſio; ſaepiſſime contuſione partium externarum, ipſius oſſis, durae matris ſeparatione, humorum effuſione, meningum atque ipſius cerebri compreſſione, irritatione, inflammatione, vulnere, ſuppuratione juncta eſt. Commotio cerebri ſimul haud raro depreſſiones cranii comitatur, ſemper tamen fractura cranii ejusque depreſſio vires impellentes frangunt atque commotionem minuunt.

Sub cranii depreſſione omnium maxime timenda erit, durae matris inflammatio, ab ipſius violen-

tiae

tiae effectu, a ſeparatione hujus membranae de cranio, a continuata preſſione partis depreſſae et ab irritatione inaequalitatum fracturae deducenda.

MCXCIV. Depreſſi cranii *ſymptomata* ſunt:

*a*) ſymptomata *compreſſionis encephali:* paralyſis, debilitas, ſenſuum labes, ſtupiditas, quae ab oſſe depreſſo confeſtim, ab effuſo fluido ſerius, accedunt.

*b*) aut *irritationis:* febris intenſa, ſpasmi, inflammatio, quae omnia ſerius accedere poſſunt.

*c*) aut *commotionis:* ſenſus motusque abolitio partialis, totalis, mox laeſionem ſequens.

MCXCV. Depreſſi cranii *prognoſis* ſemper incerta atque ambigua eſt. Quo junior aegrotus, quo minor depreſſionis ambitus oſſisque diſſolutio, quo leuior complicatio (MCXIV.) eo major ſanationis ſpes affulget. Cranio infantili absque fractura depreſſo, et adultiorum raro quoque, ſolam naturam medicatricem lente et tuto interdum mederе, experientia compertum eſt: neque tamen in vnoquoque caſu ejus vires ſufficere, remanens non raro ſenſus alicujus labes vel ſtupiditas docet. Cranii depreſſi eleuatio artificioſa periculi ſemper atque incommodi plena, nunquam niſi vrgentibus ſymptomatibus compreſſionis et irritationis cerebri,

rebri, haud ab effusione humorali pendentibus, instituenda. Cranii depressio sinum longitudinalem comprimens, ossis eleuationem vt plurimum poscit.

MCXCVI. Depressi cranii *therapia* includit:

a) *symptomatum auersionem*, omnibus viribus occurrendo inflammationi ad methodum (MCLXXXII.) expositam, quo symptomata non solum auerti, sed jam praesentia sensim quoque minui possunt; nisi hoc succedat et symptomata compressi aut irritati encephali dicenda, subsistant vel augeantur, os ad latus maximae depressionis denudandum erit, vt trepano ac deinde eleuatorio admouendo locus concedatur. Totam depressionem majoris praecipue ambitus absque necessitate vrgente denudare, et inutile et nocuum videtur.

b) *ossis depressi eleuationem* conuenientem mox dicendam.

c) *symptomatum leuamen:* vtrumque efficitur trepano ac eleuatorio, debite admoto. Quae olim ad leuandam depressionem cranii adhibebantur, emplastra, cucurbitae, terebra, (tire-fond), spiritus coacta retensio, sternutatio, aliaque hujus

hujus furfuris inuenta, insufficientia, quin nocua merito habentur.

MCXCVII. Trepani *corona* ad latus maximae depressionis *admouetur*, ita tamen, vt ipsam depressionis partem, ob perforationis inaequalitatem, et festucas tabulae internae interdum obuias, haud comprehendat. Perforatione cranii facta, interdum extrauasatum prorumpit aut festucae extrahendae apparent. Ossis eleuatio tunc differenda erit.

MCXCVIII. Ipsa ossis depressi *eleuatio*, persistentibus vel auctis symptomatibus compressi vel irritati encephali, indicata, perficitur aut leuatore communi, qui pugno prehensus, extremo infra depressionem ducto, recta linea tali modo sursum ducitur, vt instrumentum sub eleuatione, haud margini perforationis insideat; aut emendatiori Louisiano, aut tripode denique obsoleta, quod vltimum instrumentum, loco terebrae vnco praeditum, si vnicus leuator sufficit, et locus adplicationem concedit, indicationi maxime respondere videtur. Actus eleuationis, resistente ad exteriora chirurgi pollice, lentus atque cautus sit, ne violento motu pars depressa nimis extrorsum ducta, a durae matris nexu violenter soluatur.

MCXCIX. Raro vnicus leuator ad leuandam depreſſionem in adultis ſufficit; faepius trepanatione oppoſita, repetita facta plurium leuatorum vim jungere cogimur, et his quoque interdum reſiſtit d epreſſio cranii craſſi, compacti, haud recens exorta. Totius partis depreſſae ablatio, vrgentibus ſymptomatibus, tunc indicatur; aut trepanatione repetita totum depreſſionis ambitum circumdante, aut, quod praeferendum videtur, totus depreſſionis ambitus ferro ſeu vitri fruſtulo indefeſſa leni raſura ita attenuatur, vt forcipe obtuſa totus circulus absque grauiori commotione aut violenta durae matris ſolutione auferri posſit. Eadem methodus conuenit in infantum cranii depreſſione, vbi trepanatio difficilius inſtituitur. Simili ratione margo oſſis prominens, vel ſub quo oſſis fruſtulum extractionem haud admittens, depreſſum fuit, lente attenuari vel auferri poterit.

MCC. Eleuatione oſſis depreſſi rite peracta, ſymptomata ſenſim minui ſolent, ſi perſiſtant aut augeantur, aliam cauſam, inflammationem nempe vel ſuppurationem internam ſupponere licet, a ſymptomatum indole dijudicandam. Pars oſſea elevata absque nexu cum dura matre et pericranio ſparſim emoritur et lenta exfoliatione vel trepani ope aufertur.

Me-

## *Meningum laesiones.*

MCCI. Violentia externa diuersimode *adfici potest dura mater.* Communissime autem hujus membranae adfectiones sunt sequentes:

*a*) vel *a cranio recedit*, majori, minori extensione, vasculis connectentibus disruptis; siue correspondentis pericranii solutio, siue ossis interpositi adfectio (MCXX.) id effecerit, vix deinde copulam initura.

*b*) vel *a stimulo* sanguinis effusi, vel *fragmenti ossis* male siti vel festucae pungentis stimulo, *premitur*, *distenditur*, *irritatur*, *inflammatur*, phlogosi deinde in suppurationem abeunte.

*c*) vel *in ipsam descendit instrumentum* caedens, pungens, dilacerans, contundens, globulusue sclopetarius.

*d*) vel, raro quidem *dedolatione*, saepe autem ablato fragmento osseo, denudatur, laeditur.

MCCII. Verum enim vero nullam dura mater *injuriam patitur* inulta, quocunque demum modo laesa. Etenim

*a*) vel *inflammatur*, benignam resolutionem interdum, et, si denudata vel dissoluta fuerit, raro admittens, sed in

in ſuppurationem gangraenamue pronisſima.

*b*) vel *etiam nulla* phlogoſi notabili praegreſſa, corruptionem ſubit, quod ſolemnis eſt aëris externi effectus.

Neque oſſis cujusdam ſubſtantiam penetrat caries, neque apoſtema cerebri ſuperficiem depaſcit, quin illa quoque membrana inficiatur.

MCCIII. Dijudicatur autem atque *cognoſcitur* durae matris laeſio ex cauſa praegreſſa, pericranii de cranio ſpontanea ſolutione, oſſis diſſolutione vel alteratione, vulneris externi ratione, ſignis inflammationis (CCCCXLII.), ſuppurationis (CCCCLXXV.), corruptionis generalibus, vel encephalo adfecto propriis; inſomniis, dolore fixo, deliriis, febre, oculis rubentibus, lente demum accedente functionum cerebri laeſione; interdum quoque tumore externo circumſcripto, oedematoſo, pericraniique ſeparatione. Pulſum celerem, paruum, duriorem, duram matrem laeſam denotare legimus. At non diſſimulandum eſt, durae piaeue meningum adfectionem qualemcunque, etiam notabiliorem, ob vtriusuis inuolucri tenuitatem et arctiſſimam, quae ipſis inuicem atque cerebro intercedit, contiguitatem vaſorumque communionem, vix vnquam adeſſe poſſe ſimplicem et fugacem, verum hic maxime illas occurrere com-

complicationes ſignorumque ambiguitates, de quibus (MVIII.) diximus.

MCCIV. Praeter generalem harum laeſionum *therapiam* (DCCCXIII.), ac mox dicendam, quae ipſius cerebri adfectionibus conuenit, tempeſtiuae quoque terebrationis neceſſitas hic haud raro vrget, niſi fracto forte cranio aditus pateat: irritatam enim vel diſtenſam a quouis corpore alieno, aut ſuppuratam vel corruptam duram membranam naturae ſoli relinquere, vel per intermedium os remediorum virtutem transmittere, perque ambages medicinam parare, damnoſa foret prudentia. Ob pericranii cum dura meninge conſenſum pericranii de cranio ſeparatio, in vniuerſum nunquam niſi vrgente neceſſitate inſtituenda erit.

MCCV. Quae de dura matre propoſuimus, ad maximam partem de *pia matre* quoque intelligenda eſſe, vi analogiae patet. Quippe in diagnoſi, in prognoſi inque therapia parum a ſe inuicem abludere membranas, vicinia atque affinitate conjunctiſſimas, prono fluit alueo. Tetanum quidem pro ſpeciali laeſae piae meningis ſigno haberi nouimus, neque tamen ſatis conſtanter conſentiente experientia.

Ce-

## *Cerebri et cerebelli laesiones.*

MCCVI. *Cerebrum* et *cerebellum* a violentia externa

*a*) vel *commotionem*,

*b*) vel *compressionem*,

*c*) vel *irritationem*,

*d*) vel *vulnerationem* aliamue laesionem mechanicam horumque sequelas pati potest. Quae jam sigillatim perlustrabimus.

MCCVII. Varia *symptomata adfecti* a violentia externa *cerebri*, in vniuersum haud raro quidem mixta sunt, saepissime tamen praedominium vnius alteriusue turbarum generis adest, cujus scropulosissima dijudicatio indicationes curatiuas attento praebet. Sunt vero

*a*) vel *symptomata commotionis* totius systematis neruosi a commoto encephalo torpor, labes, mox accedens, sub pulsu a naturali vix aberrante; sensus motusque voluntarii notabilis deminutio, abolitio, exstinctio.

*b*) vel *symptomata compressionis* sensus grauatiuus, dolor fixus, somnolentia, vertigo, oculorum obscuratio, pupillae dilatatio vel immobilitas, torpor totius vel partis corporis, inuoluntaria excrementorum et vrinae excretio, vel pertinax

tinax retentio, ſtatus apoplectico ſimilis cum pulſu tardo pleno.

c) vel *ſymptomata irritationis* ſigna inflammationis generalia, inquietudo, febris, delirium, ſpasmi, ſub pulſu paruo, celeri, tenſo.

d) vel *ſigna debilitatis neruoſae* ſequentis ſenſus alicujus labes, vertigo, ſtupiditas, paralyſis partialis, ſub pulſu vt plurimum paruo, molli.

e) vel denique *ſymptomata alieni morbi accedentis*, ab animi pathemate, a cruditatibus, bile in primis viis accumulatis, variolis, aut aliis morbis exanthematicis, acutis, putridis, ex propriis characteribus cognoſcendis.

MCCVIII. Varia haec *ſymptomata*

a) vel *eodem momento* violentiae admotae ſequuntur,

b) vel *poſt aliquod temporis interuallum*, minutas, horas, dies accedunt,

c) vel *poſt hebdomades* quin? *menſes* inſurgunt; quae omnia ex ſequentibus vberius patebunt.

*Ce-*

## *Cerebri commotio.*

MCCIX. *Cerebri commotio* ſtricte quidem ſpectata non pertinet ad continui ſolutiones: quum vero perinde ac reliquae encephali laeſiones hic perluſtrandae, a violentia externa ortum trahat, haud incommode cum iisdem exponitur. *Naſcitur* autem ex thecae oſſeae concuſſione praeuia:

*a*) ſiue haec ipſa ictum exceperit,

*b*) vel in corpus durum, ſub lapſu praecipue, impegerit,

*c*) vel caput violentam rotationem aut agitationem pelſum fuerit,

*d*) vel columna vertebralis ſimilem percusſionem in cranium ejusque contenta transmiſerit,

*e*) vel denique alia quaeuis grauior violentia cuiuis parti corporis admota commotionem capiti communicauerit, v. c. vulnus ſclopetarium, concuſſio electrica, exploſio fortis pulueris pyrii cet.

MCCX. Varii *commotionis cerebri gradus* obſervantur:

*a*) *lenior* concuſſio eodem, quo accidit, momento, breuem parit vertiginem, ſomnolentiam, debilitatem.

*b*) *grauior* animi deliquium, pulſu mox haud mutato, deinde pleniore, lentiore; ſen-

ſenſus motusque voluntarii abolitionem, vomitum; ſanguinis e naſo, auribus, oculis effluxum absque harum partium mechanica ſolutione; interdum inuoluntariam vrinae ac excrementorum emiſſionem, interdum retentionem inducit, quae aut lente minuuntur et ceſſant, aut compreſſi cerebri ſymptomata excipiunt.

c) maxima concuſſio mortem ſecum vehit, aut ſubito, aut ſenſim adauctis ſymptomatibus.

MCCXI. *Primaria ſymptomata* (MCCX.) eodem momento violentiae admotae accedentia *haud mixta*, ſoli concuſſioni ſenſorii communis, ac inde inducto ſyſtematis neruoſi torpori attribuenda eſſe videntur; inde ſub ſenſus motusque voluntarii abalienatione reſpiratio ac pulſus parum aut nihil mutatur; mentis grauiori adfectioni, ſi imminente periculo ante ipſam laeſionem adfuerit, hic tamen aliquid dandum eſſe per ſe patet.

MCCXII. In omni grauiori cerebri commotione, quod in omnibus contuſionibus accidit, ſenſim accedit vaſorum a ſanguine congeſto extenſio, ac inde cerebri aliqualis compreſſio: pulſus inde ſenſim mutatur in pleniorem, molliorem, apoplectico ſimilem, ac reſpiratio profundior, tardior,

dior, aliquoties ſtertoroſa euadit. Haec mutata rerum facies, ſi poſt temporis interuallum breuius, longius, rite obſeruandum, accedat, cum aliis ſignis dicendis vaſorum rupturam, ſanguinis effuſionem, cerebri compreſſionem monſtrat, et therapiam hujus adfectionis dicendam poſcit.

MCCXIII. Nec abſunt ſaepe ſub ipſo commotiones cerebri effectu (MCCX.) *ſymptomata irritationis cerebri*, vel immediatae, a corpore alieno, ſeu feſtuca tabulae internae, vel ab irritamento potus ſpirituoſi, cibi copioſi nuper adſumti, ſaburrae bilioſae in ventriculo et primis viis, alius morbi ſimul praeſentis, vel ab ipſa mente repetenda, ira ac terrore praecipue praegreſſis.

MCCXIV. Commotionum cerebri *prognoſis* pendet de ipſa violentia admota, commotionis indole (MCCIX.), gradu (MCCX.), complicatione (MCCXI.), aegroti habitu, ac ſtatu, in quo laeſio admota fuit. His etenim efficitur, an plenariam ſanationem, interdum lentam quamuis, admittat commotio; an partialem, remanente locali debilitate, paralyſi; an ſubſiſtentibus et auctis ſymptomatibus lethalis euadat; an denique commotionis ſymptomata in compreſſionis aut irritationis ſymptomata, abeant.

MCCXV.

MCCXV. Commotionis cerebri *curatio*, ejus indoli ac complicationi adornanda, in uniuerſum requirit pro auertenda congeſtione cruoris ſequente (MCCXII.) ſanguinis miſſiones e brachio, collo, pede, vniuerſales, locales, ope hirudinum, ſcarificationum, ſeu inciſione partium mollium indicata (MCLXXXII.) praeſtandas, ad rationem conſtitutionis aegroti, ſtatus ejus plethorici ac pulſus indolis interdum repetendas, caute attendendo, ne nimia debilitas ſequatur. Pulſus a venaeſectione debilis, intermittens, tremulus, absque ſymptomatum mitigatione, abſtinentiam ab vberiori ſanguinis miſſione poſcit. Effuſio ſanguinis infra cranium frequentiorem ſanguinis miſſionem, quam commotio cerebri, fert; neque pulſus inde tam facile mutatur. Commoti cerebri therapia porro requirit epithemata frigida, humorum deriuationem variam; alui ſolutionem laxantibus v. c. ſolutione ſalis Glauberi, vel cremoris tartari, enematibus; diaetam tenuiſſimam; animi corporisque quietem perfectiſſimam; ſitum capitis erectum; aërisque puri frigidiusculi liberum acceſſum. Lingua impura, ſapor amarus, vomituritiones, animi adfectus grauior ſeu error diaeteticus nuper praegreſſus, emetica, interdum repetita poſcunt.

MCCXVI. Symptomatum commotionis cerebri *complicatio* (MCCXIII.) alia praeterea *remedia* re-

requirit. Indicia ſaburrae aut bilis in primis viis, praemiſſa ſanguinis detractione (MCLXI.) emetica poſcit, fortiora, ſolutionem tartari emetici, majori doſi propinandam, interdum purgantia, enemata ſtimulantia; ſubſiſtente ſyncope ac ſymptomatibus debilitatis, alcalina volatilia, diaphoretica, veſicatoria ad excitatam rubedinem quin veſicationem cranio vbique aliisque partibus admota, ipſius vini vſus prouidus, omnino indicantur, haud neglecto ſimul epithemate frigido. Vrgentibus ſymptomatibus irritationis (MCLIII.) haud ex cauſa mechanica deriuandis, ſemicupia, remedia antimonialia, quin? ipſum opium, vel puluis Doveri, cum vtilitate adhibitum fuit. Compreſſionis cerebri ſymptomata therapiam poscunt mox dicendam.

MCCXVII. Ex allatis patet, *non eandum methodum* in omni commotione cerebri adhibendam eſſe, neque promiſcue in vſum vocanda dicta remedia. Etenim ſymptomata commotionis varia debentur

*a*) vel *congeſtioni ſanguineae vaſorumque dilatationi* ex (MLXXXVIII.) allatis deducendae; hic conducunt methodus antiphlogiſtica, ſanguinis miſſiones uniuerſales, locales, epithemata frigida refrigerantia cetera (CCCCLIII.) expoſita;

*b*) vel

b) vel *debilitati* et *inertiae*, cui opponuntur, epithemata frigida, ſalia alcalina volatilia, moſchus orientalis, veſicatoria, emetica;

c) vel *ſpasmis*; in hoc caſu opium, puluis Doveri, eſſentia ſtibii cet. indicantur;

d) vel *effuſione bilioſae* aut *ſordibus* primarum viarum, praecipue emeticis et laxantibus debellandae.

Attentus chirurgus, ad habitum et ſtatum aegroti praegreſſum, violentiam admotam, ſymptomatum indolem, rationem atque mutationem pulſus, ac effectum denique remediorum, ea inde eligat, quae in ſingulo caſu maxime adpropriata videntur. Fotus frigidiſſime, abraſis in anteceſſum crinibus, totum calvariae ſuperficiem obtegentes, ſaltem omni quadrante horae renovati, et ſat diu continuati, in omni grauiori adfectione cerebri ab injuria externa remedium praebent longe praeſtantiſſimum, quod theoria ſuadet, conſtans experientia teſtatur. Errant inde grauiter et aegrotis male proſpiciunt qui hoc remedium vel omittunt vel eo negligentius vtuntur.

## *Compreſſio cerebri.*

MCCXVIII. Multiplici modo ab injuria externa *compreſſionem* pati poteſt cerebrum,

a) a

*a*) a ſanguine, lympha, ſeroue effuſo;
*b*) a pure collecto,
*c*) a corpore alieno per cranium immiſſo;
*d*) ab oſſe depreſſo;
*e*) ab indurationibus aut tumoribus ſaccatis, poſt cerebri a violentia externa adfectionem, lente obortis,
*f*) a callo a diductis fragmentis oſſeis inaequali, aut exoſtoſi interna.

Hic potiſſimum conſideranda venit ea cerebri compreſſionis ſpecies, quae ab *effuſo liquido*, ſanguine praecipue, oritur.

MCCXIX. Varii *compreſſi cerebri* obſeruantur *gradus*, omnes ab impedito vel ſuppreſſo encephali influxu in organa motus ſenſusque derivandi;

*a*) in leuiori gradu, minori nimirum liquidi quantitate effuſa, ac minori compreſſione, dolor capitis grauatiuus, vertigo, ſenſuum hebetudo, ſomnolentia, motus voluntarii difficultas adeſt;
*b*) in ſecundo gradu accedit febris, ſub pulſu pleno, forti, haud raro inaequali, ſyncope, delirium ſaepe furioſum, adfectus ſoporoſi, oculorum immobilitas ſeu celer vehemensque motus, interdum eorum inflammatio, inuoluntaria vrinae

et

et faecum aluinarum exclusio, in aliis obstipatio, ischuria, spasmi, conuulsiones, paralyses partiales, infarctus et suppuratio jecinoris.

c) in maximo gradu nisi causa comprimens tolli queat, suppressis functionibus vitalibus, aegrotus moritur apoplecticus.

MCCXX. *Accessus symptomatum a cruore effuso*, nunquam vti commotionis symptomata, presso pede laesionem sequitur, sed ad volumen vasis dissoluti, et effusi quantitatem, minutis, horis, quin diebus praeterlapsis insurgit. Ortum vero ducit effusio sanguinis cerebrum comprimentis vel a durae matris de cranio solutione, vel a festucis osseis aut corpore alieno laedente, vel a ruptura vasorum a sola concussione capitis seu interdum aliarum quoque partium inducta: symptomata nunc cito, nunc lentius augentur, nunc quiescunt, nunc aucta iterum vehementia recrudescunt, quod serosis effusionibus praecipue accidit. Si irritationis cerebri symptomata simul adfuerint, non nisi scrupulosissima atque sagacissima dijudicatione dignoscuntur. *Humorem serosum* vel *lymphaticum* post injuriam capiti forinsecus illatam, a vasorum debilitate, sanguinis, inprimis venosi, cursu impedito, in substantia cerebri, aut ejus sinubus aut inter matres aut in basi cra-

nii,

nii, praecedunt vt plurimum ſymptomata debilitatis (MCCXII.), antequam ipſius compreſſionis cerebri ſigna (MCCXVIII.) ſerius accedant. *Puris* denique effuſionem antecedunt ſigna inflammationis et irritati (MCCXIII) encephali.

MCCXXI. *Sanguis cerebrum comprimens*

*a*) aut in vaſis commotione debilitatis congeſtus eſt;

*b*) aut ruptis ſeu diſſolutis vaſis, vel inter cranium et duram matrem, quod frequentiſſime accidit, hac de cranio ſoluta (MCCI.), vel inter duram et piam matrem, inter hanc et cerebrum, in ipſa ſubſtantia cerebri vel in hujus denique ſinubus effuſus haerere poteſt.

MCCXXII. *Indagatio loci, vbi effuſum liquidum haeret*, maximis interdum premitur difficultatibus, et ſi vnquam, hic certe maxima chirurgi ſagacitate opus eſt; eo magis quidem, ſi compreſſionis cerebri ſymptomata illis, quae commotio, vel irritatio ſeu alius morbus inducit, mixta fuerint. In vniuerſum extrauaſatum ſub ipſo loco, vbi violentia admota fuit, ſuſpicari decet, eo certius quidem, ſi, abraſis vbique capillis, externe tumor, rubor, locus dolens, oedema, contuſio, vulnus, pericranii ſolutio, fiſſura, fractura ſeu depreſſio ſimul adfuerit, vel ex his nonnulla accedant.

MCCXXIII. Omnibus his deficientibus interdum aegroti indigitatio automatica ac ſenſus doloris localis locum ſpecialem compreſſionis cerebri indicant. Conuulſiones latus adfectum plerumque inuadunt, paralyſis oppoſitum occupat; ab anterioris cerebri partis compreſſione extremitates ſuperiores, a poſterioris preſſione inferiores reſolui, pluria quidem experimenta ſuadent, neque tamen cum conſtantia ſemper conſentiente experientia. Certior loci determinatio hucusque deſideratur.

MCCXXIV. Omnis cerebri compreſſio, a violentia externa ortum ducens, quoad *prognoſin*, ancipitem habet euentum; diuerſus autem eſt periculi gradus, pro diuerſa cranii laeſione, compreſſionis ſede, corporis comprimentis indole, liquidi effuſi quantitate et a mora et putredine mutatione, ſymptomatum complicatione, aetate ac habitu aegroti, ſagaci denique et tempeſtiua remediorum adhibitione. Quodſi humor collectus in cauſa, aetateque junior fuerit aegrotus, promtius et vehementius inſurgunt ſymptomata, aeque cito receſſura, cum in his liquidum effuſum facilius reſorberi queat. Sanguis inter duram matrem et cranium haerens difficilius reſorberi ſolet. Cerebri in baſi cranii compreſſiones, aut cerebelli, aut medullae oblongatae, ob maiorem partium dignitatem et difficiliorem vel impoſſi-

poſſibilem medentis acceſſum, plerumque grauiora et ſaepiſſime lethifera inducunt ſymptomata. Idem accidit, ſi premens liquidum in profundiſſima encephali ſubſtantia, vel ipſis ſinubus haereat.

MCCXXV. Compreſſionis cerebri ab effuſo fluido *therapia*,

*a*) aut hujus reſorptionem tempeſtiuam,

*b*) aut ſi haec fieri nequit, nec cum ſecuritate exſpectari poteſt, auctis ſimul ſymptomatibus, ejus eductionem haud differendam molitur.

MCCXXVI. *Effuſi liquidi reſorptio tentari poteſt:*

*a*) ſi prioris gradus (MCCXIX.) ſymptomata haud imminens ac citum periculum indicant.

*b*) ſi vel plane non, vel lentiſſime ſaltem augentur.

*c*) ſi nullae ſimul aliae laeſiones adfuerint, quae trepanationem requirunt.

*d*) ſi, ſolertiſſima quamuis indagatione inſtituta (MCCXVII.), nullo plane ſigno locus, vbi effuſum haeret, determinari poſſit.

MCCXXVII. Effuſi liquidi *reſorptio promouetur*, ſanguinis miſſionibus ad indicationes repetitis in collo, brachio, pede; arteriotomia tem-

po-

porali; ſanguiſugio; ſcarificatione; cucurbitis; inciſione externa indicata; ipſius ſinus longitudinalis inciſione; quas ſanguinis detractiones melius fert cerebrum compreſſum quam commotum; laxantibus antiphlogiſticis, v. c. ſolutione ſalis Glauberi vel cremoris tartari, epithemate frigido ſedulo admoto, reuellentibus, deriuantibus variis, cautelis antea expoſitis, ſub exacta corporis et capitis praecipue quiete. Reſorptio liquidi inter cranium et duram matrem effuſi, in vniuerſum difficilius, quam in aliis locis ſuccedit.

MCCXXVII. His nihil proficientibus, et ingraveſcentibus ſymptomatibus, haud a primarum viarum ſordibus bilioſis deriuandis, mox absque mora recurrat chirurgus ad effuſi eductionem et trepanationem, in ipſo loco (MCCXXII.) violentiae admotae, et niſi hic reperiatur effuſum in alio loco maxime ſuſpecto. Si effuſionis ſedem attigerit trepanum, ablato orbiculo oſſis exſciſſo, prorumpit extrauaſatum, de ſanguinis e diploë effluxu interdum obuio rite diſtinguendum. Coagulum ſanguinis penicilli ex linteo carpto confecti ope auferatur; ad latus aperturae haerens, haud effluens, aut putreſcens, alio trepano admoto proſequatur; minime vero depreſſorii lenticularis ope, inutilis nimirum et nocui, alliciatur. Dura mater prominens, valde tenſa, coerulea,

ſubjacentem ſanguinem monſtrat, et hujus meningis inciſionem cruciatam, ope lanceolae de orbiculi peripheria ad centrum protractam, requirit; neque profundior inciſio extimeſcenda, ſi altius deliteſcat malum. Educto quamuis eſfuſo liquido, compreſſionis ſymptomata ſubſiſtentia alium adhuc locum compreſſum indicare poſſunt; inde chirurgus haud in prima terebratione acquieſcat, ſed in quouis loco ſuſpecto plures exſcindat orbiculos, ad ſedem compreſſionis indagandam. In vberiori tractatione haud negligantur ea, quae phlogoſin futuram auertere valent, neque illa, quae de durae matris de cranio ſeceſſu ac denudatione antea monita ſunt. Debilitatem et paralyſin ſingulae partis ſequentem, fonticulo ad additamentum ſuturae lambdoideae admoto, vti et emeticis repetitis, ſanatam fuiſſe compertum eſt.

MCCXXIX. Aliae cerebri compreſſiones a pure collecto, corporibus alienis immiſſis, oſſe depreſſo cet. (MCCXVIII.) partim jam antea expoſita; partim ex ſequentibus patebunt.

## *Cerebri inflammatio et ſuppuratio.*

MCCXXX. Nulla grauior, a violentia externa, cerebri adfectio, absque aliquali *inflammatione* eſt. Haec eſt

a) vel

*a*) vel *primitiua* mox violentiam praegressam ſequens.

*b*) vel *conſecutiua*, ſerius inter ſeptimum et viceſimum primum diem vt plurimum accedens. Prior *acutior*, altera magis *chronica* eſſe conſueuit.

MCCXXXI. Inflammationis *primariae cauſa* generalis in vniuerſum eſt ſtimulus qualiscunque a corpore alieno immiſſo, oſſe fiſſo, fracto, depreſſo, contuſo, durae matris ab oſſe ſolutione, cerebri commotione, compreſſione. *Secundaria* magis debilitati ac atoniae vaſorum ſequenti *attribuenda* eſſe videtur, unde transſudatio materiae purulentae, ſubflauae, gelatinoſae inducitur.

MCCXXXII. Inflammationis cerebri *ſigna* ſunt pulſus celer, tenſus; dolor localis fixus, ab externa preſſione haud auctus, et ſenſim ſe extendens; accedunt cephalalgia, oculorum vel vnius rubor, lucis intollerantia, inquietudo, anxietas, inſomnia, vomitus, interdum deliria et ſpasmi; haud raro ſigna adfectionis partium mollium (MCLXVI.), cranii (MLXXIII), meningum (MCCI.), et aliae denique laeſiones cerebri (MCCVI.) ſimul adſunt. Praegreſſis his ſymptomatibus inflammatoriis, horrores intercurrentes, pulſus mollior, ſequentibus ſignis compreſſionis cerebri, ſuppurationem factam indicant.

MCCXXXIII.

MCCXXXIII. Quoad *prognoſin*, omnis cerebri inflàmmatio ancipitem habet euentum; niſi tempeſtiue auerti poſſit malum, ſeu illi mederi, ſuccedit ſuppuratio:

*a*) vel pure in abſceſſus ſpeciem coaceruato, artis auxiliis interdum educendo,

*b*) vel materia purulenta, gelatinoſa, aut in dura matre a cranio ſoluta, aut inter reliquas meninges, quod ſaepius accidit, inter piam matrem et arachnoideam, in majori ambitu extenditur, haud arte educenda; ipſa cerebri ſubſtantia vicina haud raro ſimul diſſoluta atque corrupta inuenitur: qui ſtatus inde merito lethalis habetur. Nec deſunt tamen exempla, magna cerebri parte quamuis ſuppuratione conſumta, aegrotos tamen quoad tempus absque notabili detrimento ſuperſtites fuiſſe.

MCCXXXIV. Inflammationum cerebri *therapia* includit

*a*) aut tempeſtiuam prophylaxin,

*b*) aut ipſius phlogoſeos medelam conuenientem,

*c*) aut puris denique eductionem.

MCCXXXV. Inflammatio auertitur vel ſanatur methodo antiphlogiſtica generali (CCCCLXV.), ſan-

ſanguinis detractione varia (CCCCLXIV.) dicta, qua pulſus haud notabiliter mutari ſolet; epithemate frigido indefeſſo, primarum viarum emeticis indicatis et laxantibus antiphlogiſticis expurgatione, reuellentibus, deriuantibus variis, cautelis (MCLXV.) allatis.

MCCXXXVI. Niſi inde mitigentur ſymptomata, mox *trepanatio* in loco dolente inſtituenda,

*a*) partim, vt irritantia nociua (MCCI.) forſan obuia educantur,

*b*) partim, vt ſanguinis detractio localis aut ex ſinu obuio, aut ex vaſe durae matris, maxime ſalutaris inſtitui poſſit. Nimius ſanguifluxus ex tali apertura, impoſito linteolo, oleo terebinthinae madido, haud difficulter ſupprimi ſolet.

*c*) partim, vt pus collectum tempeſtiue euacuari poſſit.

MCCXXXVII. *Materiae purulentae eductio*, ſi profundius deliteſcat, ſeu in latitudinem extenſa fuerit, ſaepiſſime haud vnica facta terebratione ſuccedit, plures inde, ſi indicatio adſit, exſcindat orbiculos chirurgus et non ſolum meninges, ſed ipſam quoque cerebri ſubſtantiam haud timide incidat, vt humori purulento exitus paretur: dulce enim atque decorum erit viro cordato, remedium quantumlibet anceps potius exper-

pertum eſſe, quam aegrotum certo mortis periculo reliquiſſe. Puris effluxus facilitatur ſitu conuenienti, ac leniſſima deligatione; ſeu ſiphonis ope illud ex ipſa cerebri ſubſtantia attrahi poteſt. Profundiſſimus ſitus puris medelam excludit. Materia purulenta gelatinoſa inter meninges late extenſa, vt plurimum lethalis, trepanatione haud educenda eſt.

MCCXXXVIII. *Corpora aliena* varia aut externe immiſſa, aut feſtucae oſſeae, ob irritationem, phlogoſin, ſuppurationem auctam et ſpasmos; ob compreſſionem paralyſin inducentia, in vniuerſum difficillime indagantur. Locus ſpecialis interdum tractu ſuppurationis et directionis, qua pus ſortitur, cognoſcitur.

## *Cerebri vulnus.*

MCCXXXIX. Cerebri *vulnus* infligi poteſt

*a*) aut corpore pungente, pyxidis oſſeae tenuiores partes (MCLXXVII.) penetrante.

*b*) aut corpore contundente, vt in vulnere ſclopetario.

*c*) aut vulnere caeſo inſtrumento ſecante facto.

*d*) aut a feſtucis oſſis fracti dimotis.

*e*) aut denique inciſione chirurgica.

MCCXL.

MCCXL. Quae laesiones aut *simplices* continui *solutiones* aut *laceratae*, aut *cum deperdita substantia*, aut denique *cum* vel *absque corpore alieno* esse possunt.

MCCXLI. Vulnerum cerebri *diagnosis*, si major simul fuerit dissolutio partium continentium, ex signis sensualibus vulnerum generalibus (DCCCCXLVIII.) facile eruitur; vulnera puncta cerebri, specilli aut effluxus alieni ope haud detegenda, instrumento laedente, loco laesionis, sequentibus symptomatibus, inflammati (MCCXXXII.), pressi (MCCXXII.), suppurati (MCCXXX.) cerebri indicantur. Signa specialia laesionem partis singulae cerebri indicantia desiderantur.

MCCXLII. Vulnerum cerebri *prognosis* in vniuersum quidem periculo haud caret, certa tamen atque frequenti experientia constat, maximas cerebri laesiones, profundas, cum majori substantiae deperditione radicaliter sanatas fuisse. Melius cerebrum in vniuersum vulnera quam compressiones ferre videtur. Profundissima vulnera, corpus callosum, sinus cerebri, cerebelli substantiam profundiorem, medullam oblongatam laedentia, lethalia merito habentur. Mirabilis vnus alterue casus regulam haud mutat.

MCCXLIII. Vulnera cerebri, vti alia quaeuis, naturae viribus *sanantur*, nisi laesionis indoles,

doles, habitus ac diaeta aegroti, corpora aliena, ac aër, in quo degit aeger, ſanationi obſtent, nec artis auxilia naturae occurrentia negligantur. Notandum inde

*a*) extractionem corporum alienorum infra cranium haerentium nunquam rudi manu ac violenter inſtituendam eſſe, incidendae potius meninges, quin ipſa cerebri ſubſtantia ac trepanatio repetenda, vt lenior extractio forcipis idonei ope ſuccedat.

*b*) inaequalitates oſſeae haud ſolutae cultro idoneo ſeu forcipe ſeu trepano auferantur.

*c*) ſitus, ſi locus concedit, in vniuerſum talis eſſe debet, vt effluxui humorum faueat; ſub eodem ſitu idoneo, globulum ſeu aliud corpus alienum interdum proprio pondere exteriorem aperturam petere compertum eſt.

*d*) ipſius vulneris cerebri therapia in principio ſit antiphlogiſtica inflammationi auertendae, ſedandae, accommodata, epithemate frigido haud neglecto; ſuppuratio larga putrida olei terebinthinae adplicationem ac internum corticis peruuiani vſum poſcit; deligatio ſit leniſſima,

nissima, cita; partes corruptae cerebri cum securitate auferri possunt.

MCCXLIV. *Corpus alienum* haud detegendum *in ipsa cerebri substantia haerens*, interdum impune absque incommodo per totam vitam retineri potest; interdum sub certo situ capitis symptomata compressionis cerebri inducuntur, mox mutato situ capitis recedentia; interdum denique post longum temporis interuallum cito necat.

MCCXLV. Interdum laesionibus cerebri expositis sanatis, interdum post menses, annos, accedunt symptomata, praegressae laesionis sequelae; aut sponte, aut praegressa causa occasionali, ira, ebrietate, coitu; delirium nempe, mania, moestitia, epilepsia vel alii spasmi, paralysis, cephalalgia chronica cet. Talibus symptomatibus, quorum origo cautissimo examine indaganda, ansam dare possunt tensio partium mollium cicatrice inducta, festucae osseae solutae, inaequalitates a fissura, fractura, callo, exostosi, caries occulta, varicosa vasorum a contusione expansio, effusio serosa in qualicunque caui cranii parte, fungus durae matris, cerebri, tumores cystici. Cui statui occurritur ablatione causae cognitae ad methodum expositam, ac remediis, quae in similibus casibus interdum profuisse compertum est: incisione larga cicatricis, cauterio auc-

actuali ſeu potentiali, fonticulo, ad proceſſum maſtoideum, ſetaceo, emeticis repetitis, arteriotomia temporali; his nihil proficientibus, trepano in qnouis loco ſuſpecto admoto.

MCCXXLVI. Interdum poſt varias cranii, meningum vel ipſius cerebri laeſiones, remanet vlcus fiſtuloſum, per cranium in ipſam cerebri ſubſtantiam penetrans, ſaepiſſime cariei, feſtucae oſſeae, ſeu alius corporis alieni ſequela, cujus therapia prouidam curam poſcit, ne humores retineantur; accedentibus vero ſymptomatibus irritati vel compreſſi cerebri, citam oſſis trepani ope perforationem, qua facta, cauſa morbi ſparſim detegi et auferri poterit.

MCCXLVII. Neque omittendus, qui varias laeſiones cerebri haud raro comitari, ſequi ſolet, *hepatis infarctus, inflammatio, ſuppuratio.* Nonnulli hunc ſtatum nimiae ſanguinis copiae de capite per venam cauam redeuntis et aſcenſui cruoris per venam cauam inferiorem obſtantis; alii minori quantitati ſanguinis ad cerebrum ducti, et majori inde quantitati ad abdomen moto attribuerunt. Aſt vtraque hypotheſis grauibus premitur difficultatibus, ſymptomata hoc potius

*a*) aut conſenſui neruorum cerebri cum ventriculo, et hujus ob vicinitatem et cognationem cum hepate,

*b*) aut

b) aut effusioni saburrae biliosae in ventriculo,

c) aut denique contusioni vel commotioni ipsius hepatis attribuendum erit.

Neque morbum a venaesectione, pedis praecipue, induci, augeri, constans experientia confirmat. Inde ad diuersitatem indicationum nunc methodus antiphlogistica, nunc emetica et laxantia opponenda erunt. De fungo durae matris aut cerebri, hujusque hernia, laesionis externae sequela, alio loco dicetur.

## *Trepanatio.*

MCCXLVIII. Ex allatis patet *trepanationem* seu cranii perforationem, tempestiue administratam, etiam pro re nata repetitam, in plurimis cerebri seu meningum adfectionibus a compressione aut irritatione, vnicum saepe esse vitae seruandae *remedium*, sicut quoque prae ceteris *praesentissimum* est et *efficacissimum*. Innummerabiles profecto in fastis chirurgicis occurrunt casus, in quibus trepanum rite admotum mirificam tulit operam, vel absque dubio, nisi praejudicium aliaue medentis culpa obstitisset, aegrotum morti erupturum fuisset. Neque vsquam fida experientia probatum est, hanc operationem, omnimode ad artis regulas absolutam, per se notabilem noxam intulisse. Grauis tamen satis est operatio,

ratio, vt nunquam, nisi indicationes sufficientes adsint, institui debeat.

MCCXLIX. *In* quauis *trepanatione* instituenda, *attendendum*

*a*) ad *locum*, in quo ossis perforatio fieri potest,

*b*) ad *apparatum* necessarium,

*c*) ad *denudationem cranii*,

*d*) ad ipsam *ossis perforationem*,

*e*) ad *tractationem* denique *sequentem*.

MCCL. *Potest* autem *cranium* in toto suo ambitu externo, vbi indicatio adest, *perforari*. Regio tamen sinus ac spirae frontalis, spinarum ac inaequalitatum occipitalium, ossis squammosi pars inferior, et tractus arteriae meningeae sub ossis parietalis angulo decurrentis, non nisi vrgente necessitate terebrae subjicienda est. Ad suturas vero et sinus durae matris, impune adplicari posse trepanum, quid? quod sinus longitudinalis laesionem non solum non extimescendam esse, verum etiam sanguinis ex hoc canali missionem salutarem praestitisse effectum, propria experientia repetita compertum est. Sedulo denique cauendum, ne ossi fracto vacillanti trepanum admoueatur.

MCCLI. *Apparatum* pro trepanatione constituunt scalpellum incisorium, apice acuto, manubrio

nubrio firmo; trepanum vſitatum, cui, mediante cachlea, vel quod melius eſt, ope elateris affigi poteſt terebellum acutum, aut corona clauo in centro praedita, mediante claui educendus. Corona ſit major, vnius pollicis ad minimum diametri, et cylindrica, dentibus de dextro ad ſiniſtrum latus directis, ſuperficie externa plana, laevi, haud ſulcata; coronae conicae, ob attritum lateralem fortiorem cerebrum commouent, os adficiunt. Trepanum manubrio transuerſo praeditum, trephine dictum, quod nonnulli praeferunt, ob lentiorem effectum ac minus aequalem inſtrumenti motum, haud commodum eſt, praeterea ob frequentiores reciprocationes manum poſcit non facile fatigandam. Excutium ſcobem oſſeam extergens. Penna anſerina in ſpecilli formam exſciſſa, apice obtuſo; culter lenticularis, lente complanata vel parum conuexa; vectes varii; penicilli, linteum carptum; ſpongiae, ſplenia varia, mitra ſeu faſcia triangularis capritis; nec deſint adjuuantes, qui caput aegroti firmiter tenere poſſint. Situs aegroti ad marginem lecti, corpore plano duro infra puluinar miſſo, talis eligatur, qui chirurgo commodus ſit, et perpendicularem, ſi res concedat, terebrae actionem admittat.

MCCLII. *Cranii denudatio* pro terebra adplicanda fit inciſione ad os protracta, ſubrotunda vel

vel ouata, ſi laeſionis ratio talis ſit, vt cita partium reunio haud expectari poſſit; in contrario caſu inciſio cruciata omnino praeferenda erit. Ad oſſis laeſionem indagandam vel tenſionem remouendam, ſemper ſit cruciata inciſio, vt eo facilius reuniri poſſit vulnus; nunquam pericranium de cranio in majori ambitu ſeparetur, quam, qui pro vna trepani corona admouenda ſufficit; ſi plures perforationes poſcat malum, vulnus deinde dilatandum erit. Sub inciſione cultrum perpendiculariter tali modo ducatur, vt inciſio recta, et epicranii ac pericranii diuiſio tanta ad minimum fiat, quam integumentorum vniuerſalium. Si fiſſura vel fractura adſit, caute ſemper admoueatur, aut ſuper ſpecillum ſulcatum ducatur culter, ne fragmenta forſan obuia deprimantur. Partium vicinarum dignitas, ac cicatricis difformis metus, vario modo figuram inciſionis mutare jubet. Oſſe comminuto totum ambitum denudare cogimur, vt terebra ad latus fracturae admoueri poſſit. Si fiſſura latius extenſa adſit, vni trepani coronae locum parare, et deinde, ſi plures exigantur, vulnus ampliare praeſtat, quam totum fracturae tractum mox denudare. Pericranium oſſi adhaerens vnguis ope commode ab oſſe tantum ſeparatur, vt vna trepani corona ad os denudatum applicari poſſit. Haud valde vrgentibus ſymptomatibus, inciſis partibus mollibus, trepanationem

per

per plures horas differre conducit, cum a ſanguifluxu, et ſoluta tenſione ſymptomata haud raro absque trepanatione ceſſent.

MCCLIII. Ipſa *oſſis perforatio* ſequenti modo inſtituitur. Trepanum dirigens chirurgus, capitulum ejus volae ſiniſtrae manus vel fronti vel mento adprimit, dextra vero manubrium arcuatum circumagit. Primo quidem, terebello acuminato haud craſſo, in centro orbiculi exſcindendi, circumagendo foramen efficitur, haud profundum tamen, ne cranium tenue forſan perforetur, in quo foramine coronae ſerratae clauum inniti et illa circa hoc centrum moueri poſſit. Qui clauo coronae figuram terebelli acuminati dant, hoc inſtrumento commode carere poſſunt. Coronae deinde immiſſae circumductio conſtans et aequalis, ad directionem dentium (MCXCVIII.) inſtituatur, vt nec nimio preſſu ſeu obliqua directione cohibeatur, nec leuiori ſtrictura retardetur operatio. Si ſulcus annularis aequalis cranio impreſſus fuerit, remouetur clauus, quo facto coronae circumductio continuatur. Interea ſcobs, quae inſtrumento vel rimae inhaeret, detergitur, et penna ſucciſa apice obtuſo foraminis altitudo, num illa vndique aequalis ſit, exploratur. Scobs ſanguinea monſtrat ad diploëm ventum eſſe; memor tamen ſit chirurgus, hanc interdum deeſſe.

In vitrea lamina exſcindenda cauta ac ſuſpenſa manu verſetur chirurgus, ac ſaepe ambitum circuli examinet; ſi in vna vel altera parte haereat os, in hanc inclinari paulo poterit terebra, vt orbiculus circumcirca aequaliter exſcindatur. Oſſiculum vacillans forcipe hunc in vſum fabrefacta commode educitur; minus idoneus vſus terebrae (tire - fond) aut leuatorii eſſe videtur.

MCCLIV. Orbiculo ſic educto ſpinae in margine foraminis inferiori hinc inde eminentes cultro lenticulari circumducto ſuſpenſa manu remoueantur, minime vero lente inſtrumenti deprimatur dura mater (MCLXXV.) ad alliciendum extrauaſatum. Quoad corporum prementium, irritantium, eductionem, ad ea reſpiciendum, quae antea propoſuimus. Cranium infantile terebram non admittens, raſura fruſtuli vitri ſeu ferri ad methodum (MCXLVI.) expoſitam attenuatur.

MCCLV. Foramen linteo carpto, digeſtiuo blando illinito, ſeu ſpongia molli leniſſime impletur. Linteum ſimplex filo praeditum infra orificii oſſei marginem ductum, et lamina plumbea Belloſti liberum fluidi effluxum impediunt, et vix noxae ſuſpicionem effugiunt. Deligatio in vniuerſum lenis ſit nec cerebrum premens, nec effluxum liquidi coercens. Omnia irritantia ſtrenue vitentur. Splenium molle e frigida expreſ-

ſum

ſum capiti imponatur, et apparatus vel mitra ſimplici, ſeu faſcia triangulari firmatur, quae aliis faſciis complicatoribus merito praeferuntur.

MCCLVI. Operatio, *ſi ſcopum non attigerit*, ſi nullum corpus alienum comprimens vel irritans detegerit, ſi ſymptomata permaneant vel etiam augeantur, ſi fractura vel fiſſura ad locum magis declivem protracta inueniantur, ſi os depreſſum non vno leuatore attolli queat, ſi effuſio liquidi ſeu ſuppuratio latius extenſa fuerit, perforatio oſſis haud timide multiplicanda erit, ratione loci ſuſpecti ſemper habita, quod maxime quoque de contrafiſſuris ſeu reſonitu valet. Plures orbiculi ſi exſcindendi ſunt, margo vnius marginem alterius ſemper ſimul comprehendat, quo apices in interuallis eminentes absque majori commotione exſcindi queant.

MCCLVII. Cranii hiatum, maximum quoque, a trepanatione ſeu fractura, natura papillulis carneis ex ipſa oſſis ſubſtantia, rarius ex meningibus vel ipſo encephalo, vel tegumentis externis propulſis, occludere ſolet, quae lentiſſime ſenſim indurantur. Lentior impletio vſum vnguenti digeſtivi, luxurians caro deligationem ſiccam ac leniora adſtringentia poſcit. Cicatrix mollior impoſita lamina tenui cornea ſeu metallica ab injuriis variis defenditur. Caries marginis oſſei, fric-

tione laterali coronae trepani, conicae praecipue, abuſu, remediorum ſpirituoſorum adſtringentium, aërisque nimio acceſſu, ſeu alio vitio aegroti ſeu medentis inducta, applicato blando digeſtiuo, ac cita lenique deligatione auertitur, aut exfoliatio acceleratur. Neque negligatur cura circa aëris munditiem aliaque ſubſidia diaetetica antea expoſita.

## *Vulnera faciei.*

MCCLVIII. *Vulnera faciei* in genere conditionem aliorum vulnerum expoſitam ſequuntur; peculiarem tamen attentionem requirunt, vt labia debitae faſciationis, emplaſtrorum, quietis, ſuturae, adminiculo exactiſſime ad primam, vt dicunt, indicationem abſque ſuppuratione reuniantur, ne cicatrix difformis ſuperſit. Oſſis ipſius vulnus tentamini hujus therapiae minime obſtat. Suppuratio haud auertenda minime remediis digeſtiuis irritantibus augeatur. Interdum tamen humorum ex oculis, ore, naſu effluxus, barba creſcens, vulneris figura inaequalis, angulata, emplaſtrorum vſum inſufficientem reddit, et vnam alteramue ſuturam requirit.

MCCLIX. Vulnera faciei interdum ſymptomatibus commoti aut irritati cerebri, fractura aut dislocatione oſſium, adfectionibus abdominalibus

comi-

comitantur, cui ſtatui ad horum morborum indolem antea expoſitam occurritur. Effuſio biliosa in ventriculo tumorem interdum eryſipelatoſum totius faciei cauſat, reunioni vulneris obſtantem, cujus cauſa fruſtra haud raro in ipſo vulnere indagatur, ſed ſolis emeticis et laxantibus curatur.

MCCLX. *Vulnera frontis*, *ſuperciliorum* ac *regionis infra orbitalis* coecitatem cauſarunt, interdum ſanato jam vulnere accedentem; qui ſtatus ab adfectione nerui frontalis et infraorbitalis, vtpote cum oculi neruis nexi, oriri poteſt; ſi ille nempe vel contuſus, vel a corpore quouis alieno irritatus, vel partialiter diſſolutus fuerit, vel a cicatrice tenſus ſit. Huic ſtatui occurritur ſagaci indagatioue et ablatione corporis irritantis. Niſi hoc adſit, frictio indefeſſa, oleoſa, blanda interdum profuit; certius auxilium adfert nerui ex oſſe progredientis totalis transſciſſio. Vulnera transuerſa palbebrarum citiſſime reuniantur; ſuppurante vulnere, ſeu deperdita ſubſtantia interdum ſequitur ptoſis aut lagophthalmus ad proprium morbi genium tractandus. Longitudinale palpebrae vulnus aut hujus transſciſſio, emplaſtris haud coercenda, ſuturam cutis prope palpebrae marginem poſcit, intactis tamen cartilagine, et tunica interna palpebrae, qua facta reliquum vulnus facilius emplaſtro continetur. Ecchymoſi,

vul-

vulnerum palpebrarum ſolito comiti, ad methodum (CXCII.) expoſitam occurritur.

MCCLXI. *Vulnera naſi* ac *aurium* caeſa vel lacerata, ſi particula cutis adhuc cohaeret, emplaſtro rite admoto, et, niſi hoc ſuccedat, vna alteraue ſutura, intacta cartilagine injecta, reuniri poſſe multiplici experientia conſtat. Neque naſo vel aure plane abſciſſa, citum reunionis tentamen, innocuum ſaltem, excludi debet, cum partes plane de corpore ſeparatas cito iterum admotas rurſus concreſcere poſſe, indubiis experimentis compertum ſit. Labiorum vulnera in oris cauum penetrantia, niſi cito reuniantur, in marginibus cute obducuntur, et labium leporinum remanet.

MCCLXII. *Vulnera oculorum* ad diſſolutionis indolem et profunditatem, grauiſſimam inflammationem, ſequentem ſuppurationem, coecitatem partialem, totalem, ipſius bulbi deſtructionem inducere poſſunt. Therapia horum vulnerum labiorum hujus ritam adductionem, oculi quietem exactam, omnium irritantium cautam auerſionem, et inflammationis ſtrenuam medelam requirit, ad methodum in ophthalmiae chirurgia expoſitam.

MCCLXIII. *Vulnera genae* citiſſimam reunionem emplaſtrorum ope peragendam, ſub exacta

man

mandibulae quiete, poſcunt; angulata his non coërcenda, interdum vnam alteramue ſuturam requirunt. Ductus Stenonianus ſeu glandula parotis laeſa, cita labiorum vulneris adductione reuniri poſſunt; niſi hoc ſuccedat, et in ſuppurationem abeat vulnus, ob continuum ſaliuae effluxum fiſtula ſaliualis remanet ad methodum (DCCCLX) expoſitam tractanda.

MCCLXIV. *Vulnera linguae*, vel inſtrumento ſecante vel vel dentium actione inducta, ſaliua, quiete, ſitu intra dentes limitato, ſaepiſſime absque grauiori ſymptomate ſanantur; apex linguae paruae cutis parti adhaerens in faſcia ſacciformi, filo fortiori praedita, incluſa ſanata fuit; cum vero talis ſaccus motum linguae verſus poſteriora haud excludat, et praeterea valde incommoda ſit, eo magis hoc artificio carere poteſt chirurgus, cum debita mandibulae deligatio, et perfecta quies, absque vllo loquelae vel maſticationis tentamine, ſitum linguae, tumidae praeſertim, ſatis contineat; neque ſutura hic commode inſtitui poterit; ſumma tamen aegroti inquietudo, ſuturae neceſſitatem induxerunt. Sub talium vulnerum tractatione, aegrotus nutrimento fluido, ſuctione vel injectione adſumto ſeruandus erit; haud neglecta frequentiori oris cum vino et melle humectatione et ablatione. De haemorrhagia arteriae raninae laeſae ſequela ſub alio titulo agetur.

La-

## Labium leporinum.

MCCLXV. Labium leporinum in vniuerſum *dicitur* ſolutio continui labii cujusdam, plerumque ſuperioris, hujus fiſſuram inducens ex cauſa qualicunque prognata.

MCCLXVI. *Diuiditur*

*a*) in *naturale* ſeu *congenitum*, et
*b*) *accidentale*.

Vtrumque iterum

*a*) vel *ſimplex* eſt vel *duplex*,
*b*) vel *recens* vel *inueteratum*,
*c*) vel *purum* vel *complicatum*.

MCCLXVII. *Complicationes* labii leporini naturalis in infantibus recens natis, ſunt hiatus ad naſi cauum protractus, fiſſura duplex, maxilla protuberans, dens prominens, mandibula anterius fiſſa, palatum diuiſum. — Accidentale vero complicatum reddunt grauior contuſio, dilaceratio, inflammatio, ſubſtantiae deperditio, calloſitas, labiorum maximus hiatus, maxillae laeſio.

MCCLXVIII. *Symptomata* varium hujus morbi gradum concomitantia ſunt ſuctio, manducatio, deglutitio, loquela impedita, continuus ſaliuae effluxus, et foediſſima oris difformitas. Hiatus labiorum fiſſurae in omni labio leporino ſubſtantiae defectum mentiens, eam ſemper reapſe non indi-

indicat, ſed a muſculorum contractione oritur. Quodſi autem vera ſubſtantiae deperditio adſit, vti poſt carcinomatis ablationem, maxime hiant labia et difficilius adducuntur. Mali *prognoſis* ex difficultate labium fiſſum vniendi pendet. Hinc, quaelibet complicatio ſtatum difficiliorem reddit. Oſſis fiſſuram nulla ars conglutinare valet; praegreſſa partium mollium reunione, interdum naturae viribus perficitur.

MCCLXIX. In malo ſiue recente ſiue inueterato *curando* marginem fiſſurae in vulnus recens, cruentum, rectum, ſuperius angulatum mutare, ſatagit chirurgus; in vniuerſum deinde communem vulnerum therapiam, reunionem nempe, ſimpliciſſima methodo praeſtandam, ſubjungens. In omni quidem aetate tenerrimaque infantia labii leporini reunionem perfici poſſe experientia, propria quoque, conſtat multiplici; in infantibus tamen abſtinentia a ſomno praeuia, ad felicem operationis ſucceſſum prodeſt. In maximo labii hiatu vel vbi reuera deperdita eſt ſubſtantia, compreſſio genarum antrorſum facta, operationem antecedens, faſciae vnientis ope obtinenda, egregiam confert ſymbolam, vt muſculi antrorſum propellantur, aegrotusque ferendo vincturae injectae incommodo aſſueſcat. Inciſiones vero genarum lunatae ad facilitandam reunionem laudatae omnino rejiciendae ſunt.

MCCLXX.

MCCLXX. *Situs* erectus ſub operatione maxime conuenit; infans genubus adulti ſedentis, adultus ſellae inſidet, caput aegroti verſus pectus adjuuantis firmatur, qui digitis genas antrorſum premit. Ipſa labii leporini *operatio* conſiſtit

*a*) in debita marginis fiſſurae, in vulnus recens mutandae, ablatione;

*b*) in ſubſequente labiorum vulneris adductione exacta, ac

*c*) eorum denique in contactu ad perfectam cicatricem vsque firmatione.

MCCLXXI. *Ablatio marginis* aut cultro chirurgico, in lamella ſeu charta firma, ſub qua labium tenditur, aut commodius forſice firma manubrio longiori, apice obtuſo ſub vſu gingiuam reſpiciente, ita perficitur, vt tota pars rubra tumida, durior et pauxillum cutis vnica in quouis latere, ſi res concedit, inciſione absque inaequalitate reſtante, auferatur, ambaeque inciſiones in angulum acutum aequalem coëant, quare frenulum aut adhaeſio, ſi infra fiſſuram adhaereat, in anteceſſum incidenda erunt. Sub inciſione angulus marginis reſecandi haud attractus forcipe ſeu digitis firmatur, vt rita inciſio eo ſecurius ſuccedat. Si ad naſi cauum adſcendat fisſura, inciſio hujusque protrahenda erit. Vulneris tunc recentis labia genis antrorſum preſſis ad

ad ſe inuicem adducuntur, et in hoc ſitu, aut ſuturae, aut ſolius faſciationis ope firmantur. Sanguifluxum ex arteria labiorum circumflexa vix vnquam ominoſum, naturae committere, et illa ſedata ad reunionem vulneris progredi, nobis ſemper in vſu fuit. Haemorrhagiae tamen grauitas ſparſim adductionem labiorum vulneris poſcit, vt ſanguifluxus ſedetur.

MCCLXXII. *Sutura circumflexa* in acuum perductione, et fili ſequenti circumuolutione conſiſtit. Acus ſint aureae, vel argenteae vel ferreae auro obductae, verſus apicem planae, ſcindentes, acutae; perfectiores ſunt acus, in extremo mobili cochlea praeditae, quarum apex peracta operatione auferri poſſit. Prior acus ad marginem prolabii, trium circiter linearum de margine vulneris diſtantia per mediam ac poſteriorem labii cruentati partem, intacta tamen cute interna, acutenaculi ope, ita transmittitur, vt orae ſibi aequales fiant. Diducta paullo fiſſura debitam acus traductionem obſeruare licet. Altera acus in media parte inter priorem perductam, et angulum ſuperiorem, eodem modo perducitur. In infantibus nunquam, in adultis rariſſime, ſi ad naſum vsque progrediatur fiſſura, tertia acu opus eſt. Acus flexiles ſeu curuatae nonnullis commendatae, absque vtilitatis ſpecie eſſe videntur. Acubus

bus perductis filum ceratum ſingulae acui, aut, quod nonnulli malunt, vtrique, ad figuram 8 laxe bis circumducitur, vt orae approximatae contineantur; a laxiori fili circumuolutione imperfectus contactus, a ſtrictiori inflammationis et tumoris ſequentis periculum imminet, filum vero tali modo firmatur, vt vrgente neceſſitate facile laxari queat. Interſtitiis acuum emplaſtrum adhaeſiuum adplicatur, aut figurae ſolitae ad mediam partem arctioris, aut largius in corio extenſum vtrique genae impoſitum, quae filis perductis inter acuum interſtitia colligantur; vulnuscula denique cerato ſaturnino obteguntur. Faſcia vniens filis ſe excipientibus praedita (DCCCCLXIII.) quorum interſtitia extrema acuum excipiunt, impoſitis ad genas ſpleniis craſſioribus, ad ſuperficiem internam emplaſtro adhaeſiuo obductis, optime, ſutura circumflexa quoque adhibita inſeruire poteſt. Suturae enim defaſciationem jungere ſecuritas ſuadet. Quatriduo elapſo acus vacillare ſolent, quae tunc caute auferuntur. Haemorrhagia labii cruentationem ſequens, haud abſque neceſſitate coercenda, plerumque aut ſponte aut ſolo vulneris contactu ſiſtitur; in infantibus tamen operatione peracta ſitum capitis erectum aut lateralem, requirit, ne ſanguis a ſuctione in cauum oris effluens, deglutiatur.

MCCLXXIII.

MCCLXXIII. Sutura circumflexa rite adhibita, ſaepiſſime quidem maximo cum ſucceſſu inſtituitur, interdum tamen, filo praecipue arctius adſtricto, ob accedentem tumorem ac inflammationem, ruptura cum mali deterioratione inſequitur. E contrario labii leporini, etiam complicatiſſimi, ac in tenerrima aetate, *reunionem ſine vlla ſutura*, ſola defaſciatione, vel vnico filo, laxe prope labii marginem perducto, tutius obtineri poſſe, propria multiplici experientia compertum eſt. Hoc ſi intendat chirurgus, orae vulneris emplaſtris (MCCXIX.) dictis, ſpleniis genis admotis, ac faſcia vniente filis intermixta (DCCCCLXII.) in ſitu idoneo, ſub attenta aegroti cura, retineantur.

MCCLXXIV. Labii fiſſura duplex, ſiue pars labii media ſecundum naturam formata, ſiue in globi figuram contracta fuerit, ſeparata rite de gingiua, parte media, et ablata interiori parte ob prominentiam difformitatem inductura, vnius hiatus, et, hoc ſanato, alterius denique lateris reunionem, methodo jamjam recenſita peragendam, poſcit. Talis reunio nobis ſemper absque ſutura circumflexa, aut partis intermediae ablatione ſucceſſit. Alii vtriusque lateris reunionem vna tentare malunt. Haud diffitendum tamen, occurrere interdum labia leporina, quae ob

ob plenarium fere labii defectum ſanationem excludunt. Pars maxillae protuberans recidenda eſt, dens prominens, niſi in cauum oris duci poſſit, euellendus. Quamquam autem mandibula fiſſa arte conglutinari nequeat, ſanatis tamen partibus mollibus, ſaepe naturae beneficio hoc ſuccedit. Ars ſaltem hic parum aut nihil facere videtur. Fiſſura palati deglutitionem impediens, illius obturationem ope ſpongiae, lamina e corio ſeu auro confecta arcui palati accomodata, adfixae, requirit. Similes fiſſurae in naſo, auribus, palpebris obuiae, ad eandem methodum expoſitam ſanantur. Vulnera recentia ablationem marginum excludunt; reunio aut mox ſuccedit, antequam acceſſerit phlogoſis, aut ſub ipſa vulneris ſuppuratione haud negligenda erit.

## *Vulnera colli.*

MCCLXXV. V*ulnera colli* inciſa, caeſa, puncta, contuſa, lacerata, aut ſuperficialia integumentorum vniuerſalium, aut profunda, partes muſculoſas, arterias, venas, neruos varios, tracheam, caput laryngis, oeſophagum, vertebras colli, medullam ſpinalem in his incluſam, laedentia, pro diſſolutionis indole ac partium laeſarum dignitate, variant. Medulla ceruicalis, nerui vagi, intercoſtales, diaphragmatici, arteriae carotides, vertebrales laeſae aut transſciſſae, ruptura oeſophagi

aut

aut ejus cum aſpera arteria totalis diuiſio certam inferunt mortem, nec vnus alterue mirabilis caſus regulam excludit.

MCCLXXVI. Vulnera *integumentorum* et *muſculorum* ſubjacentium citam reunionem ad regulas antea expoſitas poſcunt; ſuppurantia, non ſolum foedam cicatricem inducuut, ſed pus quoque pone ſternum deſcendere poteſt; interdum obſtipitas ſuccedit. *Vaſa thyroidea* aliaue arteria laeſa, dilatato ſi opus eſt vulnere, ligaturam requirunt. *Vena jugularis externa* laeſa facili negotio comprimitur; ſanguifluxus e *vena jugulari interna* vulnerata, difficilius ſupprimitur compreſſione, impoſito agarico, ſpleniis, preſſione continua digiti, torculari idoneo, ligatura. Totalis transſciſſio ob ſubitam ſanguinis jacturam ſaepe lethalis eſt.

MCCLXXVII. Vulnera *arteriae aſperae* longitudinalia, transuerſa, partialia, totalia, vel denique cum deperdita ſubſtantia occurrere posſunt. *Caput laryngis* occupantia, ob majorem ſenſilitatem prae ipſa trachea, grauiora ſymptomata ſecum vehunt, quam tracheae vulnera, tuſſi praeſertim conuulſiua comitantur; omnino ſanationem admittunt ſitu ac quiete maxime obtinendam. Vulneribus *partis mediae tracheae* partialibus eodem modo occurritur. Si contactus partium diui-

diuisarum situ idoneo seruari haud potest, ligaturam aut plures poscunt, acu de interiori parte inter cartilagines tracheae extrorsum ducta; tussis tamen continua solutionis ligaturae necessitatem inducere potest. Aphonia praesens sanato vulnere lente recedere solet; Emphysema totius vulneris externi reunionem excludit, vt aeris e cellulosa per vulnus externum via pateat. *Partis inferioris* tracheae vulnera, ob emphysema ad thoracem progrediens, et difficiliorem adductionem labiorum vulneris maxime sunt periculosa, saepe lethalia. *Tota trachea* si diuisa fuerit, extremum inferius descendere solet, ita vt sub exspiratione vix in conspectum veniat, interdum simul lateraliter inclinatur; contactus inde haud nisi plurium suturarum ope, extremo inferiori tenaculi ope attracto, difficillime succedere potest. *Deperdita*, in vulnere sclopetario notabili, *parte tracheae*, ars sola defasciatione, situ, quiete, symptomatum therapia, occurrere potest malo; et hic quoque aegrotos superstites fuisse constat. Vulnera tracheae interdum sequitur fistula, a transitu aëris sustentata, loquelam impediens, nisi comprimatur fistula, difficulter sananda. Fungum ad interiorem partem tracheae suffocationem induxisse compertum est.

MCCLXXVIII. *Vulnera oesophagi* totalia, partialia, cum vel absque tracheae totali diuisione,

cum

cum vel absque partium vicinarum nobiliorum laeſione occurrere poſſunt, vnde talia vulnera nunc abſolute nunc relatiue lethalia euadere posſunt, nunc naturae magis quam artis auxiliis ſanationem admittunt. Artis auxilia includunt ſitum, defaſciationem, quietem, ſymptomatum leuamen, ſuturam tracheae laeſae, quae ad adductionem labiorum vulneris oeſophagi multum facit, ac nutrimentum corporis alimentis pultaceis, gelatinoſis deglutiendis vel fluidis per aliam viam injiciendis. Sutura oeſophagi laeſi, ardua atque diſcriminis plena nobis videtur.

MCCLXXIX. *Therapia vulnerum colli* includit, ſanguifluxus grauioris, ſi res concedit, citam ac debitam ſuppreſſionem (MX.); labiorum vulneris ad ſe inuicem adductionem ac retentionem, ſitu, emplaſtris, faſciis, quiete, et, niſi haec ſufficiant, ſutura (MIV.) obtinendam; inflammationis auerſionem, curationem; corporum alienorum extractionem; deglutitione impedita, aut ſi adſumta per vulnus effluant, corporis nutritionem clysmatibus nutrientibus, injectione per catheterem vel tubum flexilem per naſum in oeſophagum ductum, balneo, injectione per vulnus inſtituta; quietem exactam; regimen attentiſſimum; praeſertim in iis, qui ob vitae taedium, ipſi ſibi vulnus inflixerunt; ac reliqua,

liqua, quae in generali vulnerum pertractatione antea ſunt expoſita. In vulneribus transuerſis colli, capitis inflexio ad latus laeſum ac illius in hoc ſitu ope faſciae ad artem injectae retentio maximam in curatione adferunt ſymbolam, cui ſcopo faſcia T formis rite admota, aut mitra in vtroque latere ſplenii ope ad ſcapulare adfixa commodiſſime inſeruit; haud neglectis ſimul emplaſtris adhaeſiuis longioribus, ac vulneris debita obtectione cum linteolo, digeſtiuo blando illinito, minime vero lintei carpti impoſitione. Inflexio tamen capitis haud major ſit, quam quae ad contactum labiorum vulneris ſufficit, cum a majori inflexione labia introrſum ducunter.

# *VULNERA PECTORIS.*

MCCLXXX. *Vulnera pectoris*

*a*) aut *partes* thoracis *continentes* ſolas laedunt,

*b*) aut *cauum* ſimul attingunt,

*c*) aut *partes contentas* denique afficiunt.

Nonnulla ſimplicia, alia vario modo complicata eſſe poſſunt.

## *Vulnera partium continentium.*

MCCLXXXI. *Partium continentium* pectoris *ſimplicia vulnera* ab iis, quae de vulnere ſimp-

lic

lici (DCCCCXCV.) diximus, nullo respectu abluunt; minime specillo inducto, nec impletione vexanda, solam reunionem desiderant, naturae viribus arte adjutis praestandam. Notandum tamen, omnia pectoris vulnera, ob perpetuum costarum motum, difficilius consolidari. *Complicata* euadunt *partium continentium vulnera* majori contusione, dilaceratione, inflammatione, obliquitate siue punctura; sanguine, pure, aere inter partes collecto; arteria mammaria externa, interna, thoracica, intercostali laesa; corporibus alienis, sterno, costis, siue costarum interstitiis impactis; ossium dissolutione; et denique in cauitatem penetratione.

MCCLXXXII. Vulnera *obliqua puncta* symptomatum accedentium attentissimam obseruationem requirunt; minime vero specillo vel injectione vexanda sunt, vt detegatur, an cauum adeat vulnus, an non. Omnis exploratio, nisi symptomatibus indicitur, absque vtilitatis specie et nociua esse videtur. Impeditum sanguinis vel puris effluxum, vel liquidi inter partes continentes superficialem vel profundiorem accumulationem indicant instrumenti laedentis, si res concedit, cum vulnere comparatio, accedens tumor, dolor, phlogosis, durities, interdum obscura fluctuatio, febris, respiratio, sub hauriendo praesertim

ſertim ſpiritu, laeſa. Talia ſymptomata omnino dilatationem vulneris externi poſcunt, qua facta exploratio cautiſſima, prudens, in eo, quo violentiam paſſus eſt aeger, ſitu inſtituendia erit, vel ſi hunc neſciuerit chirurgus, in ſitu aegroti vel brachiorum vario, ſub inſpiratione et exſpiratione, vt fundus vulneris attingi et exitus humoribus collectis aut inciſione oppoſita, aut compreſſione externa fundi vulneris parari poſſit. Interdum vulnera obliqua puncta praecipue verſus axillam ſe extendentia comitatur emphyſema, haud vero late extenſum, vti in vulneribus cauum pleurae attingentibus, cui ad methodum mox dicendam occurritur.

MCCLXXXIII. *Contuſiones* thoracis ſaepe ſequuntur anxietas, ſpirandi ſumma difficultas, pulmonum, pleurae inflammatio, ſputum cruentum, effuſiones ſanguinis inter partes continentes, animi deliquium, fracturae, luxationes, aneurysmata, indurationes mammarum, quibus ſymptomatibus contuſionum thoracis ſequelis maxime occurritur methodo antiphlogiſtica cito ac ſtrenue adhibita et reliqua therapia contuſionum (MXCI.) expoſita. Effuſiones ſanguineae ſuperficiales, profundae inter pleuram et coſtas, ſparſim in majori ambitu receſſum pleurae inducentes, ſignis propriis dignoſcendae citam inciſionem liquidique eductionem

pos

poſcunt. De fracturis, luxationibus aliisque contuſionum thoracis ſequelis alio loco agetur.

MCCLXXXIV. *Laeſio arteriae intercoſtalis*, vulnere in cauum pectoris haud penetrante, noſcitur ex hujus directione et effluxu ſanguinis arterioſi, haud veſiculati ſub inſpiratione et exſpiratione, eo majori quidem, quo propior laeſio eſt ortui arteriae: ſi indirectum fuerit vulnus, ex ſignis effuſionis ſanguinis arterioſi (MXXXVIII.) expoſitis. Quodſi in cauum pectoris peruenerit inſtrumentum vulnerans, aut ſanguis externe non effluat, ex ſignis haemorrhagiae internae (MXIII.) et effuſionis in cauum pectoris, *cognoſcitur.* Praeterea lamellam ſiue chartam per vulnus externum in cauum pectoris inductam rem declarare legitur, ſauguine nempe ſupra illam, ſi ex intercoſtali arteria, infra eandem vero, ſi e cauo thoracis prouenerit, effluente. Poſteriore hujus arteriae parte diuiſa, vix obtineri poſſe *ſanatio* videtur. In vlteriore progreſſu vero, vulnere rite dilatato coerceri poterit ſanguifluxus, vel *ligatura*, vel *ſimplici compreſſione. Ligaturam* quod attinet, variae acus hunc ad ſcopum propoſitae ſuut, quarum ope inciſione ſupra coſtam facta filum circa illam perduci et arteria vna cum coſta ligari poterit. Aſt periculi atque incommodi plenā videtur haecce medendi ratio. Vulnere

nere tantum dilatato, vt arteria laesa in conspectum veniat illa, hamulo seu tenaculo arrepta circumduct filo cum successu ligata fuit; quae medendi ratio, si admittatur, omnibus aliis merito praeferenda erit.

MCCLXXXV. Pro simplici *compressione* arteriae intercostalis laesae varia quoque proposita sunt artificia. Lamina ferrea firma in vnci figuram curuata, cui fungi quercini frustum adfixum est, arteria laesa ad costam comprimi poterit; neque hoc instrumento liber sanguinis et puris e vulnere effluxus occluditur. Fracta vero simul costa, talis vncus cum successu adhiberi haud poterit. Vbi ex grauiore haemorrhagia suspicio nascitur, ex parte tantum incisam esse hanc arteriam, totali ejus ope cultelli abscissione, extremi posterioris abscissi in sulcum infracostalem ope spatulae minoris retropressione, et succedente denique compressione, turunda e linteo carpto, seu agarico, filo adfixa, malo occurrendum est. Ipsi compressione indicis ad arteriam laesam diu continuata sanguifluxum sedauimus. Cum sanguis ex arteria intercostali laesa, in vulneribus cauum adeuntibus, saepe interiora petat, haemorrhagia difficilius dijudicatur. Proposita in hoc casu est, arteriae, pollicis de priori vulnere distantia incisio absque pleurae laesione, quo facto hae-

haemorrhagia ligaturae ope facilius ſupprimendam eſſe credunt. Neque conſtricto ſeu ligato extremo poſteriori arteriae laeſae omne haemorrhagiae periculum abeſt, cum per alterum extremum, ob anaſtomoſin cum arteria mammaria interna, cruor quoque tranſire poſſit.

MCCLXXXVI. *Arteriae mammariae* externae, vt et thoracicae laeſioni communi arteriarum vulneratarum therapia occurritur. *Internae* autem *mammariae laeſio*, ob difficiliorem acceſſum eſt periculoſiſſima; quodſi vulnere dilatato minora cartilaginum interualla compreſſionem vel ligaturam excludant, vrgente neceſſitate cartilago auferenda eſt, quo facto alterutrum remedii genus, in binis, quos inferior hujus arteriae anaſtomoſis indicat, locis inſtitui poterit.

MCCLXXXVII. *Corpora* denique *aliena* coſtis, ſterno, vel coſtarum interſtitiis impacta, extractionem deſiderant, prouidiſſimam tamen, ne in cauum pectoris protrudantur. De oſſis cujusdam fractura ſuo loco dicetur.

## *Vulnera in thoracis cauum penetrantia.*

MCCLXXXVIII. Judicium juſtum vulnerum in thoracis cauum penetrantium, ſymptomatum quae tales laeſiones comitari poſſunt, ac denique therapiae adhibendae vt eo accuratius ferri poſſit, ſequentia veniunt notanda

*a*) In

*a*) In ſtatu ſano vbique et ſemper contactus pulmonum cum pleura in omni puncto, ſub in et exſpiratione adeſt. In viuis animalibus et cadaueribus, ſi inciſis partibus mollibus et muſculis intercoſtalibus caute absque pleurae laeſione ablatis, pulmones per tenuem pleurum in contactu apparent. Patet inde vulnera per pleuram penetrantia raro absque pulmonum aliquali laeſione adeſſe.

*b*) Pleura punctura ſ. inciſione licet parua aperta, niſi obſtet cohaeſio aliqualis praeternaturalis pleurae cum pulmone, intrat aër athmoſpaericus in ſaccum pleurae ad proportionem ambitus vulneris majori, minori quantitate, mox ſubſidet pulmo adfecti lateris verſus mediaſtinum et locum nexus cum vaſis majoribus.

*c*) Si *vulnus* partium mollium atque pleurae *directum* fuerit, *aër* in ſaccum pleurae *ſub inſpiratione*, dilatato nempe thorace, *ingreditur pleuram* et ſub *exſpiratione* cum ſybillo aliquali *exit*, quod nouioribus experimentis certe conſtat; ſi indirectum obliquum fuerit vulnus Emphyſema ſequi ſolet.

*d*) Im-

*d*) Immediatus contactus aeris athmoſpaerici cum pulmonis ſuperficie hanc comprimit, motum pulmonalem infringit ac debiliorem reddit, dum interea alterius lateris pulmo reſpirationis negotium continuat; fiſtulae thoracicae, empyematis ſequelae exemplo, quae per ſeriem annorum impune ſuſtineri poteſt.

*e*) Longe deterioris conditionis ſunt laeſiones vtriusque ſacci pleurae, quae omnino reſpirationis negotium magis turbant, aut plane ſupprimunt, ſi tanta aëris copia per majores aperturas in vtramque cavitatem pleurae intrat, vt motus pulmonum ad ſuſtinendum vitam neceſſarius inde ceſſet.

*f*) Pulmo aërem athmoſpaericum in cauo pleurae ſparſim per vulnus renouatum absque notabili ſanitatis detrimento melius ferre videtur, quam ſi majori quantitate incluſus aër, a mora, calore et admixtis heterogeneis corruptus fuerit.

MCCXC. *Vulnera pectoris in* thoracis *cauum penetrantia* majora cognoſci poſſunt ex comparatione inſtrumenti laedentis cum vulnere, rariſſima exploratione cautiſſima, ſpecillo laeui obtuſo famulante, in eo, quo aegrotus plagam acceperat, ſitu,

ſitu, et ſi hunc ignouerit chirurgus ſub ſitu vario modo mutato et ſub vario inſpirationis et exſpirationis gradu, attamen haud niſi vrgentibus ſymptomatibus inſtituenda; quibus majorem certitudinem addit, aër ex vulnere alternatim nunc cum ſibilo elabens, nunc in idem irrumpens; ſi minimum fuerit vulnus, flammam candelae admotae movens; ſymptomatumque laeſionem partium internarum aut ſanguinis in dictum cauum effuſionem indicantium, praeſentia. Vulnus obliquum, punctum, penetrans, paruum, jam inflammatum, coagulo ſanguinis repletum, fibris muſcularibus ad longitudinem diductis, ſi magna adipis copia in celluloſa adfuerit, ſi per mammas muliebres per ſcapulam aut levato brachio ad marginem ſcapulae vel per cartilaginem coſtae tranſiverit, vulnus nec aërem transmittit, nec ſpecillum perduci poterit, ſub quo rerum ſtatu emphyſema late extenſum ſimul adeſſe ſolet. Tale quidem vulnus, ſi ſimplex fuerit, ea, quae vulneribus in vniuerſum competit, ratione curandum eſt, reunione nempe: in hoc tamen caſu emplaſtri agglutinantis in corio extenſi ope, quod mox poſt aëris egreſſum e cauo pleurae adplicatur, praeſtanda. In vniuerſum aërem in cauo pleurae effuſum emplaſtro impoſito includere haud ſemper conuenit, cum ſymptomata inde grauia inducantur. Minime vero ſpecilli vel turundae immiſſione, vel

vel injectione liquidi, penetrans, ſimplex vexetur vulnus. Parum enim intereſt, an vulnus penetret, an non in cauum tranſeat, niſi ſymptomata complicationem declarent. *Complicata* autem reddi poſſunt *vulnera cauum pleurae adeuntia,*

*a*) *vtroque ſacco pleurae aperto;*

*b*) *emphyſemate;*

*c*) *parte pulmonis prolapſa;*

*d*) *contentis*, pulmonibus nimirum, corde, vaſis majoribus, oeſophago, ductu thoracico, trachea, *laeſis;*

*e*) *liquido* vario in cauum pleurae, pericardium, mediaſtina *effuſo;*

*f*) *vulnere* denique *per diaphragma in abdomen penetrante.*

MCCXCI. Et primo quidem *vtroque pleurae ſacco* vsque adeo *laeſo*, vt aër, relicta glottidis rima, facilius vulnera ſubeat, ob ſuffocatam pulmonum dilatationem periculoſiſſimam laeſionem eſſe, et cito lethalem fieri poſſe, prono fluit impetu. Obſeruata tamen haud dubia exſtant, aegrotos, vtroque ſacco pleurae quamuis haud exiguo vulnere aperto, ſuperſtites fuiſſe.

MCCXCII. Ille ſtatus morboſus, ſub quo aër in telam celluloſam effunditur, *vocatur emphyſema.* Quadruplici autem modo has vias petere poteſt aër,

*a*) pul-

*a*) pulmone aut vulnere, aut fracta costa, aut contusione laeso, aut trachea vel bronchiis apertis;

*b*) si cauum pleurae vulnere absque pulmonum laesione apertum fuerit, ita vt aëri externo aditus in saccum pleurae et cellulosam pateat;

*c*) in omnibus vulneribus obliquis punctis, contusis, vbi aër admitti vel includi potest;

*d*) euolutione denique aëris e massa humorum.

Vnde non thoraci proprium, sed aliis quoque partibus, aditum in dictum textum aëri praebentibus, commune est malum, in variis morbis chronicis, vlceribus sinuosis non inflammatis; aëre externo incaute incluso; gangraena imminente, et aliis morbis; febri putrida; scorbuto; variolis malignis, cet. haud infrequens, quin imo turpis lucri causa arte nonnumquam in homine interdum non secus ac brutis inductum. *Cognoscitur* autem tumore pallido, frigido, extenso, qui pressus stridorem singularem facit, foueasque sistit, mox tamen euanescentes. Leue emphysema viribus naturae vt plurimum satis facile resolui, cessante nempe causa, experientia docet. Tales sanationes virium vitalium ope succedentes, ab-

sorb-

ſorbtione aëris fieri, forſan decompoſiti et elaſticitate orbati haud abſonum videtur; hac vero permanente, totum corporis habitum occupare inque ſtupendam molem increſcere, et ſubtiliſſimas cellulas, ne ipſo quidem humore vitreo excepto, adire poteſt. In rheumatismo chronico emphyſema profuiſſe legimus; inde, quae in equorum rheumatismo inſtituti ſolet, aëris inflatio in celluloſam membri adfecti, in hominibus quoque propoſita fuit. *Therapiam* quod attinet, emphyſemati natales ex thoracis vulnere trahenti, de loco adfecto incipienti, ſtatim, priusquam vires eundo acquiſiuerit, vulneris dilatatione, vel ſi nullum adfuerit, ſufficiente in loco adfecto inciſione, vt aëre exitus pateat, ſubjuncta illius verſus vulnus preſſione, et externa diſcutientium, roborantium, adſtringentium adplicatione, frictione adjuta occurrendum eſt. Majoris ambitus emphyſema a cauſa externa obortum, praeter generalem loci adfecti therapiam, plures inciſiones ad aërem educendum deſiderat. Maximum denique abſtruſas praeprimis celluloſae telae ambages infeſtans, vel a labe humorum inductum, totius ejus textus corruptionem certamque mortem adfert.

MCCXCIII. Pars *pulmonis prolapſa*, raro certe obuia, dilatato vulnere citiſſime reponenda eſt. Quodſi vero jam a ſtrangulatione fuerit corrupta, li-

ligatura aut cultro candente auferri poſſe legimus. Tutius tamen videtur, adhibitis cautelis generalibus ſpontaneam corrupti ſeparationem expectare, vel, maxima reſpirationis difficultate vrgente, portionem corruptam cultro recidere, et haemorrhagia ſedata partem in cauum iterum reponere.

## *Vulnera partium pectoris contentarum.*

MCCXCIV. Ipſum *pulmonem vulneratum* eſſe *cognoſcitur* ex directione vulneris ejusque cum inſtrumento laedente comparatione, dolore fixo profundo, reſpiratione, maxime inſpiratione, laeſa, tuſſi, ſanguine veſiculato purpureo per os ejecto, mox ab inflicto vulnere accedente. Serius accedens ſanguinis ſputum vulnus haud ſemper indicat, ſed a pulmone inflammato, commoto induci poteſt. Si pleura pulmoni adhaereat, dictus ſanguis veſiculatus e vulnere effluet; ſaepe quoque emphyſemate majore atque ſapore remediorum externe adplicatorum accedente. Si pleurae haud accretus fuerit pulmo laeſus, ſymptomata ſanguinis in ſaccum pleurae effuſionis morbum declarabunt. Superficiale exiguum pulmonum vulnus methodo antiphlogiſtica cautiſſime tractatum, naturae viribus ſanari poteſt. Hanc ſanationem faciliorem reddunt pulmonis minor motus, ejus volumen ab aëre in pleura contento minutum, defectus actionis diaphragmatis in pulmonem

monem laeſum, et circulus inflammatorius vulnus pulmonale circumdans, vnde haud raro aëris atque ſanguinis exitus e vulnere in ſaccum pleurae polpeditur. Magnae autem et profundae plagae, interiorem maxime et ſupremam pulmonis partem diſſoluentes, aut ob grauiſſimam haemorrhagiam cito, aut ob inſequentem inflammationem et ſuppurationem lentius lethales habentur.

MCCXCV. Therapia vulnerum pectoris in vniuerſum, pulmonum in ſpecie, omnibus viribus occurrit inflammationi et obſtat ſuppurationi, vnde periculum haemorrhagiae ſimul minuitur. Omnibus aliis remediis hic palmam praeripiunt ſanguinis miſſiones, ſaepiſſime pro re nata repetitae, quas euacuationes pulmones inflammati prae omnibus aliis partibus optime ferre videntur, et fomenta frigida thoraci frequentiſſime admota, potusque frigidus; haud neglecta quiete, et regimine in therapia haemorrhagiae internae (MXVIII.) expoſita. Tuſſis niſi his remediis cedat, expurgatis primis viis opium poſcit: Sparſim mox vulnere inflicto accedunt ſymptomata neruoſa, respiratio difficilis, pulſus parvus vix ſentiendus, extremorum frigus, ſyncope, quae opium poscunt et ſanguinis miſſiones, ad horum ſymptomatum ceſſationem differre cogunt.

MCCXCVI.

MCCXCVI. Recens vulnerato, rarius inflammato et ſuppurato pulmone, aër interdum in propriam illius celluloſam tunicam vaſa nectentem ſeſe diffundit *emphyſema pulmonale* conſtituens, vix vlla arte medicabile, verum ſub ingenti anxietate et ſpirandi difficultate, haud tardam mortem adducens.

MCCXCVII. Vulnera pectoris *cor* ipſum ejusque *auriculas*, *vaſa majora*, *medullam ſpinalem* attingentia citam plerumque mortem inducunt; nonnulli per plures dies ſuperſtites fuerunt. *Oeſophagi*, qui a vomitu violento rumpi quoque poteſt, aut *ductus thoracici* laeſio, vix absque nobiliorum partium vulnere inſtigenda, effuſionem in mediaſtino poſteriori creat et ſerius ac ineuitabiliter experientia teſte necare ſolet. Vulnerato pericardio cordeque in ſuperficie tantum laeſo, ſuperſtites fuiſſe nonnullos legimus, vnde liquet, in effuſione ſanguinis, vel aqua in pericardio haud dubie declarata, hujus ſacci inciſionem ſeu puncturam, dummodo cauta manu regatur ferrum, omnino inſtitui poſſe.

## *Liquida in thoracis cauis effuſa.*

MCCXCVIII. Multiplex datur *effuſio liquidi in thoracis caueas* ex violentia externa naſcens; ſanguis enim, aër, chylus, alimenta, cito; ſe-

ſerius pus, lympha vel ſerum in vno vel vtroque ſacco pleurae, pericardio, mediaſtino anteriori, poſteriori, colligi poteſt.

MCCXCIX. Communes *fluidi in ſaccum pleurae effuſi notae* minus fallaces habentur; cauſa praegreſſa cognita, reſpiratio, maxime ſub ſpiritus emiſſione, difficilis, anheloſa, ſuſpirioſa, ſomnienti ſubitaneum ſuffocationis imminentis metum creans, capite pectoreque antrorſum inclinato aliquantum leuanda, anxietas ſumma, tusſicula cum ſputis tenuibus ſubuiſcidis, decubitus in latere vulnerato difficulter ferendus, in oppoſito intolerabilis, in dorſo leuato pectore commodior, ſenſus ponderis moto corpore mobilis; coſtarum a ſe inuicem major diſtantia, minor mobilitas, ſonus percuſſo pectore ſuffocatus, pulſus depreſſus, vrina pauca, faciei pallor, palpebrarum inferiorum oedema, manus, pedis, lateris ipſius, in quo laeſio adeſt, inflatio oedematodes; genae hujus rubor; quae ad effuſionis gradum ac indolem aut cito aut lentius inducuntur. Specialis effuſi diagnoſis e cauſſa praegreſſa et ſymptomatum acceſſione eruitur.

MCCC. *Sanguis in cauum pleurae effundi* poteſt

*a*) a vulnere partium continentium inſtrumento laedente inducto;

*b*) a pulmonis, ſpiculis coſtae fractae, laeſione;

*c*) ab eroſione purulenta pulmonis, abſceſſu, vlcere;

*d*) a ruptura vaſorum, aneurysmate, tuſſi vel alio niſu violento inducto

*e*) aut arteria intercoſtali vel alia thoracica interiori laeſa, ſanguine in pleurae cauum effuſo.

Talis ſanguinis effuſio vel, quod ſaepiſſime accidit, preſſo pede ſequitur vulnerationem, vel, ſoluto a qualicunque cauſſa coagulo, vas laeſum occludente, poſt plures dies iterum inſurgit; majori aut minori quantitate cito aut lentius exoritur; in vno, vel vtroque latere adeſſe poteſt; a concretione pulmonis cum pleura limitari vel denique illimitata ſub diaphragmate extendi poteſt. Si notabilis effuſi quantitas adeſt, continuante ſanguifluxu, ſigna haemorrhagiae internae (MCCII.) expoſitae, haud cum effectu terroris confundenda, ſimul adſunt, vnde imminens periculum dijudicatur. Tertio plerumque die poſt laeſionem, haud ſemper tamen, ad coſtas ſpurias lateris adfecti ecchymoſis coerulei coloris ſeſe manifeſtare ſolet, ſanguini per pleuram transſudanti forte tribuenda, non confundenda cum Ecchymoſi contuſionis ſequela, quae citius inſurgit et tumore profunde rubro juncta eſt. Minorem effuſionem ſanguinis na-

naturae viribus reſorberi poſſe conſtat; major, aucto ſuffocationis periculo, vel putrescente ſanguine effuſo ejus eductionem poſcit, aut per ipſum vulnus commode ſitum, vel quod in vniuerſum praeferri meretur paracenteſi thoracis. Sanguinis in ſacco pleurae effuſi ſiphonis ope attractio et eductio paruam vtilitatis ſpeciem habere videtur, cum ſanguis fluidus ſitu in latere laeſo commode educatur, coagulatus vero injectione ac dilutione melius quam ſiphone emittatur. Subſiſtente haemorrhagiae periculo coagulum vix tuto aufertur.

MCCCI. Effuſionem *puris* in ſaccum pleurae, ſymptomata inflammationis, vomicae aut vlcerationis praecedunt. Accumulatio autem *aquoſa* poſt violentiam externam rarius obſeruatur, frigidorum viſcerum infarctuum haud infrequens ſequela. Poſteriores duas effuſionis ſpecies oedema externum ſaepe comitari ſolet. Specialiora ſub empyematis pertractatione (DCCLXIX.) jam allata ſunt, et in hydrothoracis hiſtoria patebunt.

MCCCII. A variis cauſſis expoſitis (MCCXXXV.) *aër* in vnum alterumue ſaccum pleurae, vel cum vel absque emphyſemate externo, effundi poteſt; ſaepiſſime hoc, pulmone a fracta coſta laeſo, accidit. Quem ſtatum declarant cauſſa praegreſſa, communia effuſi in hoc loco ſigna (MCCXCIX.), absque ſymptomatum ſub certo ſitu aggrauatione

vel leuamine, costarum aequabili extensione et sonitu pectoris percussi notabiliore, accedente paucis interdum post laesionem horis periculo suffocationis, et, nisi citum adferatur auxilium, morte sequente.

MCCCIII. Aër si a laesione in cauum pleurae effusus fuerit *cura* medentis omnino in eo versatur vt *aërem* e pleura quantum fieri potest *educat* vel saltem *minuat*, et *accessum impediat*, ad quem scopum varia tentata sunt remedia.

*a*) Impositio *emplastri adhaesiui* corio illiniti quo aëris in cauum pleurae accessus impediatur:

*b*) *fortior aegroti inspiratio* qua aer in pleura contentus per vulnus externum propellatur ac denique

*c*) *inflatio artificialis aëris* in pulmones vt e vulnere a dilatuto pulmone expelli queat.

MCCCIV. Quoad *vsum emplastri* adhaesiui notandum, hunc in omni *vulnere penetrante simplici*, accessum aëris in pleuram admittente, haud grauioribus symptomatibus juncto *adhibendum esse*. Imponitur mox, elapso e thoracis cauo aëre, emplastrum vulneri, quod simplici apparatu contentiuo sustinetur et, nisi symptomata grauiora, respiratio praecipue difficilis effusionem aëris s. cruoris, renouationem emplastri poscant, intactum relinquendum

dum eſt ad hujus ſpontaneam ſolutionem. Simpliciſſima hac methodo vulnera penetrantia ad primam vt dicunt indicationem ſanata fuiſſe pluries vidimus. Quodſi vero pulmo laeſus et cruor vel aër in pleura majori quantitate effuſus fuerit omnino hujus eductio frequens per vulnus, vrgentibus ſymptomatibus adhibenda erit.

MCCCV. Aëris in pleura effuſi eductionem, ſperant nonnulli, ſuccedere poſſe a *lenta ac profunda repetita aegroti inſpiratione*, vt pulmonis auctum volumen aërem per patulum vulnus expellat, quo facto vulnus mox aut emplaſtro, aut cutis labiis preſſione vnitis, occluditur, ne aër iterum in cauum pleurae irruat, quod negotium alternum ad aeris in pleura contenti notabilem diminutionem continuandum erit. Haud diffitendum tamen vulneribus thoracis penetrantibus ſaepiſſime jungi diſpnoeam, pulmonis aliqualem inflammationem vel vulnus, haemoptyſin, tuſſim, debilitatem aliaque adeſſe poſſe, quae fortem inſpirationem aut vetant aut nociuam reddere poſſunt.

MCCCVI. Denique propoſita fuit *pulmonum inflatio artificialis* per aſperam arteriam et laryngem qua aër in pleura contentus per vulnus expelli poſſit. Notandum tamen, talem inflationem praecipue in pulmonem ſani lateris agere, adfecti lateris pulmonem e contra ab aeris in pleura

con-

contenti preſſione in minus ſpatium redactum et muſculorum reſpirationis actione deſtitum vix tantum a qualicunque idonea inflatione extendi poſſe vt totum pleurae cauum impleat, nec novus aer iterum per vulnus irruat; vetant praeterea hoc tentamen laeſio aliqualis pulmonis, et ſi aeger ſemper ſub hoc rerum ſtatu diſpnoea laborans fortiorem inflationem abſque vitae periculo ſuſtinere nequit. Nouiſſime propoſitam fuiſſe legimus impoſitionem valualae mobilis ad orificium vulneris externum ope emplaſtri adhaeſiui firmatae, quae exitum aeris e vulnere admittat, introitum vero ejus in pleuram clauſa valuula impediat. An hocce artificio ſcopus attingi poſſit experientia docebit.

MCCCVII. Obſeruata in hominibus inſtituta et experimenta in animalibus facta monſtrant contactum aëris cum pulmonis ſuperficie haud adeo extimeſcendam eſſe, vix inflammationem grauem inducere et ſola forſan compreſſione aliquali motum pulmonalem infringente nocere poſſe; ſuperfluum inde, ſparſim nociuum eſſe videtur anxium tentamen vt aër in pleura effuſus educatur, quod in vniuerſum raro ex votis ſuccedit.

MCCCVIII. Cujuslibet vero effuſionis in ſacco pleurae, naturae viribus haud reſorbendae, grauioribus ſymptomatibus ſtipatae *curatio* chirurgica

accu-

accumulati liquidi eductionem haud differendam poſcit. Quae niſi idoneo corporis ſitu aut vulneris dilatatione conuenienti peragi poſſit, *paracenteſin thoracis* requirit. *Locus* pro inſtituenda hac operatione ad inferiorem thoracis partem, inter ſecundam et tertiam coſtam ſpuriam commendari ſolet; ſi ſiniſtrum, inter tertiam vero et quartam, ſi dextrum latus perforandum eſt, coſtis ab inſima numeratis, medio circiter inter coſtarum extrema loco. Majori tamen cum ſecuritate altius inter primam et ſecundam coſtam veram inſtituitur inciſio, cum ſitus horizontalis aegroti in lecto, effluxui liquidi effuſi e vulnere faueat, et periculum laeſionis diaphragmatis altius adhaerentis vel adpreſſi auertatur, vel hujus irritatio minuatur. *Situs aegroti* ſub operatione ſit, aut ad marginem lecti, aut ſellae inſideat. Integumentis vniuerſalibus et muſculo latiſſimo dorſi *inciſione* longitudinali ſat ampla *diuiſis*, ipſae carnes intercoſtales, ſcalpello, margine ſcindenti conuexo, ſectione transuerſali ad inferiorem coſtam proxime accedente, ne arteria intercoſtalis laedatur, paruis ac iteratis inciſionibus, ſub aegroti inflexione ad latus oppoſitum, caute transſcinduntur. Denudata pleura, ſub inſpiratione aegroti et hujus ad latus adfectum inclinatione, ſub qua ſparſim fluctuationem deſtinctiorem ſentire licet, tunc aut apice cultri, aut lanceola, parua in-

incifione fub exfpiratione aegroti aperitur, quod vulnus prorumpente liquido, aërique in cauum pleurae irruente, ope cultri curuati apice nodato, ad dimidiam circiter pollicis longitudinem, ampliatur. Quodfi pulmonis accretio in eo loco occurreret, fpecilli digitiue leni motu haud folvenda, aut altius, aut profundius, aut ad anteriora magis inftituenda foret alia incifio. Ad longitudinem trium pollicum incifionem cum fucceffu dilatatam fuiffe compertum eft. Acus triquetra ad educendum liquidum nonnullis commendata, ob periculum concretionis pulmonis cum pleura haud praevidendae, minus fecure adhibetur. Alius fectionis modus, qua cute in anteceffum furfum tracta, integumenta, carnes intercoftales et pleura incifione transuerfa transfcinduntur, vt laxata cute vulnus mox obtegi queat, in fanguinis et puris effufione ob rationes obuias minus congrua videtur. Sequente fub *liquidi eductione* fyncope mox vulneris compreffione coercendus erit effluxus liquoris, poft plures horas vel dies fenfim deinde extrahendi. Si vero tenacitas fluidi, dilatato quamuis ad pollicis longitudinem vulnere, effluxum prohibeat, cautiffima leni injectione diluendum eft. Infpiratio autem fortis, tuffiendi conatus fanguinisque fiphonis, aut vafculi e refina elaftica confecti tubo praediti, aut ad obfoletam methodum oris ope attractio, in

priori

priori ſaltem morbi ſtadio, ob vulneris in vaſe laeſo dilatationem coagulique ablationem haud immerito ſuſpecta habentur. Neque injectiones diluentes ſine adcuratiſſima cautela adminiſtrentur.

MCCCIX. Omnia ceteroquin vulnera pectoris, cito et leniter immiſſo inter labia vulneris et coſtas linteolo, *deliget* chirurgus; a turundarum aliorumque corporum in cauum immiſſione caſte abſtineat; aërem a vulnere, quantum fieri poteſt, arceat, vel ſaltem deligationis tempore igne adpoſito attenuet; vulnus, elapſo e thoracis cauo aëre, obtegat; linteo vulnus obtegenti, linteum carptum, et huic emplaſtrum adhaeſiuum corio illinitum ſuperimponat; minime thoracem faſciis conſtringat, ſed apparatum ſimplici faſcia contentiua ſuſtineat. Reliqua tractatio generalem vulnerum therapiam expoſitam ſequitur. Nonnulli aëris in ſaccum pleurae liberum acceſſum innocuum credunt, neque tamen ſemper conſentiente experientia, cum inde non ſolum extenſio libera pulmonum impediatur, et actio diaphragmatis in pulmonem laeſi lateris ſupprimatur ſed quoque, vti in aliis partibus contactui aëris haud adſuetis fieri ſolet, pleurae et pulmonum inflammatio induci poſſit. Haud diffitendum tamen pulmonem lateris adfecti, contactui aëris athmoſpaerici saepius renouati ſenſim adſueſcere, ita vt per ſeriem an-

annorum absque notabili ſanitatis detrimento ferri poſſit. Saepe vulnera pectoris ſequuntur fiſtulae difficulter ſanandae, quae haud raro absque notabili ſanitatis detrimento, per longam annorum ſeriem remanent, ſub debita cura, vt liber humorum exitus ſuſtineatur. In vniuerſum quidem docetur, laeſo ſacco pleurae aërem per vulnus largum externum ſub exſpiratione thoracem adire, ſub inſpiratione egredi, haud tamen conſentiente experientia. Laeſa pleura, comprimitur ab aëre irruente pulmo, vnde hujus extenſio ſub inſpiratione adeo infringitur, vt, haud ſemper ſaltem, aërem in ſacco pleurae contentum, per vulnus expellere valeat. Quieſcit potius adfecti lateris pulmo vel parum mouetur, dum interea oppoſiti lateris pulmo reſpirationis negotium continuat. Aër vero leuatis coſtis et dilatato muſculorum reſpirationis ope thorace, ſub inſpiratione in cauum pleurae per vulnus externum irruit; ſub exſpiratione educitur; quod experimenta in animalibus inſtituta certe docent. Egreſſus aëris e vulnere, haud inſpiratio, inde momentum indicare videtur, ſub quo vulnus emplaſtro adhaeſiuo corio illinito obtegi debet, vt aër externus arceatur.

MCCCX. Sanguine in *pericardii cauum effuſo* aegrotus vix paracenteſi ſeruari poterit. Majorem ſuc-

ſucceſſum promittit haec operatio in hujus ſacci hydrope; ad cujus pertractationem encheireſis deſcriptionem differimus. Sanguinis vel puris in *mediaſtino anteriori* collecti eductio minus tuto inciſione in cartilaginum interſtitio facta, tutius terebra ſterno admota euacuari, antea (DCCXLII.) monuimus. Sanguinis, chyli, alimentorum in mediaſtino poſteriori effuſio ob impoſſibilem medentis acceſſum artis limites effugit, et lethalis merito habetur.

MCCCXI. *Diaphragmatis vulnus*, vix absque nobiliorum partium laeſione infligendum, ſemper periculoſum eſt; parte tendinea vulnerata, extemplo dolor naſcitur vehementiſſimus, reſpirationis ſumma difficultas, anxietas intolerabilis, ſpasmus aut conuulſio in mortem breui terminantes; cui ſtatui non niſi methodo antiphlogiſtica generali occurri poteſt. Majora ejusdem ſepti vulnera, partium in abdomine contentarum immedicabili adſcenſui in pectoris cauum anſam dare poſſunt.

---

VUL-

# VULNERA ABDOMINIS.

MCCCXII. *Vulnera imi ventris*

*a*) aut partes *continentes* ſolas,

*b*) aut *contentas* ſimul laedunt.

Vtrumuis genus vti alia vulnera, inſtrumento ſcindente, pungente, contundente, parti ſuperiori, mediae, inferiori, laterali, poſteriori abdominis infligi, variamque directionem et magnitudinem habere poſſunt. Vel ſimplicia ſunt, nullo nempe niſi neceſſario ſymptomate ſtipata, vel diuerſimode complicata.

## Vulnera partium abdominis continentium.

MCCCXIII. *Vulnera partium imi ventris continentium ſimplicia* ad generalem vulnerum ſimplicium rationem (DCCCCXCVIII.) expoſitam ſunt tractanda, vtpote nil niſi reunionem, ſitu et defaſciatione ſub quiete et debito regimine praeſtandam, deſiderantia, caute tamen cauendo, ne liber abdominis ſub reſpiratione motus, faſciis nimis adſtrictis impediatur. *Complicata* autem haec vulnera fiunt

*a*) *contuſione*,

*b*) *dilaceratione*,

*c*) *punctura* obliqua, partium praecipue, aponeuroticarum,

*d*) *hae-*

*d*) *haemorrhagia*,

*e*) *humorum* in mufculorum interftitia, *effufione*, ac denique,

*f*) *in cauum* peritonaei *penetratione*.

MCCCXIV. Vulnera harum partium *contufa* ex cauffa praegreffa et fignis contufionum generalibus (MLXXXIX.) cognofcenda, grauia interdum fymptomata, inflammationem nempe et commotionem haud raro ad partes contentas extenfam, dolorem grauem, febrem acutam, rupturam et diffolutionem variam, tenfionem totius ventris, fubfequentem partium contufarum fuppurationem, functionem vifcerum laefam, inducunt, ad horum morborum genium, maxime ad methodum antiphlogifticam, tractanda. *Dilacerata* autem vulnera cum deperdita inprimis fubftantia, aut magnam ventris partem occupantia, aut copiofam fuppurationem creantia, praeterea ob imminutum partium contentarum fulcrum herniis ventralibus viam fternunt; nifi prudenti compreffione malum auertatur. *Puncta* denique obliqua lineae potiffimum albae, vaginae mufculi recti, aliive aponeurofi illata, grauiffimas inflammationes, cum dolore acuto, vomitu, fingultu, fymptomatibus neruofis adferre folent, tempeftiua atque prudenti vulneris dilatatione, auxiliisque antiphlogifticis auertenda.

MCCCXV.

MCCCXV. Ea quae de vulneribus pectoris (MCCXXVII.) monuimus, hic quoque valent. Vulnera abdominis, in quibus inflammatio aut imminet aut adeſt, fomenta frigida tempeſtiue adhibita, poſcunt, omnino tepidis praeferenda. Neque hic vulnus ſpecillo aut injectione vexandum erit. Exploratio vulneris abdominalis iisdem premitur difficultatibus et noxis, quam vulneris pectoris exploratio. Parum chirurgo intereſt, vt directionem aut penetrationem vulneris ſciat, niſi ſymptomata accedant. Tumor, dolor, inflammatio, fluctuatio, febris, aut a tenſione partium aponeuroticarum, aut ab effuſione liquidi oriuntur. Sub hoc ſtatu, omnino ſtyli exploratorii cauta ac prudens inductio indicatur, vt vulnus dilatari aut liquidis effuſis inciſione oppoſita exitus parari poſſit.

MCCCXVI. *Haemorrhagia* oriri poteſt ex laeſione *arteriae mammariae*, *epigaſtricae*, *abdominalis*, aliusuo minoris, e vulneris ſitu ſignisque obuiis dijudicanda. Sanguifluxus modicus naturae viribus vt plurimum ſupprimitur, grauior compeſcitur, dilatato vulnere externo, adplicatione fungi quercini digitoque comprimente, vel, niſi haec ſuccedant, ligatura, quam arteria mammaria aut epigaſtrica duplicem vult. *Effuſio* ſanguinis vel puris aut in cellulоſa ſub integumen-

mentis, aut in mufculorum interftitiis, aut in vagina recti aut denique inter mufculos et peritonaeum haerere poteft. Nefcitur ex cauffa praegreffa, vulnere paruo obliquo puncto, vel contufione, accedente dolore, tumore, duritie circumfcripta et fluctuatione, fi fub cute haeret effufum, diftincta, fi profundius aut fub aponeurofi dilitefcit, obfcuriore, abfentibus penetrationis aut partium contentarum laefionis fignis. Defiderat promtam vulneris dilatationem, aut in loco decliui incifionem, parcendo tamen, quantum res concedit, lineae albae, arteriis, ac fibris mufcularibus peritonaeo vicinis; adhibita deinde therapia vlceribus finuofis (DCCCLX.) adaptata.

MCCCXVII. Vulnus abdominis *in cauum penetraffe docet* inftrumentum cum vulneris figura ac directione comparatum, et, vrgentibus fymptomatibus, cautiffima exploratio, fpecilli obtufi flexilis minifterio, in eodem, quo vulnus exceperat venter, fitu inftituenda, certiffime autem fyndrome fymptomatum, partium internarum laefionem, vel liquidi intra peritonaeum effufionem denotantium. Quod autem, nifi fuperueniant fymptomata, complicationem vel functionem laefam indicantia, inftar fimplicis tractandum erit; cauendo fub deligatione vt aër omnino vifceribus nociuus arceatur.

MCCCXVIII.

MCCCXVIII. Vulnerum partium abdominis continentium, ſiue in iisdem conſiſtentium, ſiue in cauum penetrantium *prognoſis* a ſymptomatibus pendet, prout vel ſimplex vel complicatum declarant aut reddunt vulnus. Hinc anxie repetita exploratio, injectiones aliaque ad detegendum vulneris terminum commendata, niſi ſymptomata vrgeant, non ſolum ſuperflua, ſed ſaepe etiam pernicioſa ſunt, dum vulnus intempeſtiua atque incauta percontatione ex ſimplici complicatum euadere poſſit.

MCCCXIX. *Communis* horum vulnerum complicatorum partium continentium imi ventris (MCCXCIII.) *curatio*, ſymptomatum mitigationem ſingulorum genio adornatam, inflammationis praeprimis auerſionem, ipſius vulneris citam reunionem, ſitu, quiete, emplaſtris, faſciis laxe circumductis, ſub debito regimine, rariſſime gaſtroraphia obtinendam, exigit. Memor ſimul ſit chirurgus, vulnera abdominis vti alia vulnera grauia haud raro effuſione biliosa ac cruditatibus in primis viis juncta eſſe, ſub quo ſtatu emetico-laxantium prudens vſus minime extimeſcendus eſt.

MCCCXX. Suturae abdominalis, *gaſtroraphiae*, neceſſitas in vulneribus minoribus nunquam, in majoribus rariſſime occurrit; in vniuerſum nun-

nunquam adhibenda, nisi mitiores vniendi modos haud sufficere compertum sit, quod sub attenta ac debita aegroti cura (MCCCXIX.) raro accidit. Sequens vero hanc operationem perficiendi modus laudatur. Aegroto in situ laxationi vulneris fauente collocato, ligula ex pluribus filis lineis ceratis apte conjunctis composita, in duas acus curuas majores conjicitur, quarum prior ab interiori parte vulneris ad exteriorem per peritonaeum aliquomodo adductum, musculos et cutem, pollicis ad minimum de ora vulneris distantia vno latere, altera deinde acus, idem filum ducens, eodem modo per oppositam vulneris oram transmittitur, dum cuspides indice adplicato defenduntur, ne partes vicinas internas laedant. Ad vulneris longitudinem, plures suturae, pollicem circiter distantes, adhibentur. Traductis linis, orae vulneris adpositis manibus adducuntur, et adstricto et firmato filo ad methodum expositam (MV.) continentur, filo tamen nodo mobili ita constricto, vt, ad circumstantias aut laxari, aut fortius constringi, aut auferri queat. Qua in re etiam reliqua monita, de vulnerum curatione in genere proposita, obseruentur. Inferiorem plagae partem apertam seruare vix conuenit, cum aëris in abdomen introitus inde concedatur omnino nociuus.

## *Partium contentarum laesio.*

MCCCXXI. Partes *contentae* abdominis a violentia externa vario modo *adfici* possunt,

*a)* *mutato situ*, quoties partes contentae e vulnere egrediuntur;

*b)* *vulnere* vel partis prolapsae, vel in abdominis cauo latentis,

*c)* *contusione*, vel

*d)* *effusione* denique in cauum peritonaei varia; quae sigillatim veniunt pertractanda.

MCCCXXII. *Partes e vulnere* abdominis reliquis facilius *elabentes* sunt omentum et intestinum tenue: a majori tamen vulnere quoque intestina crassa, ventriculus, quin imo hepar et lien prolabi possunt. *Signa generalia* partes elapsas indicantia satis obuia sunt; in obesis tamen membrana adiposa per vulnus expressa omentum prolapsum mentiri potest. *Specialia signa* regio vulnerata et cognitus situs partium naturalis, suppeditant. Partem egressam sanam esse concludimus ex colore natiuo parum mutato, superficie, intestini praecipue, neque humido lubricante neque calore orbata neque putredine corrupta.

MCCCXXIII. Partes *egressae sanae* (MCCCXXII.) citissime sunt *reponendae*, neque obstat mutatio coloris

loris natiui in rubrum ſubfuſcum. Poſito nempe aegroto in tali ſitu vt muſculi relaxentur, ad vulneris ſitum et directionem, aut in dorſo, capite, thorace, et pelui leuata, aut in ſitu laterali, et ablutis de inteſtino, leni ſuperinfuſione aquae tepida vel lactis, ſordibus, ſi adfuerint, vltima portio elapſa et deinde quae reſtant, vtriusque manus indice, oleo blando ſeu albumine oui imbuti, alternatim in ea agente, ad vulneris directionem lente et absque omni violentia in abdominis caueam reprimuntur, primum inteſtino, deinde omento reponendo. Talis reductio ſub exſpiratione facilius ſuccedere ſolet. Cauendum autem ſub reductione, ne in vaginam recti muſculi, vel aliorum interſtitia impellantur partes, quod ſub laeta repoſitionis factae ſpecie mortem illaturum foret. Cognoſcitur autem partes elapſas priſtinam recuperaſſe ſedem, ſi poſt repoſitionem digitus in abdomine circa vulnus libere moueri poſſit.

MCCCXXIV. Partium egreſſarum *reductio* difficilis aut plane impoſſibilis reddi poteſt

a) *volumine* earum *aucto*, aut

b) *vulnere anguſtato.*

In priori caſu inteſtina vel flatu excrementisue expanſa, vel tumore inflammatorio occupata eſſe ſolent. Expanſioni interdum occurritur majorem

inteſtini portionem protrahendo, quo contenta diffundi poſſint, vel haec leni preſſione in abdomen propellendo: acu puncturae enim flatibus exitum parare nequeunt, ſiquidem tunica villoſa foramina obſtruit et irritatio inde praeterea augetur: vltimum obſtaculum quoque premit vſum paracenterii parui ad educendum aërem propoſiti. Inflammatio vero plerumque a reſtrictione vulneris vel aëris contactu orta vix methodo antiphlogiſtica tempeſtiue adhibita nec epithemate demulcente tepido adplicato, ſed ſola cauſſae irritantis ablatione tollitur. Vulnus vel inflammatione vel ſpasmodica muſculorum contractione anguſtatur, cui ſtatui niſi cito therapia, hirudinum praecipue adplicatione, conuenienti occurri, et reductio ſuccedere poſſit, dilatationem haud differendam poscit, eo magis quidem, cum partes egreſſae conſtricto vulnere paucis interdum horis non in inflammationem ſolum grauiſſimam, ſed in gangraenam et corruptionem abire poſſint. Vulneris *dilatationem*, quae in vniuerſum haud major ſit, quam quae pro reductione partium egreſſarum ſufficit, ita inſtituendam eſſe volunt nonnulli, vt inteſtino egreſſo ſurſum, omento autem prolapſo deorſum dirigatur ſectio: niſi alia obſtent, dilatatio verſus ſuperiora in vniuerſum praeferenda erit. Sub hac quantum fieri poteſt, parcere oportet fibris muſcularibus peritonaeo vicinis, partibus apo-

aponeuroticis, arteriis, ligamento hepatis falciformi, quo transſciſſo nexus hepatis naturalis pro parte ſoluitur. Decet etiam chirurgum meminiſſe venam vmbilicalem, quinimo arterias ejus ſocias, in nonnullis adultis ad vmbilicum vsque eſſe peruias, in quo caſu earum laeſio haemorrhagiam ſecum latura foret. Ob ſimilem rationem vrachus haud temere diuidi debet. Inter alia ad hunc ſcopum inuenta inſtrumenta, quo pertinet culter apice nodato, tecto, haud durato praeditus; forfexque proprius; commodiſſimam ſuppellectilem conſtituunt, culter chirurgicus ſolitus; et ſpecillum ſulcatum, extremo plano clauſo rotundato. Ipſa encheireſis ſequens eſt. Aegroto tali modo ſito, vt laxetur vulnus, et partibus egreſſis ad latus futurae inciſioni oppoſitum conductis, ſpecillum paullo inflexum lamina mobili ad retinenda elapſa praeditum, ad perpendiculum juxta marginem vulneris dilatandi in abdominis cauum inducitur: liber illius motus lateralis immiſſionem ex ſententia ſucceſſiſſe indicat. Tunc apex cultri in ſulcum ſpecilli per locum adſtrictum ducitur et vna cum ſpecillo eleuatur. Quodſi vero ne ſpecillum quidem in plagam dimitti poſſit reclinata prolapſa parte, interpoſito digiti vngue circumſpecte ſumma cutis ſcalpello inciditur, quo facto etiam muſculi, vngue magis magisque premente, pluribus, cautis, par-

uis

nis incifionibus, ad peritonaeum vsque aperiri poterunt, donec laxior fiat et reductionem partium egreſſarum admittat plaga. Sufficiente dilatatione facta, partes elapſae dicto (MCCCXXIV.) modo in ventrem reponuntur. Partem inteſtini haud reductam, papillis carneis et denique cute obtectam fuiſſe ipſi vidimus.

MCCCXXV. Partes egreſſae vario modo *affici* poſſunt,

a) *vulnere* nimirum,

b) *abſciſſo* plane *canale* inteſtinali, ac denique

c) *gangraenoſa corruptione.*

Parua inteſtini prolapſi vulnera naturae ſunt committenda, quum parcae diaetae, quietis ac remediorum antiphlogiſticorum beneficio vulnuſculum inteſtini reducti, feliciter ſanari poſſe obſeruatio docuerit. Notabilius autem inteſtini haud corrupti vulnus *ſuturae inteſtinalis* in minoribus pellionum, in majoribus anſatae dictae, adminiculo reuniri conſueuit. *Pellionum ſutura* ſequenti modo inſtituitur. Inteſtino ſauciato blande arrepto, labiisque vulneris ejusdem aequabiliter ad ſe inuicem adductis, filum ſericum crudum vel, quod praeſtat, duo diuerſi coloris, acu recta tenui duce prope vtrumque vulneris marginem duarum circiter linearum de angulo vulneris diſtantia,

tia, valde oblique duplici punctione circa vulnus perducuntur, vt acu retracta fila remanentia vulneris labia absque corrugatione vnita sustineant: plures fili circa vulnus intestinale traductiones, vix indicatae videntur, cum haud absque injuria deinde extrahi possit filum. Reducto tunc intra abdomen intestino extrema fili, extra vulnus externum emplastri cujusdam ope affigantur cuti: ipsum deinde filum post triduum vel quatriduum leniter extrahatur, opposita quidem directione, si duplex fuerit. In *sutura ansata* ad vulneris longitudinem duo vel pluria fila distantia quadrantis circiter pollicis totidem acupuncturis separatim per vtrumque vulneris labium ducuntur, quibus leniter intestino in cauum abdominis reducto coadunatis filisque deinde ad vulneris externi ambitum affixis, intestinum laesum prope plagam partium continentium retinetur. Pars vulneris externi interposito linteolo apertum seruetur, vt fluido obuio exitus concedatur.

MCCCXXVI. *Intestino plane abscisso* in duplici remedio omnis *sanationis spes* posita est, quippe

*a*) vel extremis reunitis canalis integritatem restituere,

*b*) vel iisdem cum vulnere externo conglutinatis anum artificialem creare satagit chirurgus.

Solis

Solis quidem naturae viribus talia vulnera sanata esse compertum est: neque tamen ideo sibi sunt relinquenda, quum immedicabilis effusio, maximo sub aegroti discrimine, in cauum abdominis induci possit. Intestino abscisso haud corrupto nec concreto, primo quidem curet chirurgus, ne intestinum abscissum in cauum abdominis retrocedat, quod filo per mesenterium vtriusque extremi ducto impeditur; obseruetur porro, ex vtronam extremo elabantur contenta, vel oleum antea porrectum. Hoc deinde in alterum ano naturali continuum immittatur, perductisque per mesenterium et per vtrumque intestini extremum filis extus affigendis in abdomen reductum in vicinia vulneris firmetur. Raro necesse est, vt mesenterium ab extremo superiori in inferius inducendo separetur. Haec methodus omnino praeferenda est temerario artificio, quo asperae arteriae ex animali quodam desumtae portionem, aut chartam firmiorem ambobus intestini extremis immittere, eaque super tali corpore alieno per aluum deinde excernendo, consuere suadent nonnulli.

MCCCXXVII. Sparsim vnum extremum intestini transscissi in cauum abdominis retrogreditur, si hoc inferius fuerit, superius vulneri ad dictam methodum adfigi, et anus artificialis formari poterit, si superius, dilatato vulnere omnino me-

meſenterii ope attrahi, et ſutura deinde reuniri debet. Dictis artificiis licet adhibitis labia vulneris inteſtinalis nunquam adeo arcte ad ſe invicem adduci et retineri poſſunt, vt illorum conglutinatio et coalitus expectari poſſit; ſanatio ſemper, concretione cum partibus vicinis facta, ſuccedit.

MCCCXXVIII. Egreſſi inteſtini autem gangraena, vel a vulneris ſtrictura vel ab alio irritamento inducitur, et

*a*) aut paruam ſuperficiei inteſtinalis partem,

*b*) aut totam diametrum occupat,

*c*) aut denique anſam inteſtini majorem vel minorem comprehendit corruptio gangraenoſa.

Gangraena minorem ſuperficiei inteſtini partem occupans, praeter ſigna viſui obuia ſymptomatibus mitioribus, et rupta denique parte contaminata, excrementorum per vulnus non ſecus ac anum egreſſu declaratur. Vulnus externum ſub hoc ſtatu haud dilatandum eſt, ne ſalutaris concretio diſſoluatur. Adhibita pro ſymptomatum indole vel methodo antiphlogiſtica vel antiſeptica, diaeta tenuiſſima, injectione blanda detergente, leniſſima compreſſione, absque tamen partis corruptae in abdomen retropreſſione,

alui

alui per clyſteres ſubductione; impoſito digeſtiuo blando, corruptum ſeparabitur vulnusque ſine canalis inteſtinalis interceptione conſolidabitur. Gangraena totam inteſtini diametrum, ſiue anſam iſtius complectens, aut in ambitu corruptionis gangraenoſae cum vulnere externo concretum, quod quidem ſaepiſſime ob praegreſſum phlogoſin accidit, aut nondum cum eo coalitum inuenitur: in vtroque ſtatu ſymptomata ſunt grauiora, atque totalis tubi inteſtinalis imperuiatio adeſt. Rupta autem parte gangraenoſa, faecibusque emiſſis ſymptomata incarcerationis ceſſare ſolent. Gangraenoſa tunc partim cultro auferentur, partim ſuppuratione, digeſtiuis adplicatis adjuta, ſeparabuntur; et filo interim per meſenterium ducto retrogreſſus inteſtini gangraenoſi impedietur. Triplex tunc datur *medendi ratio:*

*a*) aut *naturae viribus* ſolis *committitur* ſtatus, quod, ſi concretum cum vulnere externo fuerit inteſtinum, praeferendum videtur, quae aut fiſtulam ſtruet ſtercoream, aut experientia teſte reunio extremorum ſanato vulnere externo ſuccedet.

*b*) aut reuniuntur extrema inteſtini ſutura expoſita, quod tunc praeſertim fieri debet, ſi in altiori inteſtini tenuis parte fuerit laeſio.

c) vel

*c*) vel anus denique ſtruitur artificialis.

MCCCXXIX. Vbi ob metum coarctationis inſequentis, tum quoque ob deperditam ſubſtantiam omiſſa eſt, vel ob praeſentem aliquam cum vulnere externo concretionem non amplius tentari poteſt inteſtini vel abſciſſi vel corrupti readunatio, *anus* formatur *artificialis*, coalitu nempe extremorum inteſtini cum vulnere externo, quo fit, vt excrementa eo loco in poſterum emitti poſſint, hiatusque remanens ani vices ſuppleat. Hic periculo anguſtationis caret, et ſi cicatrice coaluerit atque inuerſio inteſtinalis debita deligatione praepedita fuerit, cum incommodo excrementorum perpetuo elabentium, idonei receptaculi tamen ſueſcendique facultatis beneficio haud aegre demum tolerando, per totam vitam ferri poteſt. Nullum inde naſcitur periculum niſi forte jejuni inteſtini pars ſuperior, in anum factitium hiet, ſicque magnam chyli partem, quae inferius abſorbenda fuiſſet, corpori detrahat.

MCCCXXX. Quoad *curationem reliquam* vulnera inteſtinorum elapſorum in vniuerſum rigoroſiſſimam diaetam et quietem, omniaque phlogoſeos remedia poſcunt antea expoſita. Ab egreſſorum ſuperficie, fotu emolliente tepido jugiter humectanda, ſolertiſſime arceatur aër. Conſolidationem labiorum vulneris inteſtinalis rariſſime inter

ter ſe, ſed vt plurimum cum vulnere partium continentium, aut cum omento, meſenterio, aliis inteſtinis, hepate, liene concreſcere obſeruatione compertum eſt.

MCCCXXXI. Vulnera inteſtinorum egreſſorum in genere ſpectata ancipitem habent *euentum;* ſaepe enim, praecipue ſutura inteſtinali facta, ſub laetiſſima fauſti ſucceſſus ſpe, quid? quod cicatrice jam inducta, ob generalem canalis inteſtinalis *coarctationem*, a parciori paſtu obortam, aut ob partis vulneratae ſtricturam a cicatrice atque partium vicinarum concretione illatam, errore aliquo diaetetico commiſſo, ſeu a praecipiti exercitio corporis, *dolor colicus*, *obſtrictio alui*, *vomitus*, *ruptura cicatricis* inteſtinalis, *effuſio* in abdomine naſci poſſunt, et certa inde mors induci. Quae tamen inteſtini coarctatio in vulnere inteſtinali parum, in abſciſſo autem vel ſubſtantia priuato inteſtino maxime metuenda erit. Quodſi ſutura inteſtinali adhibita, vulnerique deinde ſanato poſt aliquod tempus a qualicumque cauſa dicta ſymptomata ſuperueniant, canalis imperuiationem et rupturam, contentorumque in cauum ventris effuſionem declarania, omnis miſeri ſalus poſita eſt, in promta cicatricis externae inciſione, faecum elapſarum eductione et ani denique artificialis (MCCCXXIX.) efformatione.

MCCCXXXII.

MCCCXXXII. *Laesiones omenti* e vulnere *prolapsi* de cetero sani, pro diuerso vasorum volumine majorem vel minorem haemorrhagiam inducunt, salutarem quidem, vtque plurimum solis naturae viribus cedentem; raro saltem ad eam sistendam chirurgia (MXXVIII.) exposita et ligatura vasis laesi, opus est. Quo facto egressum oleo terebinthinae inungitur, inque abdomen reponitur.

MCCCXXXIII. Vti intestinum e vulnere elapsum, ita quoque *omentum*,

*a*) vel ob longiorum extra sedes natiuas commorationem,

*b*) vel ob corporum alienorum irritationem,

*c*) vel denique ob vulneris stricturam,

breui tempore ita *corrumpi* potest, vt nulla spes sanationis supersit. Quod *cognoscitur*, ex partis egressae colore in pallidum, plumbeum, fuscum, nigricantem mutato, odore cadaueroso et si intestinum inter prolapsa fuerit, hujus exsiccatione.

MCCCXXXIV. Si omentum e vulnere abdominali prolapsum ex dictis (MCCCXXXIII.) caussis corruptionem subiuerit,

pars gangraenosa

*a*) vel cultri,

*b*) vel ligaturae ministerio *auferenda*;

pars sana

*a*) vel in abdominis cauum *reducenda*,

*b*) vel

b) vel *coalitui* cum vulnere externo *committenda* eſt.

MCCCXXXV. *Omenti ligatura* in parte ſana inſtituenda, minoris portionis ſimplex, majoris duplex, ad partis corruptae ſeparationem absque haemorrhagiae metu accelerandam, commendata, ſymptomata ominoſa, dolores nempe acutiſſimos, grauiorem omenti inflammationem, ejus ſuppurationem ipſamque mortem, experientia teſte, inducere valet, quae quidem pericula adſtrictione fili pedetentim aucta non auertuntur. Facta nihilo minus ligatura, parteque elapſa crudeli hac methodo a corruptione liberata, iſthaec in abdomen reponenda eſt. Tutius in ſubſidium vocatur *ſcalpellum:* reſectione enim partis corruptae facta, naſcens ſanguinis profluuium inflammationi metuendae potenter obſtat, et ſolius naturae medelam plerumque admittit. Niſi hoc fiat leui compreſſioni digitis admotis, ac adplicatione fungi quercini, vel ſi haec ſucceſſu careant, ligatura ſinguli vaſis hamulo ſeu forcipe adtracti, certe ſupprimitur. Sub vtraque medendi ratione caute vero in anteceſſum obſeruetur, an pars inteſtini ſub omento lateat, omnino parcenda.

MCCCXXXVI. Parte gangraenoſa ſeparata, extremum omenti, ſi in vulnere relictum fuerit, eumque eo coaluerit inſecuturae quidem herniae ob-

obſtabit; attamen ob ventriculi tenſionem motumque laeſum, ſatis grauia ſymptomata exinde oriri poſſe, obſeruatione conſtat. In vniuerſum autem omentum e vulnere egreſſum absque repoſitione *coalitui* cum vulnere externo *committi* poteſt, quoties portio parua ſupraque vmbilicum egreſſa, ventriculum cibis diſtendi, corpusque pro lubitu retroflecti ſinit, neque inteſtini aliquam partem ſimul elapſam involuit. In contrariis caſibus omnino in ventrem *reducendum* eſt. Specialiora in herniarum chirurgia vberius pertractabuntur.

MCCCXXXVII. *Partium in imo ventre contentarum absque egreſſu laeſio cognoſcitur* ex inſtrumenti vulnerantis in cauum abdominis penetratione, plagae ſitu, fluidi effluentis indole, excretione aluina, lotii praeternaturali, functione cujusdam partis laeſa, ventris tenſione ac intumeſcentia, accedente inflammatione, dolore acuto fixo, ſignisque, factam in cauum abdominis effuſionem, indicantibus. Saepe tamen peruerſus viſcerum ſitus, ſiue congenitus ſiue morbo acquiſitus, diagnoſin vulnerum partium contentarum incertam reddit.

MCCCXXXVIII. Vulnus *ventriculi* praeterea noſcitur ex alimentorum e vulnere egreſſu, vomitu cruento, dolore, anxietate et ſymptomatibus generis neruorum irritati ſaepe grauiſſimis.

Ma-

Majora autem hujus organi vulnera ad cardiam vel curuaturam praesertim inflicta aut per vtrumque parietem penetrantia, paucis diebus plerumque fiunt lethalia; in aliis autem partibus debite et caute tractata sanari possunt, aut fistulam externam relinquunt, per quam pars alimentorum effluit. Vulnus repleto ventriculo inflictum, citam hujus euacuationem, emetico leniori excitandam, requirit, vt plaga contrahi possit. Si e vulnere externo aliqua pars ventriculi egressa fuerit, mox reducenda est: in vniuersum autem diuturnum jejunium, viribus interea enematibus nutrientibus sustentatis, absolutissimam quietem et methodum antiphlogisticam strenue adhibendam poscit ventriculus vulneratus. Sutura ventriculi, quamuis cum successu olim adhibita fuit, omnino suspecta merito habetur.

MCCCXXXIX. *Tenuis intestini laesionem indicant* signa generalia et chylus foras prodiens, eo quidem magis flauescens, quo vicinior duodeno est locus laesus et faeces sanguinolentae. Majora autem duodeni praecipue et jejuni vulnera febrem simul acutissimam, anxietatem, pallorem, syncopen, sudorem frigidum, pulsum paruum, intermittentem, tremulum, mortem denique adferunt, vel saltem symptomata effusionis in abdominis cauum factae secum vehunt, quae

quae tanto magis extimefcenda eft, quanto majore mobilitate gaudet inteftinum laefum. Inteftino tenui in loco faperiori pyloro vicino disciffo, defraudabitur neceffario nutrimento corpus, et lento peribit marasmo aeger, fi per vulnus integumentorum contenta exeant: fi vero in cavum abdominis delapfa accumulentur, haud eductionem admittentia, ibi corrupta mortem accelerbunt. *Craffum inteftinum* vulneratum effe, praeter communia figna, quoque docent excrementa e vulnere exeuntia, vel faltem foetorem ftercoreum eructantia. In his laefionibus fymptomata in vniuerfum funt mitiora, et effluxus faecum per vulnus propter minorem inteftini mobilitatem vt plurimum facilius fuccedit; eandem ob causfam quoque inteftinum laefum cum vulnere partium continentium facilius coalefcit. Communis vulnerum inteftinorum *prognofis* ex laefionis fitu, magnitudine et directione, tum maxime ex fymptomatum vehementia et quantitate effufi pendet. Curatio dictam (MCCCXXV.) medendi methodum et effufionis in abdominis cauum factae remedia exigit.

MCCCXL. *Vulnera mefenterii*, fi vafa fanguifera notabilia fimul laefa fuerint, haemorrhagiam, pro canalis diametro plus vel minus grauem, fanguinisque in caueam ventris effufionem parit. Laefis venis lacteis vel cifterna lumbari, chylus candi-

diſſimi coloris aut per vulnus externum effluit aut in abdomine coaceruabitur, irreparabilique ſua jactura marasmum lethalem inducet. Citam vero ſub atrociſſimis doloribus mortem cauſſatur nervorum, plexuum praeſertim meſentericorum, vulneratio.

MCCCXLI. *Vulnera jecinoris* e ſignis generalibus dictis (MCCCLXVI.) *dignoſcenda*, magnam quoque ſanguinis in abdomen vel extra vulnus effuſionem, cadaueroſum corporis adſpectum, pulſum lentum, oculorum obſcurationem, anxietatem ſummam, ſudores frigidos et mortem denique adducere poſſunt, eo certiorem et citiorem quidem quo major ac vicinior vaſorum introitui fuerit laeſio. Minora tamen, gibbae potiſſimum partis vulnera, praecipue vbi illa peritonaeo accreuerit, ſanationem admittere poſſunt.

MCCCXLII. *Vulnerata veſicula fellea*, ſeu ductu communi, bilis vel e vulnere effluit vel in abdominis cauum effunditur. Hujus effuſionis ſigna ſunt abdominis immanis diſtenſio, aluus pertinaciſſime adſtricta nec laxantibus nec clysmatibus ſoluenda, pulſus fortis, aequalis, tardus, deinde intermittens, morte denique terminata. Si forte ob praegreſſam inflammationem concretio cum peritonaeo adfuerit effuſionem bilis in imum ventrem praepediens, aegrotus vel ſanabitur, vel fiſtula externa remanebit.

MCCCXLIII.

MCCCXLIII. Vulneri *lienis* vix vllum competit ſignum proprium, niſi ob laxam hujus visceris fabricam ac vaſa ſanguifera majora, grauisſima atque cito occidens haemorrhagia, quam vix vnquam effugit aegrotus, licet totum viſcus ligatura facta exemtum eſſe legimus.

MCCCXLIV. Cum duodeno in eo conuenit *pancreas*, vt vulnerari vix poſſit, niſi per alia viſcera transadactum fuerit inſtrumentum laedens. Neque hoc vulnus aliam notam peculiarem habet, quam ſucci ſaliuae analogi effuſionem,

MCCCXLV. Vulnera *renum* et *vreterum* ob ſanguinis et vrinae effluxum ſemper ſunt periculoſiſſima. Si major adſit effuſio aut intra peritonaeum, vbi haec etiam membrana diſſoluta eſt, aut in celluloſo textu, vix et ne vix quidem ſervari poterit aegrotus. Poſt minora tamen renum vulnera ſuperſtites fuiſſe nouimus, fiſtula interdum ſuperſtite.

MCCCXLVI. Vulnera veſicae vrinariae praeter ſigna generalia ſecum vehunt effluxum lotii cruenti et iſchuriam. Ob vrinae effuſionem in cauum abdominis, vel ejus infiltrationem in telam celluloſam certe periculoſiſſima, ſanationem tamen admittunt, ſi effuſum ſitu decliui, inciſione aut punctura auferri, et cathetere idoneo in veſicam immiſſo et firmato, parço denique

 potu,

potu, noua effusio auerti possit. Dolor tensivus abdominis, perpetuus vesicae laesae comes, semicupio tepido mire minuitur.

MCCCXLVII. Viscera abdominis porro a *contusione*, absque vulnere externo, tali modo adfici possunt, vt grauis inflammatio, dolor acutissimus, rupturae et effusiones variae, ac cita mors induci possint, aut serius infarctus viscerum sequantur: cui malo maxime occurritur generali therapia contusionum (MXCI.) exposita, methodo antiphlogistica cito ac strenue adhibita, haud neglecto epithemate frigido discutiento, et leni intestinorum expurgatione.

MCCCXLVIII. Contenta abdominis denique vario liquido, a vulnere visceris abdominalis, in ventris cauitatem *effuso*, premi, irritari, corrumpi possunt. Effundi nimirum possunt

*a*) *sanguis*,
*b*) *alimenta aut excrementa*,
*c*) *bilis*,
*d*) *vrina*, ac
*e*) *denique aër*.

MCCCXLIX. Et primo quidem *sanguis* ex magno trunco, in primis arterioso effluens, totam hanc caueam, antequam coagulatio obstet, cito implet, extendit, conditionem laesionis majorum

vaso-

vaſorum et haemorrhagiae internae grauioris deinde ſequens (MXV.) Effuſo autem e minoris diametri vaſe ſanguine, ſi haud a contactu viſcerum et muſculorum actione ad tractum vulneris extrorſum duci poteſt ſanguis, coagulum ſub lentiore effluxu natum et materia lymphatica purulenta ſub inflammatione partium transſudans inteſtinorum gyros leniter conglutinabit, ſaccumque ſatis firmum producet, quo ſanguis haud raro coercetur, circumſcribitur et plane denique ſanguifluxus ſupprimitur. Limitata haecce ſanguinis effuſio, ſaepiſſime in loco minus reſiſtente, ad anteriorem lateralem, et inferiorem abdominis partem, ad latera rectorum muſculorum, obvia cognoſcitur e cauſſa et ſignis haemorrhagiae internae praegreſſis, dolore et duritie circumſcriptis, centro plus minus fluctuante, ſub ſymptomatum primitiuorum leuamine. Plures foci cruoris effuſi adeſſe poſſunt, ſi vel gladius, vel globus e ſclopeto miſſus longiorem viam per abdominis cavitatem emenſus fuerit, vaſaque in pluribus locis diſſoluerit. Limitata autem ſanguinis effuſio, quamquam ſine aëris acceſſu per plures dies, quin immo hebdomates absque putredine ſeruari poſſit, tandem tamen corrumpitur, irritatione, inflammatione et corroſione viſcerum, ſymptomata ſecundaria creans, quae non niſi cita liquidi eductione minui poſſunt. Haec eductio inciſione, in

loco

loco praetumido ſeu fluctuante adartem (DCXCVII.) inſtituta, obtinetur. Quodſi grauis haemorrhagia fuerit metuenda, paullatim emittatur effuſum, ne ſanguinis profluuium renaſcatur. Deinde vero injectionibus blande detergentibus depuretur vulnus. Effuſum cruorem limitatum, inconſiderata aegroti transportatione, ſeu motu corporis, et ipſius maſſae contentae a lympha ſeroque transſudante augmento, disrumpi, contentumque ſanguinem per totum ventrem diffundi poſſe conſtat. Quo facto pars effuſi, ponderis vi et muſculorum abdominalium actione in peluim minorem deſcendit. Hoc eueniſſe docent cauſſa et ſigna, jam recenſita, praegreſſa, doloris ac tenſionis in hypogaſtrium deſcenſus, alui obſtipatio, iſchuria cum tenesmo et mingendi cupidine, tumore deinde totius abdominis, anxietate, febri, ſignis gangraenae partium internarum accedentibus. Mortem tunc portas pulſare facile intelligitur.

MCCCL. *Effuſa alimenta* et *excrementa* ex allatis (MCCCXXV.) dignoſcenda, difficilius limitantur, ob minorem tamen elapſi copiam verſus vulnus, ſiue anteriorem vel lateralem abdominis partem vel iterum per vulnus in cauum ventriculi vel inteſtini mouentur. Cognita effuſione in abdomine ob majorem acrimoniae et gan-

gangraenae inde nafciturae metum, cito, fin per vulnus dilatatum effluere nequeat alienum, incifione facta educendum eft. *Bilis* (MCCCXLII.) et *vrinae* (MCCCXLVI.) effufio, ob horum humorum acrimoniam, ob citam partium, quam inducunt, inflammationem et gangraenam, merito periculofiffimae habentur et faepiffime lethales euadunt, nifi tempeftiue liquido exitus parari poffit.

MCCCLI. Natura autem, contenta fluida in abdominis cauum effufa, nifi ingens fit eorum quantitas, aut mors jam immineat, *verfus vulnus externum dirigit*, cum mutuus partium contactus, mufculorum abdominalium actione fuftentatus, loco vulneris mufcularis minuatur. Si vero effufi per vulnus effluxus, aut hujus minore diametro, obliquitate, mutato partis vulneratae fitu, aut intempeftiua compreffione externa impediatur, ad eum locum vbi minor datur fibrarum mufcularium actio, ad anteriorem nempe et inferiorem vel lateralem abdominis partem coaceruabitur effufum, durities et fluctuatio fimul perceptae locum incidendum indicabunt. Emiffo fluido, vulnus therapiam vlcerum, cauum abdominis adeuntium, pertractationem pofcit.

MCCCLII. Si per vulnus, aut ex inteftino laefo *aër* in cauum abdominis intrauerit, rarefactus

factus aër immenſam in molem diſtendere poterit abdomen, vnde a viſcerum compreſſione miſerrima mala oriuntur, ſola eductione effuſi aëris, vel per inciſionem vel per puncturam, paracenterii miniſterio inſtituendam, ſananda quae medendi ratio alio loco vberius pertractabitur.

RE-

# RENUNCIATIO VULNERUM.

MCCCLIII. *Renunciatio vulnerum audit*, ex vſu loquendi communi, dijudicatio coram judice, ſiue exiſtimatio juſta de grauitate laeſionis cujusdam et diſcrimine vitae atque ſanitatis, cui laeſio vulneratum exponit, examini ſcrupuloſiſſimo partis laeſae, aut pro re nata ſectioni cautae, per artis expertum, cadaueris, poſt inflictas plagas defuncti, ſuperſtructa. Actus hic, ſententiam de vita et morte vulnerantis definitiuam ſaepe dicens, requirit conſummatam examinatoris peritiam in anatomicis et phyſiologicis, et cum dexteritate junctam ſagacitatem atque prudentiam, vt renunciaturus omnia omnino phaenomena, huc aliquid collatura, accurate, callide atque cordate, nec temere, neque timide veſtiget et aeſtimet pretiis veris.

MCCCLIV. Ex eis, quae in vulnerum generali ac ſpeciali pertractatione allata ſunt, patet: illa quoad dijudicationem ſub *quatuor claſſes* redigi poſſe. Vulnera inde hoc reſpectu erunt

*a*) *vel leuia*,
*b*) *vel grauia*,
*c*) *vel inſanabilia haud lethalia*,
*d*) *vel denique lethalia.*

MCCCLV.

MCCCLV. *Vulnus* judicatur *leue*, quod inflictum ſola parit ſymptomata omnis vulneris neceſſaria (DCCCCXCV.), ſimplici eget reunione labiorum, exſiccatur cito, vel in vlcus ſimplex tranſit: Notandum tamen vulnera, etiam leuia, in corpore cachectico valde ſenſili, ad alios morbos diſpoſito vario modo complicari (MIX.) et grauia euadere poſſe.

MCCCLVI. *Graue* dicitur *vulnus*, cujus ſymptomata curationes non moleſtas tantum atque longas, ſed periculoſas ſaepe et ancipites efficiunt, licet plerumque ſanationem admittant. Talia ſymptomata ſunt grauis inflammatio (CCCCXLII.), ſuppuratio (CCCCLXXII.), haemorrhagia (MX.), ſymptomata neruoſa (MLXXI.), febris ardens, lenta et ſimilia.

MCCCLVII. *Symptomata* (MIX.) vulnus graue efficientia

a) aut ex *indole partium laeſarum* fluunt, vti in vulneribus neruorum, tendinum, ligamentorum, muſculorum, vaſorum, oſſium, cartilaginum, organorum ſenſoriorum, viſcerum nonnullorum.

b) aut ex *modo laeſionis* ipſius inducuntur, in vulneribus v. c. contuſis, punctis, caeſis, ambuſtis, ſclopetariis, venenatis.

c) aut

c) aut oriuntur *ab aegroti conftitutione*, peculiari irritabilitate, fenfibilitate, cachexia, cacochymia, debilitate, aut alio morbo vulneratum inuadente.

d) aut denique *medentis feu aegroti vitio* qualicunque inducuntur.

Conftat itaque poffibilem effe tranfitum vulnerum grauium in relatiue lethalia; attamen judici non renunciabuntur lethalia, ante obitum fauciati.

MCCCLVIII. Vulnera *infanabilia haud lethalia* funt, quae per fe quidem mortem haud inferunt, moleftias tamen relinquunt vix vlla arte curandas, vt plurimum per totam vitam aut longum faltem tempus tolerandas, v. c. vlcera pulmonum, fiftulam ftercoream, debilitatem, infenfibilitatem, marcorem, tabem, rigiditatem, figuram laefam, abolitionem fenfus, difformitatem.

MCCCLIX. Denique vulnera dicantur *lethalia*, quotquot mortem fauciatis pariunt: et quidem

a) *abfolute lethalia*, quae neceffitate ineuitabili in omnibus indifcretim vitam exftinguunt, aut

b) *relatiue lethalia*, quae, licet in fe curatu poffibilia, per circumftantias accidentales fuperuentas, lethalia facta funt.

MCCCLX.

MCCCLX. *Necant neceſſitate abſoluta* vulnera, quae proximam, vnicam, arte haud avertendam mortis cauſam praebent. Talia ſunt, quae

*a*) *intercipiunt influxum liquidi neruei in partes vitales:* atque adeo vulnera cerebri et cerebelli profunda, medullam oblongatam tangentia, vaſorum ſanguiferorum encephali circa baſin cranii, e quibus effuſus cruor nulla arte educi poteſt foras; vulnera denique aut a vulneribus ortae compreſſiones in parte ſuperiori medullae ſpinalis.

*b*) quae *cor, pulmones et cerebrum ſanguine ad ſuſtinendam vitam neceſſario priuant*, vt vulnera ventriculorum, auricularum et ſaccorum venoſorum cordis, atque omnium vaſorum majorum in ſeu extra cauitates majores, vbi ſanguifluxus naturae et artis ſubſidiis ſupprimi nequit.

*c*) quae *reſpirationem intercipiunt*, vt abſciſſio tracheae ſeu bronchiorum, cum extremi retractione et ſubductione; maxima vulnera pulmonis, diaphragmatis tanta vulnera, quae actionem hujus ad reſpirationem neceſſariam ſuſpendunt.

*d*) quae *negotium nutritionis ſupprimunt*, vt oeſoghagus abſciſſus, vulnera majora ventriculi, inteſtinorum tenuium, duodeni

deni et jejuni praecipue, ad quae auxilia artis manualia attingere nequeunt: consimiliter vulnera vasis lactei majoris, aut ductus thoracici ipsius.

e) quae causantur *effusiones liquidorum* in cava majora, *neque obturandas nec educendas arte:* talis sunt indicii laesiones ductus biliferi, pancreatici, vreteris et effusiones liquidorum continentium in mediastinum posterius, peluim minorem, cellulosam lumbarem cet.

Stupendus vnus et alter casus rarior, confirmans indiuiduum ex tali vulnere lethali euasisse, per beneficium naturae singulare aut casum fortuitum, regulae jam stabilitae vniuersalitatem non infringit.

MCCCLXI. Vulnera euadunt *relatiue lethalia* (MCCCLIX.)

a) *absque culpa aut errore;*

b) *ob culpam.*

MCCCLXII. *Absque culpa vel errore* commisso, vulnus graue (MCCCLVII.) relatiue lethale fit,

a) si *vires et habitus aegroti*, vulneris inflicti *symptomatibus necessariis* sustinendis, *impares* sunt, atque adeo sauciatus negatur a vulnere, nullis licet artis auxi-

auxiliis neglectis, quin idoneis potius omnibus rite et tempeſtiue ad indicationes adhibitis. Talia ſunt, debilitas morboſa, diſſolutio ſanguinis, cranium tenuiſſimum aut praeter naturam craſſum, phtyſis, lues venerea, ſcorbutus, alius morbus caſu accedens.

*b*) ſi *grauitati vulneris*, ſub aliis circumſtantiis ſanabilis, acceſſerit iniquitas loci, temporis atque tempeſtatis, ſub defectu plenario ineuitabili auxilii cujusque.

Vulnus graue inde, quamuis ſub alia rerum facie ſanationem ſaepe admittens, ſub dictis circumſtantiis eadem ineuetabili neceſſitate mortem inducit, quam ſi abſolute lethalis fuiſſet laeſio.

MCCCLXIII. Vulnus graue ſub circumſtantiis, quae praeuideri et auerti potuerant, vario modo *ob culpam lethale* fieri poteſt:

*a*) errore, ignorantia, incuria *chirurgi*, negligentia v. c. haemorrhagiam a vulnere ortam rite et tempeſtiue inhibere, aliena, nociua e vulnere educere, vulnus dilatare, ſpasmo aliisque ſymptomatibus occurrere, indicata remedia adhibere, ſordes primarum viarum educere, munditiei ac regiminis curam habere, infectionem auertere; vel e contrario

lae-

laeſionem nociua atque incongrua ratione tractantis.

*b*) vitio *vulnerati* ipſius, quod ſi nempe hic tempeſtiue chirurgum conſulere diſtulerit, imo penitus neglexerit, ſi grauem errorem regiminis atque diaeteticum commiſerit, affectibus animi vehementioribus, Veneri, Baccho indulſerit poſt ſauciationem grauem, aut denique neceſſaria artis auxilia oblata recuſauerit.

*c*) *aliorum* denique culpa vulnus graue lethale euadere poteſt: intempeſtiua, praecipiti, incauta aegroti de vno in alterum locum transportatione, frigore, calore nimio, aëre corrupto, infectione admiſſis cet.

Quae omnia conſtant clariora ex demonſtratis ſuperius ad theoriam vulnerum.

MCCCLXIV. Patet ex dictis (MCCCLVII. MCCCLIII.), in *renunciatione de vulneribus abſolute lethalibus* (MCCCLX.) cauſam mortis ſoli cauſae vulneranti adſcribendam et imputandam eſſe generaliter, obſtante licet caſu vno alteroue rariſſimo: neque videtur *ferenda* coram judice *ſententia* mitior *de vulneribus relatiue absque culpa lethalibus* (MCCCLXII.). Etenim vbi a vulnere ſurgit ſym-

ſymptoma, pro rerum ſtatu nulla arte auertendum, et a ſymptomate mors, ecquis aggreſſorem vulnerantem a lege homicidii purgabit? Si vero ob culpam aliqualem (MCCCLXIII.) lethale euaſerit vulnus, quod absque illa ſanari potuiſſe videatur, mitior ſententia omnino ferenda eſt, minime enim fas eſſe videtur, vt vulnerans alieni erroris poenam luat.

MCCCLXV. Vulneris *in corpore viuo dijudicatio* ſcrupuloſiſſimam *praeſupponit* indagationem in habitum aegroti ante laeſionem, morbos nuper praegreſſos, vitae rationem, ipſius laeſionis indolem, laedentis atque laeſi ſitum, inſtrumentum vulnerans, ſymptomatum acceſſum, decurſum, ſanguinis vel alius liquidi effluxum, ſuppurationis indolem, vulneris inflammationem, colorem, tumorem; functiones laeſas; varias ſe- et excretiones naturales ſeu praeter naturam accedentes. Ex his omnibus rite perpenſis maturum judicium ferri poteſt. Temporis interuallum inter ſauciationem et mortem ad dijudicationem lethalitatis vulneris nihil plane facere videtur.

MCCCLXVI. Si poſt vulnus inflictum defuncti *cadauer examinandum* eſt, praeterea attendat chirurgus:

*a*) vt

*a*) vt inſpectio ſtatim fiat poſt mortem, cum aliena a putredine naſci poſſint, quae in viuente non aderant.

*b*) vulneri ejusque circumferentiae quam cautiſſime admoueat ferrum chirurgus, quo minus aliam, ab inſtrumento vulnerante non factam, laeſionem inducat: denique diductis integumentis ſenſim ad profundiora penetret.

*c*) ſi vaſorum indagatio requiratur, injiciat truncum diſtantiorem liquido, quo terminus vulneris determinetur accuratior.

*d*) ſuſpenſa manu partes omnes, quas attigit vulnus, ſecet.

*e*) extus et intus totum corpus examinet, quo conſtet, an non alia ſimul exſtiterit mortis cauſa, quae lethalitatem vulneris redderet dubiam.

*f*) rite diſtinguat inter laeſiones a vulnere in corpore viuo factas et poſt mortem cadaveri inflictas: in his deſunt indicia tumoris, ſugillationis, inflammationis et ſuppurationis.

*g*) in hac re grauiſſima minime confidat fallaci memoriae ſoli chirurgus, ſed

vifa atque reperta mox coram config-net literis.

*h*) denique vifum repertum judici tradendum, fit plenum, exactum, fidum, rite digeftum, viro honefto, cordato, candido, inftructo, erudito dignum.

---

ORDO

# ORDO IV.

## FRACTVRAE EARUMQUE CHIRURGIA.

MCCCLXVII.

Fractura *audit* diuiſio oſſis a violentia quadam mechanica ſubito inducta. Patet itaque, in quibus fractura a vulnere, vlcere et carie differat.

MCCCLXVIII. Os ad diuiſionem facilius ſubeundam *praedisponunt* teneritudo congenita, abundantia elementi terrei nimia, defectus glutinis naturalis vel medullae ſenio morboue exhauſtarum; collapſus vel coalitus vaſorum oſſi propriorum, ſubſtantiae oſſeae ipſius ab acrimonia quadam ſcorbutica, venerea, rhachitica, ſcrophuloſa, arthritica, cancroſa alteratio, corroſio, deſtructio. Quo durior atque compactior os, eo facilius frangitur; oſſa cylindrica inde in media parte facilius franguntur, quam ad extrema. Hae cauſſae, prima excepta, ad tantam potentiam inſurgere poſſunt, vt leuior, quo teritur, ictus, quin ſolus motus muſcularis, ſiue voluntarius ſiue ſpasmodicus, fracturam in oſſe longiore interdum efficere valeat. A labe ſcorbutica callum fractu-

rae diu ſanatae iterum mollescere poſſe ipſi obſeruauimus. Frigori externo aliquam vim eſſe ad augendam oſſium fragilitatem vix admitti poſſe videtur. *Cauſae occaſionales* ſolemniores ſunt variae violentiae externae, vi ſuperiores cohaeſione partium oſſearum. Ad infrequentiores pertinent ſpasmi et conuulſiones, vel ſimplex muſculorum actio, cujus exemplum in patella ſana haud infrequenter occurrit.

MCCCLXIX. Multiplex celebratur fracturarum *diſtinctio*:

*a*) notiſſimam conſtituit diuerſa mali *ſedes*, prout nempe clauicula, ſcapula, os humeri, femoris, et ſic porro fracturam ſiſtit; deinde vel vnicum os vel plura ſimul hanc laeſionem paſſa ſunt.

*b*) varia quoque *directione* transuerſa communiſſime, vel obliqua, oſſa franguntur: in omni tamen fractura ſemper dentationes adſunt; nonnunquam plane irregularis, rarius longitudinalis occurrit diuiſio.

*c*) differt porro *gradu* fractura, prouti diuiſio violenta vel ſimplicem in oſſe agit rimam et parietem oſſeum *findit*, vel *diffringit totum*. Fractura totali iterum os vel in fragmenta diſſilit majora, vel comminuitur in minutias.

*d*) ne-

*d*) neque leuis momenti eſt diſcrimen fracturarum, *a ſeceſſione* fragminum majori vel minori ab inuicem petitum.

*e*) praecipua vero diuerſitas poſita eſt in *ſymptomatibus* variis et aliis *laeſionibus* ſiue abſentibus ſiue fracturam concomitantibus, vnde celebris illa fracturarum diſtinctio in ſimplices et complicatas.

MCCCLXX. Communia fracturae *ſigna* vel *ſenſualia* ſunt, vel *rationalia*.

*a*) notas *ſenſuales* ſuppeditant difformitas membri, in longitudine, inaequalitate, flexione, directione inſolita ejusdem, non congenita nec ante acquiſita adparens; ex comparatione cum latere ſano, ſi nulla difformitas antea adfuerit, facilius detegenda, crepitatio ſub leui cautoque motu et exploratione percipienda, non tamen cum ſtrepitu emphyſematis (MCCXCII.) compreſſi confundenda, externa denique violentiae praegreſſae ſigna.

*b*) *rationales* deſumuntur ex natura et vehementia violentiae praeuia, comparatis cum robore compagis oſſeae, ex conſtitutione aegroti, ſymptomatibus variis, oſſis omniumque partium circumjacentium

tium ſtatu naturali vel morboſo ſolerter conſiderato.

Haud diffitendum tamen, dijudicationem fracturae in oſſe, profundius et a corporis ſuperficie remotius ſito, aut vbi jam adſunt inflammatio et tumor, interdum maximis premi difficultatibus ac ſummam chirurgi attentionem requirere.

MCCCLXXI. Quod ad *ſpecialia fracturae ſimplicis ſigna* ſeu ſymptomata attinet, praeter doloris pruritusue ſenſum, motusque, qui ex firmitate oſſis pendet, laeſionem et leuem inflammationem, ſugillationem, ecchymoſin nulla alia ſymptomata adſunt.

MCCCLXXII. Fracturae *complicatae ſigna ſpecialia* ſeu ſymptomata ſunt vel primitiua vel conſecutiua:

a) *primitiua* iterum vel *ex ipſius fracturae indole ac ſede originem trahunt*, vti oſſis obliqua, duplex vel triplex, in minutula denique fragmenta diuiſio, extremorumque ſeceſſio ab inuicem, vel *ex partibus mollibus* laeſis a communi cauſſa externa, vel *ab ipſo oſſis* fracti *angulo* vulnerante, irritante, comprimente; vel *ex habitu* denique corporis prauo *accedant*, vnde intumeſcentia et inflammatio grauiſſima, in ſuppuratio-

tionem vel ipſam gangraenam cito proſerpentem prona, haemorrhagia, aneurisma, varia ſymptomata irritationis nervoſae (MLXXII.) naſci ſolent. Ad hanc ſpeciem quoque referenda eſt complicatio fracturae a luxatione oſſis laeſi.

b) *conſecutiua* ſymptomata fracturae complicatae ſunt oedema taedioſiſſimum, paralyſis, atrophia, ſymptomata puris reſorpti, caries, calli difformitas, incuruatio membri, oſſis longitudo naturalis imminuta, aucta, anchyloſis. Multa quoque ex morboſo ſolidorum humorumue ſtatu fluunt.

MCCCLXXIII. Quoad *prognoſin* fracturae valde differunt. Simplex in corpore ſano rite tractata intra triginta et ſexaginta dierum ſpatium absque periculo ſanatur; e contrario complicata, ſub aliis circumſtantiis in ſubjecto debili, ſcorbutico, rhachitico, venereo, grauido, cet. multo longius tempus ſaepe requirit fracturae ſanatio, quin imo aegrotum non raro in vltimum vitae diſcrimen conjicit, vel omnem medelam reſpuit, et incurabiles moleſtias et difformitates relinquit, eo quidem magis, quo pejoris indolis eſt fractura, quo major adeſt complicatio, quo iniquior medendi methodus adhibita. In junioribus ſanatio

natio fracturae longe facilior ſuccedit, quam in adultis vel ſenibus aut grauidis; in his oſſis fracti firmitas interdum non niſi poſt peractum partum redit. Fracturam tamen in grauidis, lentiorem quidem, perfectam tamen, antequam partus abſolutus fuerit, ſanationem ſparſim admittere pluries obſeruauimus. Fractura transuerſa minus negotii faceſſit, obliqua vel angulata. Laeſio partium aliarum fracturae iuncta prognoſin diuerſimode variat.

MCCCLXXIV. *Curatio* fracturarum *perficitur* viribus naturae, *promouetur* auxiliis artis. In vniuerſum fracturae, eodem naturae artificio ſanantur, quam vulnera partium mollium, transſudatione nempe, conglutinatione ac vaſorum allongatione, quam in oſſibus ſequitur materiae terreſtris depoſitio. Ante vero quam chirurgiam harum docendam attingimus, videndum eſt, quo artificio natura vtatur, vt os diuiſum iterum conſolidetur vtque hiatus inter extrema expleatur. Vbi os quoddam fractum eſt, vtraque fracti extremitas, ex ſoluta ſubſtantia organica humorem ſanguinolentum effundit, qui confluens ſenſim in membranae primo glutinoſae, deinde coriaceae ſpeciem coiens, nunquam in veram cartilaginem degenerat; vaſa ſimul ab vtraque parte prolongantur, gluten congerunt, materiem terreſtrem lente accumulant, a quibus noua generatur ſubſtantia

oſſeae

osseae aemula, aliquando cortice laeui forato et meditullio pumicoso praedita, saepius tota solida, duritie naturalem ossium firmitatem superans, minus distincte tamen laminata, licet omnino organica. Vasa ab vtroque extremo osseo in incipientem callum penetrantia, et nudis oculis distinguere et microscopio armatis exactius obseruare licet. Eadem prolongatio vasorum ossis fracti de vtroque extremo, in injecto osse fracturam antea passo, partibus terrestribus acido detractis, osseque olei destillati ope pellucido reddito, cerni potest. Noua haec substantia *calli* nomine veniens, fragmenta firmiter conglutinat, pristinamque ossis integritatem et firmitatem restituit, licet morbo rarissime tamen remollescit aut carie dissoluitur. Quodsi autem ex vno tantum extremo profluat humor, vel confluxus ex vtroque extremo effusi impediatur, nullum callum gigni posse compertum est, vti dissolutio cariosa ossium, callus imperfectus vel plane nullus ossis sub amputatione membri transscissi et alia monstrant.

MCCCLXXV. Potest autem *callus peccare* defectu et excessu:

*a*) callus peccat *defectu*, quoties variae caussae mutuam humoris effusionem et confluxum, hincque calli formationem retardant vel omnino prohibent; harum praecipuae sunt:

*aa*)

*aa*) *peculiaris corporis habitus*, nondum rite determinatus, vtrum in debilitate ſolidorum, an in labe humorum, ſcorbutica, rhachitica, cancroſa, venerea, cet. vel in vtraque quaerendus.

*bb*) *disſceſſio extremitatum* oſſis fracti, quae confluxum effuſorum ex vaſis fractura ruptis impedit, atque adeo latera, haud vero extremitates partium diffractarum, ſibi inuicem contigua: caue vero, vt diſtantiae extremitatum oſſis fracti ſoli, difficilem calli generationem in genere adſcribas, ſiquidem, experientia teſte, tota oſſis cylindrici diaphyſis per callum reſtitui poteſt. Heic cenſenda potius venit ſeceſſio partium fractarum, quae circumjectas partes molles ſtringit adeo, vt obſtet confluxui liquidorum ex vtroque extremo oſſis fracti effuſorum.

*cc*) *fragmentorum* majorum a *perioſteo ſeparatio*, eorumque inde inducta *necroſis*.

*dd*) *membrana* ſingularis vel pars quaedam mollis extremis interpoſita. Interdum corpus molle, extremis fractis

fractis interpositum, pendet de sanguine effuso, lympha coagulabili haud resorpta, ad organisationem prona.

ee) *substantia cartilagini similis*, extremitates ossis fracti obducens, ex defectu quietis et lentiori formatione calli proueniens.

ff) *arctior* denique *deligatio* liberum sanguinis effluxum impediens. Mox itaque, a quo generatio calli minus rite succedat, incumbit chirurgo, vt inquirat, vtrum habitus corporis, ex comparatione sedula status praegressi cum praesenti determinandus; an situs extremorum perversus, exploratione externa sagaci facile dignoscendus; an denique membrana intermedia, ominanda ex defectu aut saltem obscuriori sensu crepitus, sub motu extremorum sibi oppositorum, in causa sint, deficientis calli.

b) *excessus calli* fere semper ex vitiosa extremorum distantia noscitur; etenim vbi extremitates fractae, rite reductae in situ debito ad perfectam concretionem vsque detinentur, tantillum generatur calli, vt et chirurgi sensum et ipsius anatomici perquisitionem saepe effugiat, nisi

nisi forsan aegroti praematuro innixu, callus adhuc mollis absque extremorum digressu ad latera expressus fuerit.

MCCCLXXVI. Omnis itaque fracturarum *chirurgia* versatur circa vires naturae medicatrices (MCCCLXXIV.) adjuuandas et dirigendas eo, vt fragmenta ossea firmiter et quantum fieri potest, absque difformitate aut molestia coalescant. Hinc ad quadruplex attendatur in chirurgia fracturarum, siue simplicium siue complicatarum, momentum:

*a*) primum *in conueniente quieto loco reponatur* aegrotus,

*b*) deinde *extrema ossis fracti ad inuicem adducantur et componantur*,

*c*) et *in hoc situ*, quamdiu res exigit, *detineantur*,

*d*) denique *symptomata auertantur* vel *mitigentur* et sequelae noxiae praepediantur.

MCCCLXXVII. Primo quidem saepe saepius opus est, vt aegrotus de loco, in quo passus est fracturam, ad alium, qui debitam tractationem admittat, *transportetur*, inque sedili vel lecto idoneo collocetur. Cautissime autem sub transportatione tractetur aeger, quemadmodum membrum fractum aequabilirer et firmiter subleuetur; dum vio-

violenta quaeque concuſſio, vel rudior contrectatio, vel frequens inflexio et attritus extremorum oſſis, grauiſſima ſymptomata inducere valeat, et haud raro plus damni inferat, ipſa fractura. Puluinari charta craſſiore circumdato commode excipitur, vel ferulis idoneis, ſi praeſto ſint, circumdatur crus fractum. Obſeruetur porro: vt *veſtimenta*, partem laeſam obtegentia, cautiſſime absque rudiore agitatione membri *auferantur*, arctiora inde calceamenta, tibialia cet., deſcindantur potius, quam imprudenti ac damnoſa parcimonia integra detrahantur. Aptiſſimus in vniuerſum ad curandas fracturas judicatur *lectus*, qui cum ſufficiente longitudine, non nimis largus eſt, vbique acceſſum facile admittens, ſtragulis planis duriuſculis inſtructus. Lecti e contrario plumoſi molliores, toties in praxi obuii, minus commodi merito habentur.

MCCCLXXVIII. Circa *reponendas* extremitates oſſis fracti ſequentia notanda ſunt:

*a*) vbi fragmina oſſea ab inuicem non receſſerint, nullus reductioni datur locus, vnde, niſi tumor inflammatorius obſtet, in tali caſu mox ad deligationem procedi poteſt;

*b*) ſi vero ſeceſſio fragmentorum repoſitionem poſcens adfuerit, haec ſtatim, antequam

tequam intumescentia vel phlogosis accedant, molienda est;

c) grauiore inflammatione, a stimulo violentiae praegressae, jam enata, ejus mitigatio exspectetur.

d) si vero recessio ac irritatio fragmentorum circa os fractum grauem jam induxerint inflammationem, vix hujus mitigatio, nisi ablata in antecessum causa irritante, exspectanda est, quare mox ad cautam repositionem fragmentorum recurratur.

e) quo reductio ossis fracti ipsa succedat facilior, membrum laesum dirigetur in situ, qui musculos in genere et operationi in specie renisuros relaxat, qui quidem situs ex cognitione anatomica partium innotescit.

MCCCLXXIX. Ipsa *reductio* sequenti modo peragitur: parte membri superiore, immobili, rite firmata, inferior mobilis recta linea, caute, lente, aequaliter extenditur, vi ad superandam musculorum resistentiam successiue aucta, donec restituta membri figura ac longitudine, fragmenta vel sua sponte in situm naturalem resiliunt, vel digitis seu palma reductoris facile adprimi queant. Quoties musculi partis laesae per situm idoneum rite

rite ſunt laxati, adjutor robuſtior, valet plerumque ſolis manubus extendere partem fractam ſufficienter; raro laqueo injecto, rariſſime machinis extenſoriis in luxationum chirurgia vberius deſcribendis opus eſt. Neque deſiſtat de extenſione chirurgus, antequam apparatus continens injectus fuerit, imo tunc etiam, ſenſim extenſionem remittat. Vim autem extendentem, ſi res concedit, inter fracturam atque proximum articulum ſolummodo agere debere, ne muſculorum relaxationi obſtet, neque per intermediam articulationem infringatur, quemadmodum et pro varia fracturae ſede et indole, extremorum figura et diſtantia ac muſculorum denique reſiſtentia, varium virium gradum eſſe ad extenſionem ſufficientem impendendum, ſua ſponte patet. Figura et directio partis adfectae exacte reſtitutae, et omnes inaequalitates rite adplanatae, reductionem ex voto peractam eſſe indicant. Proceſſus olecranon cubiti, patella, oſſa breuiora, plana, craſſa, fracta, ſub reductione omnino non extendenda ſunt, ſed ſimplicem inaequalitatum adplanationem, et extremorum adductionem requirunt, ſub ſitu membri laeſi fauente relaxationi muſculorum.

MCCCLXXX. Vt vero fragmenta redacta in ſitu naturali ad perfectam reunionem ſeruentur, praeter lectum idoneum jam (MCCCLXXVII.) expoſitum conferunt:

*a*) de-

*a*) *deligatio*;

*b*) *membri deligati pofitura*;

*c*) *fymptomatum denique et obftaculorum nafciturorum inhibitio cauta.*

MCCCLXXXI. *Apparatus deligationis* fracturas reductas firmaturae, varias requirit fafcias, ferulas, ligamenta, fplenia et puluinaria. Inter *fafcias* illa, quae ab octodecim capitibus nomen habet, ex tela linea fortiori vel melius lanea, quae ob mollitiem et elafticitatem praeferenda eft, diuerfimode ad figuram ac craffitiem membri concinnata, in omni fractura artuum inferiorum, etiam fimplici fafciae fic dictae circulari praferenda eft: neque in fracturis extremitatum fuperiorum omitti debet, fi aegrotus lecto adfigitur. Quippe multifida ifta vinctura, absque notabili membri adfecti incommodo, vel periculo feceffionis fragmentorum, auferri iterumque injici poteft, vnde frequentiorem fracturae infpectionem, in complicatis maxime neceffariam, admittit. Striae tamen laneae, vel lineae, haud inter fe nexae omnino huic fafciae praeferendae funt, cum fingulae melius absque incommodo commutari poffint, et absque rugis vel interftitiis commodius adplicentur. Fracturae fimplices extremitatum fuperiorum et articulationum prudentem vfum fafciarum circularium defiderant. Offium cranii ac trunci fracturae maxime fafciis contentiuis continen-

tinentur. Emplaſtra ac linimenta a fracturis merito repudiantur, quippe quae nil boni praeſtant, ſed perſpirationem impediendo, pruritum, puſtulas, quin imo phlogoſin inducendo, ſaepe vehementer nocent. Splenia variae figurae, longitudinis, craſſitiei, prout variae fracturae ratio, membri figura, morbi complicationes et ſymptomata poſtulant, ad partem laeſam aequandam, localem, ſi qua judicetur neceſſaria, compreſſionem, atque excipiendum pus inſeruire poſſunt. Abſtineat tamen, quoad fieri poteſt, chirurgus, a ſpleniis craſſioribus, ferularum compreſſione aequali obſtituris. *Ferulae* ad firmandum os fractum, minime ad comprimendum tumidum ac inflammatum fracturae locum, inſeruire debent; hinc breuiores rejiciantur: longiores vero vtrumque oſſis laeſi articulum excedentes, adque partis conformationem adcommodatae, ita vt excipiant eminentias ſeque demittant in concauitates, certiſſime praeferendae, pagina parti laeſae obuertenda rite obducta. Beneficium eſt talium ferularum, vt juſte injectis his, varii, cauti tamen membri laeſi motus maximo cum aegroti leuamine concedi poſſint. Ferulae optime conficiuntur e charta craſſiore, hae in aceto vel aqua emollitae, et ad partem laeſam alligatae, dum ſiccantur, figuram partis exactam retinent, niſi nimia ac inutili apparatus humectatione iterum

 emol-

emolliantur. Alii ferulas e bractea, ſtanno, corio ſeu ligno confectas commendant, eo nomine tamen, ex noſtro judicio, chartaceis longe inferiores, quod difficilius cum tanta exactitudine ad figuram partium confici poſſunt. Commendantur quoque ferulae, ex ſtriis pennarum balaenae, inter lintea ſutis, confectae, quae cum quadam elaſticitate formam membri adſumunt, et humiditatem ſimul ferunt. Ferulae figuntur parti laeſae *ligamentis lineis* latis, vel *loris coriaceis* illis adfixis. In fractura oſſium cylindricorum, praecipue extremitatum inferiorum, firmitatem deligationis ac immobilitatem membri auget *linteum plicatum*, majus, oſſe fracto longius, ex vtroque latere in *formam cylindri mollioris conuolutum* et ad partem laeſam ligamentis idoneis adligatum. Caeterum circa firmitatem adparatus notandum, in vniuerſum ſtrictiorem deligationem omnem nociuam eſſe, etiam vbi ferulae partes extremas et intermedias membri omnes quam exactiſſime excipiant. Figura membri naturalis, diminutio et abſentia doloris aliorumque ſymptomatum rite retineri fracturam indicant.

MCCCLXXXII. Membri deligati *ſitum* quod ſpectat, in genere talis eſſe debet, vt muſculi, quoad fieri poteſt, relaxentur, totum membrum aequaliter ac firmiter ſuſtineatur, ac aegroti commodo

modo profpiciatur; talis inde fitus in quo fuperficies quoque totius corporis in omni puncto aequaliter fuftinetur; quo minoribus punctis pondus corporis innititur, eo difficilius fitus, per longum temporis fpatium continuari poterit. Talis fitus eft horizontalis in dorfo, capite, haud thorace, paulo leuato. Interea indoles lectorum plumoforum, fitus vulneris ac commoda aegroti non raro mutare membri fracti fitum cogunt. Situs decliuis membri fracti ob fanguinis ad partem laefam accumulationem minus commodus merito habetur. Si fractura articulationis adfuerit, qua fanata anchylofis metuenda foret, fitus membri, fanata fractura minus moleftus eligendus erit; e. g. in fractura genu fitus extenfus, in fractura articulationis cubiti, inflexus.

MCCCLXXXIII. Circa *repetitionem* deligationis notandum: vt in vniuerfum rarior praeferenda fit frequentiori, praecipue vbi neque dolor vrget, nec longitudo membri mutata eft. Prudentia tamen jubet, vt triduo vel quatriduo elapfo apparatus deligationis fub exacta membri laefi quiete, et absque vlla extenfione ejusdem tentanda, foluatur, et in extremitatum offis fracti fitum inquiratur. Si fitum feruant extrema offis fracti, idem apparatus mox fimili modo injicitur, fi ab eodem recefferint, noua repofitio (MCCCLXXVIII.) inftituenda et vberiori deuiationi occurrendum eft.

MCCCLXXXIV. Vltima denique indicatio (MCCCLXXIX.) in eo verſatur, vt *ſymptomatibus atque ſequelis occurratur.* Egregium inde praeſidium ſub tractatione cujuscunque fracturae generatim poſitum eſt in exacta partis adfectae animique quiete, diaeta ſtricta neque tamen a ſolito vitae genere nimium recedente, aëre puro atque munditiei cura. In fractura ſimplice inflammatio et dolor breui ceſſare ſolent, neque facile inſurgunt ſymptomata peregrina, quamprimum extremitates fractae rite ſunt reductae et firmatae. Si vero aliquomodo complicata (MCCCLXXII.) fuerit fractura, varia accedere poſſunt, quae peculiarem chirurgi attentionem requirunt, quorum notabiliora ſunt:

a) *inflammatio grauis;*

b) *vulnus;*

c) *ſuppuratio;*

d) *fragminum ſeceſſio frequens;*

e) *eorundem per integumenta laeſa prominentia;*

f) *feſtucae auferendae;*

g) *haemorrhagia;*

h) *ſymptomata neruoſa;*

i) *gangraena;*

k) *luxatio;*

l) *calli vitia.*

MCCCLXXXV.

MCCCLXXXV. *Inflammatio*, fracturae comes, vel a ſtimulo violentiae et contuſionis praegreſſae inducitur, vel ab irritamento mechanico, extremis puta fractis diductis, feſtucis oſſeis, corporibus alienis, fouetur; contra priorem methodus antiphlogiſtica (CCCCLXV.) prudenter adhibita, hirudinum inprimis adplicatio valet; in poſteriori ablatio cauſae irritantis phlogoſin alentis ſimul requiritur; quo facto liberalis opii vſus interdum mire profuit, quid quod? gangraenam incipientem ſedauit: ſi ante inflammationis acceſſum vel ſub ejus mitiori gradu adueniat chirurgus, membro fracto rite diſpoſito, illa magna ex parte auerti vel pacari poteſt ſitu membri elevatiori, epithemate frigido, diſcutiente, adſtringente. Quod ſi vero jam ſub aduentu chirurgi grauior tumor ac inflammatio ad ſuppurationem vergens, vel vulnus contuſum, laceratum notabile adſint, mox ad emollientia recurratur, neque intempeſtiuis et repetitis ſanguinis miſſionibus vires aegroti ſuppurationi futurae impares reddantur.

MCCCLXXXVI. Vulnera in membro fracto obuia, aut violentiae praegreſſae effectus ſunt, aut ab extremis oſſis fracti diductis vel a feſtucis oſſeis inducuntur. Priora, licet contuſa, lacerata, omnino tentamen citae reunionis emplaſtri

ac

ac fasciarum ope requirunt. Neque in posterioribus plane rejicenda erit haecce medendi ratio; osse nimirum rite reposito, ablatis festucis solutis ac corporibus alienis, atque sedata haemorrhagia, tentari poterit reunio vulneris, saepe quidem haud succedens, innocua tamen, et si obtineatur grauissima mala auertens, arcendo aëris externi, omnino nociui, contactum. Methodum antiphlogisticam prudenter adhibitam, atque hirudinum applicationem hic multum facere, per se patet.

MCCCLXXXVII. Leuis *suppuratio* simplicium abscessum (DCLXXXVIII.) et vlcerum (DCCXXIII.) medelam, nimia vero attentissimam partis adfectae perlustrationem, fontem purulentiae indagandum, et patulam effluentis puris viam poscit, quo caries ossis fracti, periosteo haud raro orbati, et puris resorptio auertantur. Effluxus puris facilitatur et resorptio praepeditur incisione tempestiua, dilatatione varia, corporum alienorum extractione, situ idoneo, splenia vel lintea carpta ad sinus admouendo, deligatione frequentiore, laxiore. Requirit quoque nimis copiosa suppuratio, vt emollientia vitentur, vtque vires diaeta nutriente et cortice peruuiano intus assumpto sustententur. Neque negligantur cautelae, sub chirurgia suppurationis nimiae antea (DCCCLXXXVI.) exposita. Pus excipiatur spleniis, linteo carpto, spon-

ſpongia, linteo cerato, ne faſciae inquinentur, atque adeo frequentioris deligationis neceſſitas naſcatur.

MCCCLXXXVIII. Rite licet ad regulas artis (MCCCLXXXII.) peracta reductione, etiam ſub debito membri ſitu, *extrema oſſis fracti iterum ſecedere* poſſunt: contingit autem haec diſceſſio quam ſaepiſſime

*a*) in oſſibus multis muſculis circumdatis, partim dum per hos, nec leuis quaeque deuiatio diſtingui, partim dum apparatus continens neque per tot carnes circumdantes in ipſum os ſufficienter agere poteſt.

*b*) in fractura valde obliqua, vis muſculorum inſita vel a ſtimulo violentiae praegreſſae ſeu ipſius fracturae excitata, partem inferiorem mobilem oſſis fracti ſurſum trahit.

*c*) ſi figura membri a cylindrica recedens, juſto apparatu minus rite applanata fuerit, ſeu ferulae ad extrema oſſis fracti minus ſolicite fuerint aptatae.

*d*) ſi aegrotus debitam quietem negligat, recuſet, et intempeſtiuo corporis et membri laeſi motu extremitates oſſis fractas dimouet.

*e*) ſi

*e*) ſi quieti neceſſariae indulgere aegrum vetant ſymptomata alia praeſentia vel ſuperuenientia, e. g. ſubſultus nocturni, tuſſis, vomitus, ſpasmi, diarrhoea, etc.

*f*) denique perdifficile paratur ſitus idoneus et auertitur diſceſſio fragminum oſſibus a rhachitide praeuia incuruatis, fractis.

*Occurritur* huic complicationi maxime ſitu membri laeſi conueniente, muſculorum relaxationi fauente, ferulis idoneis, ſpleniolis firmioribus ad locum deuiationis admotis, deligatione quantum res concedit paullum ſtrictiore, nocentium exacta euitatione, ablatione cauſae per therapiam conuenientem. Machinamenta varia, ingenioſiſſima licet, ad ſuſtinendam extenſionem membri fracti inuenta, et rite admota, vix diu absque grauiori moleſtia feruntur: ad tempus quidem optatum ſatis praeſtant effectum; diutius vero, vbi circumſtantiae exigunt, adhibita, cutis irritationem, excoriationem, inflammationem hujusque ſequelas, oedema et varia alia, eaque grauia incommoda inducere ſolent. Alligationem extremitatum inferiorem ad ſe invicem deuiationem fracturae efficaciſſime auertere, certis atque indubiis experimentis conſtat.

MCCCLXXXIX. Parte oſſis fracti *per integumenta prominente*, quod ſaepius in fracturis extremi-

mitatum inferiorum contingit, ne fiat reductio ante dilatatum vulnus: extenfio namque coarctat hiatum partium mollium externum, et majorem minatur disruptionem harum, imo hae interdum inter extremitates offis fracti fub reductione protrahuntur: majores et acutiores angulos offis fracti interdum refecare cogunt neceffitas et commoda partium mollium circumjectarum. Si ambitus vulneris attente exploretur, faepe partem mollem, laxam, cauam fentire licet, qui locus diffolutionem profundiorem indicat, et incifus faciliorem offis reductionem admittit.

MCCCXC. *Fragmenta offea* penitus ab omni cohaerentia cum reliquis *foluta*, periofteo deftituta, ob figuram ac fitum nocitura, deinde non fecus ac corpora aliena, quam primum res fert, ante primam quoque deligationem, prudenter remoueantur; fin minus hoc tempeftiue obferuetur, a necrofi partis offeae folutae fiftulae vel caries furgunt, diuturnas atque taediofiffimas moleftias creantes, vel offis fracti concretio impeditur. Fragmenta e contrario cum partibus mollibus ac periofteo cohaerentia, omnino reponenda funt, quo eorum reunio ope calli eo facilior fuccedat. In ipfa offis comminutione reunionem fuccedere poffe multiplex experientia docuit, quare mitior haecce medela femper tentanda erit, vrgentibus

vero

vero ſymptomatibus inflammatoriis, neruoſis, vel abſceſſibus, explorandus eſt mali fomes et fragmenta oſſea ſoluta auferenda. Tota oſſis cylindrici diaphyſis ablata viſa fuit reſtituta callo, absque longitudine membri naturali notabiliter diminuta.

MCCCXCI. Vaſa ſanguifera majora arterioſa, venoſa vel a violentia praegreſſa, vel a fragmentis oſſeis laedi, lacerari poſſunt, vnde inſurgit *haemorrhagia* aut *externa*, ſanguine e vulnere prorumpente, aut *interna* cruore in cellulosa accumulato. Vterque ſtatus dignoſcendus ſignis ſuis characteriſticis (MXI.) expoſitis, poſcit therapiam indicatam in chirurgia vulnerum arteriarum atque venarum (MXVII.) ſaepiſſime vulneris dilatationem poſcit, partim, vt cruor effuſus mora ac decompoſitione omnino nociuus educatur, partim vt vas laeſum detegi, atque ſi res concedit, ligatura conſtringi poſſit. Talis ligatura in nonnullis arteriis vti arteria radiali, et tibiali antica ſatis facile ſuccedit, in aliis laeſio difficillime attingitur, et ſaepius recrudeſcente haemorrhagia, interdum inducit neceſſitatem triſtem amputandi membrum. Profluuium ſanguinis modicum, ſalutare minime coërcendum. *Sugillatio* et *ecchymoſis*, cujusque fracturae comites et effectus, remedio frigido, adſtringente, diſcutiente reſoluuntur.

MCCCXCII.

MCCCXCII. Laeſio nerui majoris, maxime diuiſio imperfecta, imo etiam ſimplex irritatio juga, a cauſa externa contundente, a fragmentis oſſis dimotis, ab effuſis fluidis, a laceratione partium mollium, ligamentorum, expanſionum aponeuroticarum, tendinum, orta, non raro *ſymptomata* accerſet dira *neruoſa*, dolores nimirum grauiſſimos, febres intenſiſſimas, deliria, ſpasmos, conuulſiones etc. (MLXXII.) expoſita, ſaepe letifera. Ancipiti huic ſtatui ſtrenue et tempeſtiue opponatur therapia in chirurgia tetani (CCCCIX.), laeſione neruorum (MLXXIII.), vulnerum tendinum et ligamentorum (MLXXV.) expoſita; largior inprimis ac congrua inciſio vel vulneris dilatatio, qua humores effuſi educantur, neruus laeſus, tenſus, irritatus, plane diuidatur, inſtituatur: diriſſimis ſymptomatibus perſiſtentibus, miſerum at incertum in ſola amputatione membri refugium ſupereſt vnicum.

MCCCXCIII. Fracturam comminutam, prope articulum praecipue, cum notabili partium mollium dilaceratione, cito interdum ſequitur *gangraena* ſuperficialis, profunda, totam denique partem adfectam conſumens. Status hic noſcitur, ſi praegreſſae grauiſſimae inflammationi ſuperueniat emphyſema, oedema, ſi color cutis ex natiuo phlogiſtico vel hydropico, in atro rubrum vel

vel pallidum, deinde liuidum gryſeum, deniqu nigricantem tranſeat; ſi epidermis a cute ſece dat, ſquamas vel veſiculas formet, prodeunt vna ichore ſubrubicundo, pallide flauo, ac deni que atro et liuido; certiſſime vero, ſi pars nul lius amplius vitae particeps frigeſcat, molleſcat flacceſcat et eam putrida ac foediſſima diſſolutic cadaueroſa inuadat; quae quidem omnia gangrae nae ſigna, vti quoque in reliquo corpore obuia, alio in loco fuſius enumerabuntur. Interdum ex ipſius laeſionis grauitate, comparata cum habitu aegroti, praeſagire malum licet.

MCCCXCIV. *Therapia gangraenae*, fracturae complicatae effectus, ad variam morbi rationem, ſymptomatumque indolem *adornanda* erit. Gangraena interdum inflammationis grauiſſimae ſequela, ſub *pulſu duro*, *forti*, *pleno* accedit; interdum absque grauiori inflammatione, ſub dolore ac ſpasmo, *pulſu celeri*, *paruo*, in ſubjectis debilibus, potu ſpirituoſo adſuetis, quibus magnus ſenſilitatis ac irritabilitatis gradus ineſt, inſurgit; interdum gangraena, immediata *laeſionis ſequela* eſt, qua vires vitales ſupprimuntur, absque notabili phlogoſi: In priori ſtatu, methodus antiphlogiſtica, in ſecundo china, opium ac vinum generoſum, majori quidem doſi *adhibeantur*. *Auerti* haud raro poteſt gangraena tempe-

ſtiua

tiua ac prudenti methodo antiphlogiſtica, opii iberali vſu, ſtimuli mechanici cujusuis ablatione, ıocentium variorum euitatione, remotione indi-:atis; corticis peruuiani aliorumque antiſeptico-:um vſu juſto externo, interno, aliisque, quae n chirurgia gangraenae alio loco vberius expo-ıentur. Eadem indicatio locum habet in limi-:atione gangraenae jam praeſentis, atque ſepara-ione corrupti. Interdum neceſſitas cogit, re-:urrere ad reſectionem membri adfecti totius.

MCCCXCV. Notabilem aeque ac difficilem :omplicationem plerumque ſiſtit *luxatio oſſis fracti* ına cum fractura contingens: interdum quidem xtremitas articulatoria oſſis, e cauitate articula-ionis planiori elapſa, poteſt relocari absque vio-entia ſub ſitu conueniente membri, etiam vbi ractura ſimul adeſt; ſin minus autem, extenſio, lias ad luxationes reducendas neceſſaria, in oſſe racto omnino non tentanda eſt, ſed fractura ſa-anda prior: deinde ea adhibenda ſunt, quae ub luxationis inueteratae chirurgia alio loco di-entur.

MCCCXCVI. Variis *calli vitiis* medetur the-apia oppoſita cauſſae efficienti, rite detectae. ic *deficientis* vbertas promouetur, corrigendo ha-itum morboſum congruis auxiliis; vires dejectas iaeta reſtaurante erigendo; fragmenta oſſea ob-

ſta-

ſtaculum faceſſentia auferendo; angulos fruſtorum fractorum exacte jungendo et ſolicite continendo; membranam inter fragmenta mediam, cujus ſuſpicionem mouet crepitus obſcurior ſub agitatione cauta oſſis fracti, poſt inciſas rite partes molles remouendo; cruſtam alterutrum vel vtrumque fracturae extremum obducentem, frequenti partium fractarum ad inuicem attritu delendo, ſerrula cautiſſime reſecando, vel cauſtico potentiali, quam circumſpectiſſime, deſtruendo, in vniuerſum denique deligatione laxiori. Remedia ſpecifica virtute per eminentiam callum genitura nondum inuenta ſunt. *Exceſſus calli* minime circulari fracturae conſtrictione externa coërcetur, ſed rita fragmentorum coaptatione et continentia praepeditur.

MCCCXCVII. Fracturae complicatae interdum ad triſtem cogunt membrum fractum *amputandi neceſſitatem:* ad hanc autem operationem tunc vnice in chirurgia fracturarum cito confugiatur, vbi grauiſſima oſſis comminutio prope articulum adfuerit, vaſa majora, haud detegenda vel liganda, nerui, muſculi, tendines majores, ligamenta lacerata membrumque frigidum inſenſile fuerit. Duro vero hocce auxilio vti non licet, quoties cauſa effectusue morbi amputatione penitus amoueri nequit, vel aliqualis partem affectam

fectam servandi spes superest. Sunt tamen miseri, qui membrum post restitutionem vtcunque demum obtentam inutile et molestum futurum resecandum malunt.

MCCCXCVIII. Quoad necessitatem amputationis membri fracti, multa pendent de circumstantiis sub tractatione obuiis. Inde in campis, nauibus, nosocomiis ad tristem hanc medendi rationem recurrere licet, ad quam in priuata praxi refugere haud conuenit. Neque aliqualis dilatio amputationis, nisi grauissima vrgeant symptomata, experientia teste nocere solet; cum aegroti, viribus in antecessum quodammodo fractis, quin jam febre lenta laborantes, saepissime melius ferant operationem, quam robusti, sani. Praeterea mentis turbae a laesione praegressa et amputationis metu post aliquod tempus, minus extimescendae erunt.

MCCCXCIX. *Consecutiuis symptomatibus* (MCCCXII.) fracturae ad eorum indolem vario modo *occurritur*, et quidem deformitas membri, ejusue minuta vel aucta longitudo omnino auerti poterit, congrua extremorum ossis fracti coaptatione ac situ membri conuenienti, quod et tunc quoque per majorem vim adhibitam succedere potest, si callus jam tenacitatem quandam contraxerit. Plane vero indurato callo, malum me-

rito

rito habetur immedicabile, dum ossa fracta, postquam perfecte coaluerint, robustiora euadunt, nec facile franguntur iterum. Remedia externa, mercurialia, balnea vaporosa, emollientia, aquam calidam ad callum jam formatum iterum dissoluendum ac emolliendum valitura vix et ne vix quidem fidem merentur, quanquam morbo scorbutico inprimis et carie iterum solui posse callum, constat. Oedema, caries, anchylosis, paralysis, atrophia aliaque symptomata curationem fracturae interdum sequentia, talium morborum specialem therapiam poscunt. Ossis fracti firmitate plane restituta, partibus debilitatis robur ac energiam addunt frigida topica et frequens ac circumspecta membri agitatio.

MCCCC. Quae hactenus de fracturis in genere proposuimus, facili negotio ad speciales adplicari poterunt; attamen cum in singulis fracturis varia occurrant, ex allatis vix deducenda, de fracturis in specie nonnulla succincte subjungemus.

## Fractura in specie.

MCCCCI. De fracturis atque fissuris cranii variis sub pertractatione vulnerum capitis (MCXI.) jam antea fusius actum fuit; quare jam ad *fracturas ossium faciei* in specie mox progredimur, exposi-

posituri deinceps de fracturis *ossium constituentium truncum* corporis humani, ac denique de illis *extremitatum superiorum inferiorumque.*

## *Fractura ossium nasi.*

MCCCCII. Pars inferior vtriusque *ossis nasi*, prae superiore, a violentia quacunque externa *frangi* potest ob hujus soliditatem osseam minorem, sustentaculum infirmius et prominentiam longe majorem. Fractura *vnum* aut *vtrumque os nasi* diuidens vel *simplex* est, nullis nisi necessariis fracturae cujusuis symptomatibus stipata: vel *complicatur* a tumore majori, depressione ossis fracti, loquendi atque spirandi difficultate, haemorrhagia externa, interna, vulnere, discessione cartilaginis, confracta lamina perpendiculari ossis cribrosi, alioue osse vicino; adfectione praeternaturali denique cerebri qualicunque, non rara in communi vtriusque ossis nasalis fractura. *Diagnosis ossis nasalis fracti* desumitur a violentia praegressa, signis sensualibus visu tactuque indagandis; quo magis intumuerint partes laesae, eo difficilior peragitur, interdum non nisi subsidente demum inflammatione dijudicatur certa. *Prognosis* pro complicatione morbi variat; fractura partis superioris omnino deterior habetur illa inferioris ob vicinitatem cerebri; in genere prognosis sequitur indolem ac grauitatem symptomatum.

matum. Si grauior fuerit laesio, fractura ossium nasalium, etiam maxima cum solertia tractata atque curata, tamen plerumque aliqualem linquit narium difformitatem persistentem.

MCCCCIII. Morbi *chirurgia* citam fragmentorum, si a se inuicem recesserint, adaptationem requirit instituendam, vbi res concedit, ante axcessum tumoris inflammatorii, non neglectis interea ante (MCCCLXXXIV.) monitis. Ipsa vero *reductio* fragminum sequenti encheiresi instituitur: aegroto in situ idoneo collocato vel super lectulum reclinato, facie ad lucem obuersa, capite ab adjuuante quodam retento, chirurgus inducta in nasum spatula, seu specillo majori inuoluto linteis, fragmenta ossea depressa ad situm naturalem eleuat, applicatis extrinsecus pollice et indice manus alterius; si vtrumque os nasi diffractum fuerit, eleuentur prius partes depressae vnius et mox deinde alterius lateris. Si septum narium simul fractum, aut lateraliter inclinatum deprehendatur, stylo seu spatula in nares vtriusque lateris immissa, quantum res concedit, in situm naturalem dirigitur. Ne vero concidant iterum ossa nasi fracta eleuata, nares linamentis in longitudinem complicatis, seu pro aëris transitu libero per nares simul seruando, tubulis emplastro obductis quodammodo obturantur. Admo-

tis

tis deinde externe ad latera nasi spleniolis, liquido idoneo imbutis, splenio majori obtegitur nasus, et apparatus emplastris adhaesiuis ad radicem nasi se decussantibus firmatur, omnia denique simplicissima fascia continente obteguntur. Alii malunt continere apparatum fascia, quae sub nomine accipitris innotuit.

MCCCCIV. *Symptomatibus* tam *primitiuis*, scilicet ossis comminutioni, inflammationi grauissimae, vulneri, haemorrhagiae, cerebri commotioni; quam *consecutiuis*, partium nempe mollium ac ipsius ossis vlceri, polypo, narium angustationi etc. *occurritur* ad methodum partim antea expositam, partim alio loco docendam.

## *Fractura arcus zygomatici.*

MCCCCV. *Fractura jugi zygomatici* a qualicunque violentia externa praegressa, haud raro vicinorum ossium laesioni juncta est. Saepissime, si fragmenta non longe a se inuicem recesserint, sanatur viribus naturae adjutis a solo apparatu contentiuo, remediisque generalibus indicatis, ac maxillae quiete. Diductis contra haec fragmentis, ob vicinorum neruorum irritationem jugam, interdum insurgunt symptomata neruosa grauia, quin lethalia, nullis remediis, nisi festucae osseae, eleuatione partis depressae, eleuatorii ope,

 adap-

adaptatione, extractione per vulnus, quod adfuerit, aut incifione facta, fedanda.

## *Fractura maxillae fuperioris.*

MCCCCVI. *Offis maxillaris fractura* vel in corpore hujus vel in proceffu alueolari contingere poteft: prior, nifi aperto fimul finu maxillari, vix infignem fragmentorum *deuiationem* admittit; margo alueolaris vero, fub dentium vacillatione, folutione, feparatione ad oris cavum inuerti poteft; qui ftatus debitam marginis offei ac dentium *adaptationem*, ope digitorum, pollicis ac indicis in os aegroti immittendorum, requirit; neque auferantur dentes, qui quodammodo feruari poffunt. Dens in ipfo fracturae loco obuius, interdum inter margines fracturae depreffus, auferendus erit, cum inftar corporis alieni agat, et fanationi fracturae obftet. *Apparatum* conftituunt fplenia ex liquido expreffa, ac fafcia quatuor capitibus inftructa, qua exacta maxillae quies feruatur. Si dentes maxillae inferioris deficiant, pars marginis alueolaris, foluta, vacillans, immiffo inter maxillas fplenio vel fpongia, in fitu idoneo retinetur. Nutriatur interea aeger jufculis variis, absque maxillae motu hauriendis, vel quoque injiciendis, ac clysmatibus nutrientibus, non neglecta fymptomatum therapia expofita.

*Frac-*

## Fractura maxillae inferioris.

MCCCCVII. *Maxilla inferior* ob majorem firmitatem reliquis ossibus difficilius quidem *frangitur*, quotiescunque tamen talis fractura a violentia grauiori externa contingit, vel in vno, vel in vtroque latere, vel in media parte ossis fractura adesse, vel denique comminutionem subire potest maxilla. Fragmenta heic parum a se inuicem distrahere solet vis musculorum: sub grauissima tamen violentia ex natiua sede dimoueri possunt. Si in vno latere adfuerit fractura, extrema fracta vix a se invicem recedunt; si in vtroque latere, fracta, vel communitionem passa fuerit maxilla, pars media, musculorum ope, qui ad marginem et superficiem interiorem menti inseruntur, deorsum et ad posteriora detrahitur. Status hic visu, tactu, situ dentium pristino mutato, satis facile *dignoscitur*; quodsi vero frusta non dimota sunt, sub cauto mandibulae motu difficilius *dijudicatur* fractura. Praeter solita fracturarum *symptomata*, heic neruosa quoque, spasmi praecipue a neruorum tensione ac irritatione adesse solent, aut haemorrhagia a ruptura arteriae in ductu maxillari latentis.

MCCCCVIII. *Chirurgia* hujus fracturae requirit:

*a*) vt ossa dimota rite *reponantur*,

*b*) fra-

*b*) fractura *deligetur*, et

*c*) *ſymptomatibus* denique *occurratur.*

Aegroto in ſitu idoneo collocato, pollex et index alterius manus chirurgi in os apertum aegroti immittuntur, altera vero manus extrinſecus admouenda; ſic vtriusque manus adjumento caute reprimenda ſunt maxillae fragmenta dimota, donec in priſtinam ſedem *repoſita* eſſe et figura maxillae reſtituta, et dentium ſitus naturalis, doceant; extenſio, quoties hac opus eſt, indice pone dentes inciſiuos applicato commode perficitur. Dentes luxati, quique in ſuis alueolis cito depreſſi, et vbi judicatur neceſſarium, ad vicinos filo aureo vel alio cerato alligati, iterum firmari ſolent. Hic quoque dens in ipſa fractura depreſſus illius ablationem poſcit. Fractura duplex eandem deinde reductionis encheireſin in oppoſito latere peragendam poſcit. Oppido liquet, fruſta non dimota nec repoſitionis vllius egere.

MCCCCIX. Oſſibus fractis repoſitis ſplenium ex liquido idoneo (MCCCXXV.) expreſſum imponitur, et ſuper hoc aliud alligatum ad chartam craſſiorem, rigidiorem, efformatam et flexam idonea pro figura maxillae, dimidia, ſi vna, aut totius, ſi duplex adſit maxillae fractura, nec non figura menti ſimul exactiſſime recipienda. Apparatus denique faſcia quadricipiti firmatur.

Talis

Talis fascia omnino ad retinendam maxillam inferiorem fractam sufficit, fragmina etenim hujus semel rite reposita non facile dilabuntur. *Symptomatibus* primitiuis atque consecutiuis *occurritur* remediis generalibus, sub exacta mandibulae quiete, masticationis et loquelae euitatione, corporis nutritione alimentis fluidis, chlysmatibus; idoneo et cauta ab omni faciei aut malarum incubitu abstinentia. Symphisis maxillaris in infantibus ab injuria quadam externa soluta, eandem therapiam poscit.

## *Fractura capitis laryngis et ossis Hyoidei.*

MCCCCX. *Fractura capitis laryngis*, cartilaginis nimirum thyroideae et annularis, raro quidem obúia, accidere tamen potest, si injuria externa, magno virium et velocitatis gradu in laryngis caput solum agit. Morbus si impressione notabili, vel fragminum depressione junctus fuerit, ob impeditum aëris transitum, et sanguinis in tracheam effusionem, citissime suffocantur aegri. Si a fractura, laryngis cauum coarctatum haud occlusum fuerit, vix manipulatione externa partes in situm idoneum reduci possunt. Sola vitae seruandae ratio hic de tempestiua tracheotomia pendet, qua facta stylo immisso, par-

tes

tes depressae extrorsum duci poterunt, et suffocatio simul auerti. Operatio si haud tempestiue instituatur, accedente inflammatione, angina laryngea pereunt miseri. Rarius adhuc *fractura ossis hyoidei* ob profundiorem situm atque majorem mobilitatem occurrit. Vidimus tamen os hyoideum, in quo vestigium fracturae praegressae haud dubium, cum notabili callo aderat.

## *Fractura ossis sterni.*

MCCCCXI. Os *sternum* a grauiore injuria externa deprimi, imo *frangi* potest vel cum vel absque fragmentorum deuiatione. *Noscitur fractum* ab ossis praeternaturali mobilitate, strepitu sub respiratione distinguendo, extremitate inferiori praecipue per se magis mobili depressa, vel infra marginem partis superioris ducta, et inaequalitatibus simul insolitis extus tangendis. *Symptomata* talis fracturae haud raro sunt dolor pectoris grauis, respiratio, inspiratio inprimis, difficilis, laboriosa, anxia; tussis vehemens; palpitatio cordis; sanguinis ex ore, vel in praecordia, vel intra ipsum mediastinum effusio, suffocationis metus, ipsa suffocatio. Fracturam sterni interdum sequuntur inflammatio pleurae, pericardii, pulmonum, ipsius cordis; abscessus pone sternum, in mediastino; caries ossis; fistulae; phthisis pulmonalis.

MCCCCXII.

MCCCCXII. Fractura ſterni *ſimplex* praeter generalem fracturarum therapiam ac methodum antiphlogiſticam expoſitas, nil niſi apparatum contentiuum, ſcapularis idonei injectionem, ſub debito regimine ac corporis quiete *requirit: depreſſio* vero oſſis fracti vrgentibus ſymptomatibus *citam* poſcit *eleuationem*, quae ſola certum mortis periculum heic auertere valet. Aegroto itaque in ſedili collocato, retrorſum ab adjuuante ductis ſcapulis, vtraque thoracis latera ſimul a chirurgo paullo vehementius comprimuntur; hac preſſione verſus anteriorem partem truduntur coſtae, et deſidentes ſterni partes in ſedem priſtinam ſaepe compelluntur. Sin minus lenior haecce medendi ratio votis reſpondeat, neceſſitas cogit tentare eleuationem fragminis depreſſi, terebra poſt partes molles rite inciſas lente ac caute oſſi intorta: denique, quod ſaepiſſime accidit, ſpem fruſtrante etiam hac encheireſi, os ſterni trepano ad marginem fracturae ſuperiorem eleuatiorem perforandum eſt, quo facto non modo eleuatorium per hoc orificium introducere, et partem impreſſam licet attollere, modo in chirurgia vulnerum capitis fuſius expoſito, ſed humoribus effuſis quoque per hoc exitum parare. Symptomatibus futuris ad eorum therapiam in empyematis DCCLXVI.), et vulnerum thoracis (MCCLXXX.) pertractione expoſitam occurritur.

*Frac-*

## *Fractura coſtarum.*

MCCCCXIII. Coſtarum *fractura* a violentia externa, in anteriori, media, poſteriori parte, in ipſo injuriae illatae loco, vel alio, in vna vel pluribus coſtis contingere poteſt: ſaepiſſime accidit, vt a vi in anteriorem coſtae partem agente pars media frangatur. Coſta fracta extremitates fragminum a ſeſe diſcedunt, vel minus: ſi prius, oſſa fracta vel introrſum cauitatem pectoris verſus coguntur, vel prominent ad extus. *Signa coſtae fractae absque deuiatione* extremorum vix vlla ſunt certa, et haec fractura ſaepius non dignota ſolis naturae viribus coaleſcit. Fractura *extrorſum prominens* a tactu eminentiae durioris ac perceptione ſtridoris, a ſtrepitu emphyſematis compreſſi rite diſtinguendi, *cognoſcitur*, neque in hoc caſu ſymptomata grauiora adeſſe ſolent. *Introrſum pulſa* efficit cauitatem externam tactu diſtinguendam, quoties inſignior partium mollium tumor non obſtat, et ſtridorem fragminum commotorum plerumque percipiendum auribus, et ſenſu: cauitatem pectoris intrans fractura coſtarum, haud raro grauiſſima creat ſymptomata, a partium vicinarum, pleurae, pulmonis, neruorum, arteriae intercoſtalis laeſione, irritatione ſcatentia, vel a pleurae de coſtis in majori ambitu ſolutione, cujusmodi ſunt dolor loci adfecti punctorius, acutiſſimus, ſpirandi difficultas ſumma,

ma, tuſſis, inflammatio grauis, ſputum cruentum, effuſio ſanguinis e vulnere externo (MCCLXXXIV.) in cauum pleurae (MCCCLXXXVIII.), in celluloſam (MCCCLXXXV.); emphyſema (MCCLCV.) aliaque quae maximas vitae inſidias ſtruunt. Succedunt interdum abſceſſus major, qui cordis atque arteriarum pulſationes transmittens aneurisma mentiri valet, empyema (DCCXLVI.), phthiſis, fiſtula inſanabilis (DCCCLXXX.), oſſium caries (DCCCCL.), plurium coſtarum concretio. Fractura coſtarum prope vertebras ob partes ſuperjacentes craſſiores vix niſi a ſignis rationalibus dignoſcitur.

MCCCCXIV. *Therapia* chirurgica *coſtae fractae*, cujus extrema haud a ſe receſſerint, vix praeter generalem, quae fracturis atque contuſionibus conuenire antea expoſuimus, vllam requirit. Extremis oſſeis fractis extrorſum prominentibus, fragmina ſeceſſa digitis in ſedem naturalem blande compellenda, ſuperinjectis ſpleniis craſſioribus tegenda, et mantili atque ſcapulari firmanda ſunt. Longe difficilior eleuatio fragminum coſtalium intro in pectus ceſſorum ſuccedit. Interdum quidem ſitus naturalis reſtituitur, ſi vtraque et anterior et poſterior pars coſtarum laeſarum manibus chirurgi comprimitur atque tantillum concutitur; ſaepiſſime tamen ob ſymptoma-

tum

tum vehementiam, incisis ad modum (MCCCVIII.) expositum integumentis ac partibus intercostalibus, ope eleuatorii, quo ad cranium depressum (MCCXXVII.) vtimur, partem depressam ad situm naturalem attollere cogimur. Hoc facto, rite deligatur vulnus (MCCII.) obtegiturque splenio tenuiori: deinde splenia vltra pollicem crassa ad extremitatem anteriorem et caput costarum applicantur et apparatus totus fascia scapulari locum fractum haud comprimente firmatur. Fragmina siue festucae, acuta, a reliquis penitus soluta, pleuram, pulmones irritantia, volsella, digito, hamulo, vel quauis demum alia ratione idonea, per factam incisionem extrahantur: sin minus id fiat, in maximo vitae discrimine versantur aegri. Haemorrhagia, sanguinis in pectore effusio, empyema aliaque symptomata dicta therapiam poscunt, alio loco expositam.

## *Fractura vertebrarum.*

MCCCCXV. *Vertebrarum* processus spinosi, obliqui, transuersi, vel denique ipsa corpora, possunt ab injuria externa *frangi.* Fractura spinarum quodammodo *cognoscitur* sensu tactus, visus atque auditus ipso, quoties tumor partium mollium non obstat, reliquae vertebrarum fracturae vix, nisi a rationalibus signis, dijudicantur. Spinae vertebrarum fractae, si situm mutauerint, sae-

piſſime digitis chirurgi in ſede priſtina reponi poterunt et injectis deinde, ad latera ſpinae dorſi, ſpleniis anguſtioribus, chartae craſſiſſimae lamellis, atque mantili cum ſcapulari retineri. Alia vertebrarum pars fracta ob medullae vertebralis variam commotionem, compreſſionem, irritationem, laeſionem, ſaepiſſime grauiſſima in organis intra et juxta vertebras ſitis inducit ſymptomata, illis, quae encephali varia laeſio inducit, ſatis analoga, qualia ſunt: ſpasmi, ſenſus motusque abolitiones, gangraena, mors. Quae ſymptomata tanto quidem pejora ſunt propter ſedem mali vix auxilio externo attingendam. Quo propinquiores ad caput ſitae ſunt vertebrae, quae franguntur, tanto citius vita periclitatur laeſi. Fractura vertebrarum colli praecipue ſuperiorum, vel proceſſus odontoidei, ſeu ruptura ligamenti illum continentis, eodem ſaepe laeſionis momento ſolet necare. Fragmentorum medullam vrgentium extractionem, difficillimum certe opus, per inciſionem factam cum ſucceſſo inſtitutam fuiſſe legimus.

## *Fractura oſſis ſacri et coccygis.*

MCCCCXVI. *Pars ſuperior oſſis ſacri* rariſſime ob inſignem craſſitiem *frangitur;* fracta autem ſequitur conditionem vertebrae fractae. *Pars inferior* hujus oſſis et os coccygis fracta, cum extremi

tremi fragminum depreſſione, diſceſſa reponuntur digito indice chirurgi oleo imbuto, in inteſtinum rectum immiſſo, extus reſiſtentibus alterius manus digitis; repoſita juſte, immiſſis ſpleniis ac ſimplici faſcia T formi, continentur, modo caueatur interea vt nec dorſo incumbat nec natibus inſideat aeger.

## *Fractura oſſis innominati.*

MCCCCXVII. *Fractura oſſis innominati* rarisſime occurrit; a grauiſſima injuria externa autem contingens ob coincidentem plerumque laeſionem viſcerum abdominalium ac medullae ſpinalis, grauiſſima haud raro gignit ſymptomata, ſaepius lethifera. Fragmenta in vniuerſum parum a ſe recedere ſolent, ſi vero receſſerint, os fractum difficillime manibus relocatur, nec apparatus continens ad retinenda oſſa multum facit. Heic itaque remediis praecipue pugnetur, quae ſymptomatibus compeſcendis judicantur efficaciſſima. A ſaltu ex alto, crure extenſo, caput oſſis femoris per fractam cauitatem, cotyloideam, ſub notabili longitudinis membri diminutione, in ipſum cauum abdominis tranſit ſub lethali euentu.

## *Fractura clauiculae.*

MCCCCXVIII. Oſſa *clauiculae* ob ſitum transuerſum atque naturalem tenuitatem facillime *franguntur*

*guntur* vel in media parte, vel in extremo thoracico, vel denique in extremo ſcapulari. Fractura clauiculae eſt aut transuerſa aut obliqua; prior, extremis haud dimotis, difficilius dijudicatur; ſi obliqua fuerit fractura facillime cognoſcitur, et vix absque diſceſſione fragminum occurrit; etenim pars ſcapularis ſolet trahi deorſum a pondere brachii ipſius et actione muſculi deltoidei, dum interea actio muſculi pectoralis minoris et brachii ad pectus inclinatio extremum ſcapulare ad interiora propellit,[1] extremo thoracico clauiculae fractae ſitum haud mutante. Duplex inde deuiatio occurrit ad interiora et inferiora. *Diagnoſin* hujus fracturae ſatis facilem ſiſtunt tactus, viſus atque auditus, dum oſſa clauicularum nullis fere muſculis obteguntur, diſtinctiora euadunt ſigna a leni motione humeri et brachii in latere ſuſpecto: ſymptomata grauiora nulla ſolent comitari hanc fracturam, niſi partes vicinae, vaſa inprimis ſubjacentia, ſimul laeſae, vel a finibus fragminum compreſſae fuerint. *Sparſim* extremum acutum per cutem tranſit, qui ſtatus plerumque dilatationem cutis poſcit, antequam reductio inſtituatur.

MCCCCXIX. *Chirurgia* hujus fracturae includit oſſis fracti extenſionem, ritam reductionem ac denique deligationem. *Extenſio* ſequenti modo in-

inftitui folet: aegrotus in fedili humiliori confideat, quo facto in auxilium vocatus, fixo ad dorfum aegri inter fcapulas vno genu, manibus humeros prehendit et blande trahit retrorfum; hac encheirefi clauiculae probe extenduntur. Interea ipfe chirurgus aduerfus aegrum conftitutus digitis *offa* fracta *difceffa relocat;* cauitatem deinde fupra et infra clauiculam linteo carpto ex liquido idoneo expreffo, vel ficco, rite implet, fpleniis et ferula obtegit, et apparatum denique fafcia, quae a fpica defcendenti nomen habet, quam *folertiffime retinet*, et brachium ex mitella feu mantili fuper collum injecta rite fuspendit.

MCCCCXX. Quum vero haecce medendi ratio faepiffime ad retinenda offa haud fufficiat, alio artificio fcapularum motum reftringere, offaque remota continere cogimur. Inter varia inftrumenta, machinas ac fafcias ad hunc fcopum inuentas, delineatae ac defcriptae eximium vfum praeftant et optimo cum fucceffu adhibentur. Simili ac fimplici methodo, lorum fimplex duarum vlnarum longitudinis circa fcapulas ductum et ligula firmatum fcapulas firmare, et deuiationi fracturae ad interiora obftare poteft, minime vero deuiationi ad inferiora. Huic fcopo inferuit alia eaque fimplex fafciatio. Splenium conoideum, ad

ad ſuperiora tres pollices craſſum, humeri longitudinem aequans, altius in caueam axillarem inter truncum et brachium immittitur, qui tunc tantum faſcia larga trunco alligatur, quantum ad ſuſtinendum debitum fracturae ſitum conuenit; a ſtrictiori tamen deligatione, a preſſione vaſorum tumor inſignis brachii ac manus induci poteſt. Faſcia circulari fracturam obtegere vix conuenit, cum deuiatio fracturae ſaepe obuia haud absque totius apparatus ſolutione detegi queat. Ipſi vtramque extenſionem, eam qua ſcapulae firmantur, et eam qua humeri pars ſuperior extrorſum ducitur, ſimul cum ſucceſſu adhibuimus, fractura interea ſplenio leniter obtecta, vt ſitus obſeruari, et pro re nata, nunc vna nunc altera extenſio, nunc relaxari, nunc magis adſtringi poſſit. Brachii ope mitellae ſuſtentationem, quam pro ſanatione fracturae clauiculae ſufficere nonnulli credunt, minime ſcopo ſatisfacere vidimus. Extremorum fracturae inſignis deuiatio haud absque continua extenſione, praecipue ſi valde obliqua fuerit fractura, impediri poteſt. Qualicunque vero ratione pro retinenda fractura clauiculae vtimur, brachium adfecti lateris mitella tantum ſuſtineri debet, quantum ad aequalitatem acromiorum ſufficit. Haud diffitendum tamen, fracturam clauiculae, ſi extrema haud vltra dimidium pollicem demota fuerint, vix vlla incommoda,

 ſanato

ſanato morbo inducere, ſi vero major fuerit deuiatio, variae moleſtiae, a minuta clauiculae longitudine, et exceſſu calli ſequi poſſunt, haud vlla arte remouendae. Caueat interea aeger, ne adfecto lateri innitatur nec incumbat. Variis ſymptomatibus ad variam horum indolem occurritur.

## Fractura ſcapulae.

MCCCCXXI. *Scapulae* partibus mollibus circumdatae, ſuſtentae, difficilius quidem *franguntur*. Poteſt attamen hujus oſſis fractura contingere vel in ipſo corpore ejusdem, vel in ſpina, vel in acromio, vel in proceſſu coracoideo, vel in ceruice, vel in angulo ſuperiori et poſteriori. Corporis ac ſpinae fracturae, quarum extrema parum a ſe recedere ſolent, ſatis facili negotio iterum conglutinantur, quodſi vero alii proceſſus vel collum fractum fueriat, vti ex tactu et auditu ſub aliquali contrectatione brachii judicatur, propter muſculorum actionem ipſiusque brachii pondus facile diſcedunt partes fractae ac difficillime retinentur, quare non raro rigor aliquis, et mouendi brachium, inprimis attollendi difficultas, marcor, paralyſis, poſt fracturam conſolidatam remanere ſolent; conſimiliter ſolent huic fracturae grauia ſuperuenire ſymptomata a partium vicinarum qualicunque adfectione, vel abſceſſus ſub ipſa ſcapula fracta gigni, qui, niſi materia

teria purulenta propria grauitate inter muſculos deſcendat, ſcapulam perforandi neceſſitatem induxit.

MCCCCXXII. Ipſum corpus ſcapulae fractum ſimplici apparatu contentiuo, ſub ſitu idoneo, laxationi muſculorum fauenti, ac debita quiete ſatis facile *retineri* ac *ſanari* poterit. Longe vero difficilius negotium faceſſunt proceſſus ſeu collum ſcapulae fracta: finibus fractis proceſſus ſcapularis ab inuicem diſceſſis, adjuuans brachium lateris adfecti ad ſuperiora, et fracto proceſſu coracoideo ſimul anteriora verſus eleuat, dum interea chirurgus modo, quem judicat aptiſſimum, nititur manibus reponere fragmina diſceſſa, et hoc facto repoſita continere, ſub lenta et cauta reductione brachii ſuſpenſi in ſitum naturalem: alii ſimpliciori methodo, nempe ſub eleuatione cubiti flexi in perpendiculum, fracturam reducunt, quae medendi ratio omnino videtur praeferenda praecipue in fractura colli ſcapulae. Reductione facta, ſuperimponuntur ſplenia idonea ac chartae craſſiores fruſtatim ad figuram loci conciſae atque formatae; denique totus apparatus ope faſciae, quae ſpicae deſcendentis nomen habet, continetur. Interea probe notetur, omnia haec modo pauxillum ad continendam fracturam repoſitam valere, niſi antibrachium,

praecipue olecranon cubiti ex mitella ſuper collum injecta quam ſolertiſſime ſuſpendatur.

## *Fractura oſſis humeri.*

MCCCCXXIII. *Os humeri* poteſt *frangi* ad caput, ad extremitatem inferiorem, vel in loco inter vtrumque medio; caput oſſis humeri non niſi ſcrupuloſiſſimo examine dignoſcitur fractum, dum reliquae hujus oſſis fracturae ſatis facile ſolent ex ſignis ſenſualibus dijudicari. Fractura quaeque hujus oſſis nunc *ſimplex* occurrit, nunc *complicata*, nunc *comminuta:* fines fracti mox ſitum ſeruant contiguum, mox ab inuicem discedunt, cum longitudine membri magis minus mutata. Quoties fines fracti ab inuicem diſceſſerint, omnino ad fracturam relocandam opus eſt *extenſione*, quae ſequenti modo inſtituitur: aegroto in altiori quodam ſedili collocato, inflexo leniter aegroti cubito, ſi in *media* oſſis humeri *parte* adfuerit fractura, brachium ſupra locum fractum manibus adſtantis firmiter tenetur, aut, ſi hoc ob *altiorem fracturae ſitum* fieri nequit, vtroque pollice adjuuantis in axilla verſus caput reſiſtente figitur: alii vna manu acromio, et altera thoraci impoſita has partes figere malunt: inter haec alter adjuuans inferiorem brachii partem infra fracturam ad ſolos condylos oſſis humeri prehenſam paullo extrorſum lente ad regu-

la

las (MCCCLXXVIII.) dictas extendit. Ipſe chirurgus ſufficienti extenſione facta, os diffractum in ſitum naturalem reponit. Si inferior humeri pars prope cubitum fracta fuerit, vix valde diſcedunt fragmenta, horumque reductio ſitu potius relaxationi muſculorum fauente, quam extenſione membri faciliatur.

MCCCCXXIV. *Deligatio* alia conuenit fracturae in parte humeri ſuperiori, alia in media, et alia denique in inferiori. *Fractura in parte ſuperiori* aut ipſo capite oſſis humeri rite reducta, et extus ſplenio idoneo obtecta, puluinar craſſius ſeu ſplenium vltra pollicem craſſum, toto oſſe humeri longum, inde ab axillae cauo ad articulum cubiti vsque, inter thoracem ac paginam interiorem brachii extenditur; et mox brachium fractum, manu adjutoris in dicta extenſione retentum, lente et prouide verſus thoracem latum, faſcia circulari dolabris adſcendentibus circa brachium et pectus ductis in hoc ſitu figitur. Deinde ferulá chartacea, in ſuperiori parte excauata ac lateraliter inciſa, ita vt ſupra articulationem ſcapularem inflecti queat, vel quod praeferri meretur tres ferulae, latitudinem duorum pollicum haud excedentes, ad figuram membri adornatae, in anteriori, exteriori et poſteriori parte, ad os fractum relocatum, eadem faſcia

cir-

circulari adligari possunt. In *fractura* simplici *medii ossis* humeri, mox a reductione rite peracta membrum potest circumdari fascia circulari, et super hanc duae ferulae vtramque articulationem excipientes, et ad partis figuram probe adornatae, applicari et adligari; antibrachium vero absque suspensione processus olecrani sustineatur in situ inter supinationem ac pronationem medio immobile, ope mitellae. Fractura ad partem inferiorem ossis humeri aut articuli ipsius, vti aliae quoque complicatae, fasciam octodecim capitum admouendam, situm in lecto idoneum, ferulas adpropriatas, ac aequalem membri totius sustentationem a puluinaribus requirunt. Complicationes aliae methodum poscunt ad singulas expositam.

## *Fractura antibrachii.*

MCCCCXXV. *Fractura antibrachii*, vel os radii, vel vlnae, vel vtrumque occupat, et ad partem mediam vel extremam horum contingit. Vnius solummodo ossis fractura heic vix notabilem fragmentorum discessionem admittit, interdum attamen radius fractus versus vlnam integram, rarius cubitus fractus ad radium integrum trahitur; si vtrumque os fractum fuerit, fragmina omnino diuersimode discedere ac dislocari possunt, quin radius ac vlna ita ad se inuicem adprimi, vt ho-

rum

rum offium concretio mutua cum fupinationis ac pronationis abolitione totali fequatur. *Diagnofis* hujus fracturae folet fatis facile erui contrectatione, vifu, et crepitu percipiendo fub agitatione manus aegroti introrfum et extrorfum.

MCCCCXXVI. Vbi modo vnum os in antibrachio fractum fuerit, vix aliqua *extenfione* ad reducendos fines fractos opus eft, fed leni ac debita adaptatione, facile fatis negotio in fitum naturalem reponuntur; fi vero vtrumque os fractum fuerit, et extrema fimul receſſerint, omnino extenfio antibrachii ad relocationem fragminum neceffaria eft. Hic vero, ob indolem mufculorum, extenfio et refiftentia, haud ad ipfa offa fracta inftitui poteft. Hunc in finem antibrachium fractum figitur ab vno adjutore, qui os humeri retinet firmiter manibus circa articulationem cubiti, dum alter antibrachium prehendit circa carpum, extenditque, donec chirurgus ipfe interea fragmina dislocata repofuerit juxta regulas artis: propius jufto ad inuicem acceffis, offibus radii et cubiti fractis, eadem digitis ad juftam diftantiam verfus exteriora deducit chirurgus. Situs antibrachii fub extenfione, repofitione ac fequenti curatione fit inflexus inter fupinationem ac pronationem manus medius, vel potius in illo fupinationis aut pronationis gradu, quem ad retinenda offa

maxime

maxime conuenire obferuat chirurgus, qui situs ille esse solet, sub quo pollex ad superiora inuertitur. Reductione rite peracta, ad vtramque superficiem antibrachii, splenium longum crassum vtrinque graduatum, aut quod alii ad parandum sanguini circuitum per antibrachium faciliorem malunt, ex vtroque latere duo splenia cylindrica, breuiora, et quidem supra et infra fracturam imponuntur, fascia circulari aut octodecim capitum firmanda. Ne vero strictura fasciae ossa iterum ad se inuicem adprimat, praestat mox spleniis ferulas latiores immediate superimponere, et has denique fascia circulari firmare. Symptomata varia oritura therapiam requirunt indoli ac grauitati horum adpropriatam; superueniens tumor insignis manus dissipatur per inuolutionem ejusdem fascia circulari, nisi lectum tenere cogatur aeger; antibrachium fractum et deuinctum ex mitella suspendatur. Cautissima vero quies membri obseruetur, cum non solum a supinatione et pronatione, sed a digitorum quoque motu, extrema, praesertim radii fracti recedere possint.

MCCCCXXVII. *Processus olecranon cubiti* singularem attentionem meretur, quippe qui, si *diffractus* fuerit, a musculorum actione mox sursum trahi consueuit, et ex hac dislocatione processus, rite detecta, dignoscitur fractura. *Occur-*

*curritur* malo rita extremi dimoti adductione et continentia; adductio, muſculis anconaeis, ſub extenſione ſufficiente brachii, laxatis, ſatis facili negotio ſuccedit, cauendo, ne nec cutis inter extrema fracta prematur, nec olecranon fractum humero nimis adprimatur; facta adductione transuerſim ſuper proceſſum fractum, injicitur ſplenium craſſius, deinde cauis juxta latera proceſſus expletis linteo carpto, faſcia, quali ad patellae fracturas vtimur, applicatur, et ferula denique longior brachium et antibrachium excipiens ſuperalligatur ad extenſionem membri ritam ſuſtinendam. Inferiorum partium tumor grauior, inuolutionem debitam manus atque antibrachii, ope faſciae circularis praeſtandam, poſcit. Symptomatibus a nerui cubitalis vicini laeſione aut irritatione, interdum grauioribus, orituris, ad methodum generalem expoſitam occurritur; neque negligatur deinde, retento ſub motu extremo olecrani, cauta ac repetita aliqualis antibrachii inflexio, vt anchyloſis, ſi fieri poteſt, auertatur. Si extrema haud rite ad ſe inuicem adducta fuerint ob auctam proceſſus longitudinem, difficilior motus articuli remanere ſolet.

## *Fractura oſſium manus.*

MCCCCXXVIII. Figura ac craſſities *oſſium carpi* obſtat, quo minus vix vmquam ſimplici frac-

tura

tura diuidantur, quin potius ſaepe plura comminutionem ſubeunt, ex qua, ob partium mollium grauiſſimam adfectionem ac dilacerationem, frequentem talis comminutionis comitem, grauiſſima inſurgere ſolent mala, inflammatio nempe, vulnera, haemorrhagiae, abſceſſus, vlcera, gangraena, caries, ſymptomataque neruoſa, quae haud raro ad duram amputationis neceſſitatem cogunt. *Auertuntur*, *ſedantur ſymptomata*, vſu ſtrenuo ac tempeſtiuo remediorum generalium indicatorum, accommodandorum ad gradum ac indolem mali. Eminentiae praeternaturales oſſis fracti, extenſis in anteceſſum manu et antibrachio, in ſitum naturalem reprimuntur; feſtucae irritantes vero, quoties per circumſtantias licet, per vulnus, ſi adfuerit, aut arte incidendum extrahuntur. Primum morbi ſtadium, ſolum apparatum contentiuum, totius manus et antibrachii aequalem ſuſtentationem, ope ferulae longioris, ſpleniis ſeu puluinari inſtructa, et exactam membri quietem requirit. Fracta ſymptomatum vehementia, licet partibus laeſis majorem firmitatem conciliare per faſciam circularem idoneam injectam, vix vmquam autem anchyloſis vera ſequens auerti poteſt. *Fracturae oſſium metacarpi* occurrunt frequentiores, et rationem fractorum oſſium carpi, quoad diagnoſin, ſymptomata, prognoſin ac methodum medendi ſequuntur.

MCCCCXXIX.

MCCCCXXIX. *Offa digitorum fracta* facilius dijudicantur. Fragmina phalangum difceffa fub extenfione partis in fedem naturalem reponuntur; fafcia deinde circulari circumdetur digitus laefus ac ferulis idoneis, vel adligatione ad vicinos digitos firmatur. Quotiefcumque vero grauiffimam collifionem experti funt digitus vel manus tantam, vt nulla fanationis fpes affulgere videatur, praeftat faepe mox partem mature praefcindere, quam aegrotum longis exponere aerumnis et cruciatibus faepe eundem in difcrimen vitae conjecturis.

## *Fracturae femoris.*

MCCCCXXX. Ab injuria externa *os femoris*, in media, fuperiori vel inferiori fua parte, *fracturam* fimplicem, compofitam, complicatam, transuerfam vel obliquam fubire poteft. *Diagnofis* partis mediae aut inferioris fractae, ex fignis fracturarum fenfualibus, rationalibus, absque magna difficultate eruitur; fuperioris vero fractura, vtpote multis mufculis circumdatae, non nifi attentiffima partis laefae exploratione fimul dijudicatur, praecipue fi extrema fitum haud mutauerint. *Symptomata* hujus fracturae, pro gradu, indole, et effectu injuriae praegreffae, varia quidem ac grauia effe poffunt. Infignem obicem curationi opponit, obliquitas fracturae maxime ad fuperio-

rem

rem ossis femoris partem contingentis, quoniam situs fragminum vix trans crassiores musculos distingui potest, et figura femoris conica ipsa continendis partibus fractis repositis mire obstat. Non raro itaque situs finium fractorum iniquus, plerumque nulla arte plane auertendus, diminuit notabiliter longitudinem naturalem femoris fracti.

MCCCCXXXI. Sub *curatione fracturae ossis femoris* attendendum est

*a*) ad *situm aegroti* commodum,

*b*) ad *reductionem* fragminum,

*c*) ad *apparatum contentiuum* reductorum, ac denique,

*d*) ad *symptomatum* leuamen.

MCCCCXXXII. Lectus, cui commode committatur fracturam femoris passus, sit (MCCCLXXVII.) stragulis duriusculis stratus, sat longus, non nimis latus et ita collocatus, vt vbique accessum aegrum opitulaturis, et conuenientem trunci femoris ac cruris eleuationem ac depressionem admittat; haud secus ac copiam administrandi et auferendi commode vascula idonea pro excipiendis excrementis aegroti absque agitatione vel molestia ejus nimia. Huic scopo satisfacit lectus, cujus fundus et stragula instruuntur orificio rotundo capaci ad locum cui incumbit anus aegroti: orificia haec obturantur stragulis circularibus occluden-

dentibus perfecte orificium, et aperiuntur detractione ab infra obturaculorum, vbi opus eſt: aperta admittunt applicationem vaſculi idonei ad exonerationem aegri: hoc ſublato iterum clauduntur. Lecto autem et ſtrangulis hiſce, videntur commoditate et ſimplicitate praeſtare, ſtragula minora lumbis aegri ſubjecta, quae loris idoneis detrahi et poſt ſubductam iterum peluim cum excrementis reduci, et aegroto ſubjici poſſunt. Inter varios lectos pro femoris ac cruris fractura inuentos, ſella Vngeriana ſimpliciſſima, plerisque indicationibus optime ſatisfacere videtur. In praxi tamen, praecipue vbi res aegrorum anguſta domi, chirurgus lectorum obuios defectus proprio judicio ac ſolertia corrigere cogitur. *Situs* aegroti in vniuerſum muſculorum laxationi faueat, truncus ſit paullo eleuatior, genu altius ſitum, crus aliquomodo dependens; tota extremitas ad exteriora tantiſper inclinata, in omni ſuo puncto ſuſtentata eſſe debet. Situm extremi fracti et corporis aegroti haud raro diuerſimode mutare cogimur; deinde partem fractam repoſitam et juſte ſitam apparatu neceſſario ſubjecto muniat chirurgus, quo minus iterum ſponte ſua ſecedant extrema fracta repoſita.

MCCCCXXXIII. *Repoſitio fragminum ſeceſſorum* requirit, vt fixata reſiſtat extremitas oſſis femoris

moris fracti ſuperior, dum extenditur inferior: femur ſuperius ſubjectis puluinaribus commodis aut pannis linteis duplicatis figitur, habena latiori inter crura injecta et ab adjutore firmiter retenta, ſaepiſſime ſub muſculorum relaxatione firmior peluis ad ſtragulas depreſſio ſufficere ſolet, extenſio inferioris autem partis ob muſculorum inſignem reſiſtentiam, in robuſtioribus praecipue ſubjectis eget vi magna ſuperiori. Adjuuans forſis, prehendit manubus ambabus extremitatem femoris inferiorem, et, quoad valet, extendit: ſin minus reductioni ſufficiens extenſio fuerit, extremitati femoris inferiori, puluinaribus aut linteis complicatis bene munitae, ſuper condylos injicitur et alligatur laqueus ſeu faſcia idonea, quam attrahit adjutor. Membro in ſitu idoneo, fauenti muſculorum laxationi, collocato prius, inflexo nempe modice femore et crure, extenſio faſciae ope plerumque ad repoſitionem ſufficit: raro trochleae ſeu polyſpaſti auxilio opus eſt. Femore ſufficienter extenſo mox fragmina rite ad ſitum naturalem reponit chirurgus.

MCCCCXXXIV. Reductione rite peracta, ſupra ſplenium craſſum graduatum, cui femur incumbit, vt figura cylindrica membro concilietur, *faſcia* octodecim capitum *injicitur.* Faſciae circulares ad deligandam et continendam fracturam femo-

femoris, ob motum membri nociuum ſub applicatione haud auertendum, vix cum ſecuritate adhiberi poſſunt. Super faſciam deinde ferulae firmiores duae, externa longior vtramque articulationem excedens ad figuram partis confecta, interna breuior in ſuperiori ſua parte excauata infra genu deſcendens, loriis variis vinciuntur. Si verſus ſuperiorem partem femoris contigerit fractura, ferula externa commode ad cingulum latius circa peluim ductum firmatur. Denique linteamen craſſum, in cylindri figuram conuolutum, juxta totam totius extremitatis longitudinem, ex vtroque latere alligatur; hoc lectuli ſtraminei locum tenere poteſt, quo pedis ac cruris quies ac firmitas ſimul ſuſtinentur: ſymptomatibus ceterum variis futuris, ad methodum generalem expoſitam occurratur. In fracturis femoris obliquis in vniuerſum colligatio extremitatum mox deſcribenda egregie conducit.

MCCCCXXXV. *Fractura colli femoris*, ſaepiſſime a contuſione trochanteris, vel a ſaltu crure extenſo ortum ducens, ob hujus majorem tenúitatem ac laxiorem celluloſam texturam haud infrequens, propter figuram naturalem ac muſculorum directionem ſemper obliqua eſt; inde vix vmquam extrema fracta oppoſita manent, ſed inferius a vi muſculorum circa trochanterem majorem

jorem insitorum, versus superiora et posteriora fertur. *Signa* hujus fracturae, a luxatione rite dignoscendae, sunt, post grauem injuriam allatam, minuta femoris longitudo, trochanteris altior versus posteriora situs et sub rotatione genu major mobilitas, genu aliqualis inflexio, hujus et digitorum pedis versus exteriora inclinatio, lateralis genu motus minus difficilis, quam sub luxatione, vt plurimum absque sensu crepitus; nisi facta extensione, quae extrema fracta ad contactum mutuum ducit. Dolor in inguine vehementior esse solet, et leuatur motu genu ad interiora. In vniuersum motus femoris actiuus, si fractura colli adfuerit, difficilior est quam passiuus, aut si luxatio adfuerit. *Prognosis* hujus morbi semper est ambigua, saepe minuta femoris longitudo, membri aliqualis rigiditas et debilitas remanet, praecipue vbi ad angustiam fortunae negligentia chirurgi accesserit. Fracturam capitis femoris cartilagine obducti vix sanationem admittere experientia docuit.

MCCCCXXXVI. Cardo sub *curatione* praecipuus versatur, post repositionem debitam, in debita retentione fracturae ac firmitate apparatus continentis tanta, qua superat vim musculorum alias facile fragmina reposita diducturorum. Encheiresis hucusque vsitata sequens est. Extensio, resi-

refiftentia ac repofitio peraguntur modo in chirugia offis femoris medii fracti dicto. Conuenit tamen fub extenfionis initio, genu in fitum naturalem verfus exteriora dirigere, ac ipfam extenfionem in directione adductionis inftituere. Fafciae vix ad retinendum collum femoris fractum faciunt, fufficit partem laefam apparatu contentiuo cingere, ad quem fcopum major fafcia octodecim capitum, cujus fuperiora capita circa peluim ducantur, inferuire poteft, fub continua extenfione injicienda. Super imponatur deinde ferula, externa longa larga, in fuperiore parte lata, ad figuram peluis adornata, foramine feu cauo pro recipiendo trochantere inftructa, infra genu defcendens, figuram aliqualis inflexionis genu aemulans: interna ferula fit breuior, fuperius excauata, ad inferiora quoque infra genu defcendens, itidem ad figuram aliqualis inflexionis genu formata. Alligantur ferulae loro feu cingulo lato circa peluim ducendo, altero infra trochanterem vinciendo, tertio fupra genu, ac quarto infra genu circa tibiam ducendo. Haec deligatio haud raro extrema offis fracti in fitu naturali continere valet, quod ipfi pluries obferuauimus.

MCCCCXXXVII. Accidit tamen, vt haecce deligatio, rite licet peracta, haud fuccedat, fed

vt imminuta iterum femoris longitudo offis fracti nouam dimotionem indicet: recurratur tunc ad *extenſionis ac reſiſtentiae ſuſtentationem*, difficilem quidem atque moleſtam, ſed neceſſariam. Haec duplici modo peragi poteſt:

*a*) *faſcias* nempe et

*b*) *machinis.*

Et primo quidem linteum amplum longum, ſiue mantile inter femora circumdata ſpleniis interjectum ad ſuperiorem lecti partem adfigitur, quo corpus ſuſtineat, ne deorſum eat; deinde ſupra genu, circumuolutum ante linteamentis, caute injicitur habena, quae ad partem lecti inferiorem ope cochleae ita jungitur, vt extenſio per gradus augeri, minui poſſit. Moleſtiis a diuturna preſſione orituris, interdum grauioribus, excoriationi cutis, inflammationi, oedemati, gangraenae tempeſtiue occurritur cauta habenarum conſtrictione, ſubjectis ſtragulis, linteaminibus, mutatiane aliquali loci compreſſi, et apparatus, ad circumſtantias repetita, inuolutione pedis ac cruris debita. Nonnulli habenam ſuperiorem inter crura ductam, in ſano latere, ac inferiorem, ſupra malleolos injiciendam, ſuadent, quibus, laxatis prioribus, extenſio ſuſtineri poterit. Altera extenſionem ſuſtinendi ratio inſtrumentis eu machinis variis perficitur. Inter varia inſtru-

ſtrumenta ad hunc ſcopum confecta et excogitata, machina cl. Aitken praeferenda nobis videtur. Extenſio per viginti aut viginti quinque dies absque partis deuiatione, ſeu longitudinis diminutione continuata ſufficit. Reliqua therapia ad generalem tractationem fracturarum earumque ſymptomata adornatur.

MCCCCXXXVIII. Longe certiori cum effectu *ſequens deligatio* adhibetur, cuius methodi praeſtantiam certa, conſtans, propria quoque experientia euicit. Aegroto in ſtragulis firmis in ſitu horizontali collocato habena latior inter femora ducta ac rite retenta, reſiſtentiam facit; alter adjuuans ſupra genu extenſionem inſtituit: ſub hujus initio ipſe chirurgus, manu interiori ac ſuperiori femoris parti admota, hanc oſſis partem extrorſum ducit, ne partes molles inter fracturam detrahantur, et vt contritus extremorum oſſis fracti impediatur. Reſtituta membri longitudine chirurgus una manu genu introrſum in ſitum naturalem ducit, altera trochanterem verſus cauum articulare dirigit. Membro tunc in ſitu erecto ad latus ſanae extremitatis ſito et aequalis cum hac longitudinis, interpoſitis ad totam longitudinem ſtragulis, ſpleniisque craſſioribus ad exteriora, *extremitates ad ſe inuicem* ſupra genu et malleolos *alligantur.* Ferula firma,

 larga,

larga, de offis Ilei margine infra genu defcendens, circa peluim et genua alligata, fimul apparatum adeo retinet, vt extrema offis fracti vix deuiationem fubire poffint. Eadem medendi ratio in fracturis partis fuperioris et mediae offis femoris obliquis, haud (MCCCCXXXI.) defafciatione defcripta retinendis, maximo cum fucceffu adhibetur.

MCCCCXXXIX. Fracturae colli femoris vt plurimum vti aliae fracturae vero callo reuniuntur, et planariam fanationem absque remanente difformitate admittunt, faepiffime tamen obliquitas colli directionem magis transuerfam induit; interdum caput offis femoris de collo folutum, nouis ligamentis, de ipfa offis fubftantia progredientibus jungitur absque calli veftigio; interdum plane nulla reunio capitis cum collo fuccedit, quod fenibus, cacochymicis, et ubi fractura in ipfo capite, cartilagine obtecta adfuerit accidere poteft; caput tunc, nutritione forfan orbatum euanefcere plane folet, et collum tunc demum nouam fibi cauitatem parare poteft.

## *Fractura patellae.*

MCCCCXL. *Fractura patellae* transuerfa, a contractione violenta mufculorum extenforum cruris fub flexione hujus, dum fuperficies pofterior pa-

patellae puncto trochleae femoris innititur, haud infrequenter accidit, ad ſuperiorem, mediam, aut in inferiorem partem patellae; rarius eadem ab injuria grauiſſima externa in plura fragmenta diuiditur; vix vnquam ſimplicem fracturam longitudinalem ſubit, niſi oſſis ab inſtrumento ſcindente diuiſionem exceperis. Fractura transuerſa *dignoſcitur* a ſenſu ſpatii inter fragmenta, majoris, minoris, dum pars ſuperior ſemper ab actione muſculorum trahatur ſurſum; et tanto quidem altius, quo major ſimul ligamentorum lateralium dilaceratio fuerit; pars inferior immota haeret. In oſſe comminuto ſeu fractura longitudinali, ſin vmquam talis contigerit, poteſt ſub agitatione manuaria fragminum diſtingui ſtrepitus minime cum ſtrepitu contuſionis ſequela confundendus.

MCCCCXLI. Quoad *prognoſin* notetur, fracturam patellae, nunc majorem nunc minorem ſanationis gradum admittere. Fragmenta oſſea enim nunc arctius inter ſe junguntur, nunc majori, minori a ſe inuicem diſtantia remanent; in poſteriori caſu infirmitas atque debilitas articulationis ſemper erit notabilior, quam in priori. Patella fracta vero triplici modo reuniri poteſt.

*a*) vero *callo*, a nonnullis obſeruato,

*b*) pro-

b) *prolongatione ligamentorum* et expanſionum aponeuroticarum ad ſuperficiem anteriorem et margines patellae;

c) *conglutinatione* firmiori ope ſubſtantiae intermediae cartilagine ſimili. Vltimae nexus ſpecies ſimul adeſſe ſolent.

MCCCCXLII. Patellam fractam vero callo reuniri poſſe nunquam ipſi obſeruauimus. Inter centenas patellas fractas, ad adſpectum perfecte ſanatas, quas poſt mortem indagare, vel in variis collectionibus anatomicis et pathologicis videre, mihi licuit, ne vnicam quidem inueni, quae non ad longitudinem diſſecta lineam decolorem, haud vere oſſeam, monſtraſſet et rite ſeparatis omnibus partibus mollioribus, ſub diuturna maceratione vel coctione in aqua, haud facilem ſolutionem admiſiſſet. Liceat inde concludere, patellam fractam, rariſſime ſi vnquam, vti alia corporis humani oſſa vero callo concreſcere, ſed fragmenta ſolum mediante ſubſtantia firmiori celluloſa, cartilaginoſa, cum ligamento mucoſo concurrente, conglutinari, et firmiore cicatriſatione ligamentorum contineri, quod conſtans experientia in viuis et cadaueribus nos edocuit.

MCCCCXLIII. Veriſimilis cauſa deficientis in hoc caſu calli, in ligamento mucoſo atque ſub-

ſubſtantia glanduloſo-celluloſa partem anteriorem caui articularis occupante haerere nobis videtur. Etenim haec ſubſtantia extenſo crure, partim ob tenſionem ligamenti cruciati anterioris, partim ob minorem trochleae articularis femoris cauitatem, ad anteriora vt prematur neceſſe eſt, et fracta patella, inter fragmenta hujus tanquam locum minus reſiſtentem cogatur: haec itaque dictae ſubſtantiae propulſio obſtabit prolongationi vaſorum patellae, concurſui eorundem, atque adeo callificationi. Neque tamen defectus futuri calli vindicat chirurgum a debita opera, in adducendis et continendis fragminibus oſſeis, cum experientia teſte ſequens infirmitas cruris et praeſertim difficultas, imo impotentia, innitendi in pede aliquantulum flexo augetur, pro gradu diductorum fragminum.

MCCCCXLIV. Fractae transuerſim patellae *curatio*, fragmenta adducenda, et adducta continenda imperat. Situs aegroti ſub reductione hic maximam adfert ſymbolam; ſi fragmenta haud multum a ſe inuicem diſtent, ſolus ſaepe ſitus pro ſanatione fracturae ſufficit. Sit vero ſedens, cum crure extenſo et ita eleuato, vt femur faciat angulum rectum cum abdomine; relaxatis ſub hoc ſitu muſculis pars patellae ſurſum tracta pollice ac indice chirurgi ad inferiorem

rem exacte adducitur ac retinetur. Gradus eleuationis pectoris atque femoris de contactu fragminum fracturae pendet, nunquam major ſit, quam quae ad hunc ſcopum obtinendum ſufficit; ſaepe aliqualis inflexio genu concedi poteſt. Si contactus patellae fractae, ſitu idoneo, faſcia circulari de abdomine ad genu et de pede ad partem fractam adjecta ſimul, haud effici poſſit, omnino ad aliam deligationem refugere cogimur. Quae medendi ratio tamen haud indicata videtur, niſi in anteceſſum inflammatio ac dolor, abſint.

MCCCCXLV. Faſcia pro continenda patella fracta maxime commoda ſequenti modo applicatur. Ad vtrumque latus patellae adductae ſplenia firmiora, vlnae circiter longitudinis, applicantur, quae faſcia circulari ſupra et infra genu injecta firmantur: inter circumuolutiones faſciae ponitur fruſtum chartae firmioris, obſtiturum, ne faſcia deinde corrugetur, reclinatis tunc ſupra faſciam ſpleniorum extremis, ſuperiora deorſum et inferiora ſurſum plicantur, et vberiori circumductione faſciae circularis firmantur, ita extrema firmiter continentur, et ſimul inquirendi in ſitum fragmentorum locus conceditur. Symptomatibus a faſciae conſtrictione oriundis quae in vniuerſum faſciae ſtrictioris ſolutionem

pos-

poſcunt, totius extremitatis inuolutione juſta occurritur; alias hic quoque machina cl. Aitken optimo cum ſucceſſu adhiberi poterit, vel faſcia cum ſimplicitate valde idonea cl. Evers. Alii reductione facta, ſolo ſitu ac totius extremitatis inuolutione ad abdomen vsque, debitam partium continentiam ſuſtinuerunt. Situs ſub curatione idem ſit, qui ſub reductione conuenit pectore nempe et crure extenſo, eleuatis; neque tamen per longum tempus ad lectum cogatur aeger. Inflexio genu, ſubjecta et alligata ferula longiori firma de medio femore ad medium crus vsque extenſa, vel ipſum pedem ſuſtinente, auertitur. Conuenit tamen ad auertendam anchyloſin, vt ſub curatione, inter retinendam ſuperiorem partem oſſis fracti, genu ſaepius aliquantulum flectatur. Neque aliam therapiam poſcit ligamenti inferioris patellae ruptura. Patella comminuta poſt domatam ante ſymptomatum vehementiam poſcit eandem medendi rationem, ſi fragmenta ſurſum tracta fuerint; lateraliter dimotae partes oſſeae repreſſione facta, ſpleniis ad latera admotis et apparatu contentiuo modice adſtricto ſatis facile negotio continentur. Reliqua ſequuntur therapiam ſymptomatum fracturarum generalem. Vix tamen ob rationes (MCCCCXLV.) dictas curatione peracta,

acta, aegrotus in genu inflexo firmiter inniti poterit.

## *Fractura cruris.*

MCCCCXLVI. *Tibia et fibula* ab injuria externa in media, ſuperiori, ac inferiori ſua parte ſingulae vel ambae ſimul, in eodem loco ſeu magis, minus diſſito *fracturam* ſimplicem, compoſitam, complicatam, obliquam, transuerſam, rariſſime longitudinalem ſubire poſſunt. *Diagnoſis* fractae tibiae a ſignis generalibus ſenſualibus, rationalibus, ſatis facili negotio eruitur; fibulae e contrario fractura, quae a ſola muſculorum actione violenta interdum contingere poteſt, vix per ſcrupuloſiſſimum etiam examen certe indagatur, ſtrepitus namque in oſſe hoc tenuiori fracto haud raro deeſt, neque haec fractura omnem quidem inceſſus potentiam tollit. Tibia vero ſola fracta, fibula mox frangi ſolet, quam primum aeger pedibus inniti audet. *Prognoſis* in genere indolem fracturae ac ſymptomatum ſequitur.

MCCCCXLVII. Situs ſub repoſitione et curatione talis ſit, vt totum crus paullo extrorſum directum plano horizontali, ad pedis circiter altitudinem ſuper reliquam lecti ſuperficiem eleuato, aequaliter incumbat, niſi vulnus praeſens hunc

hunc ſitum vetet; ſitus lateralis in lectis, plumoſis praecipue, vix per longum tempus rite ſustinetur. Reſiſtentia fiat ad partem ſuperiorem cruris, extenſio vero ad malleolos, pede ſimul amplexo. Manus adjuuantis robuſti ad extenſionem ſufficere ſolent, raro laqueis ſeu machinis opus eſt. Reductio tibiae fractae debita adaptatione criſtae ac ſuperficiei interioris perficitur. Fibula vero, ſi ad tibiam in media parte adpreſſa fuerit, vix ob muſculorum craſſitiem vlla encheireſi extrorſum cogi poteſt; cum digiti namque per craſſiores carnes modo parum efficiunt, malleoli externi compreſſio haud ſufficere ſolet, et ſplenia inter tibiam ac fibulám in parte anteriori ac poſteriori admota, multis commendata, nullum effectum edere poſſunt. Fibulae tamen deuiatio, rite adaptata tibiae, neque difformitatem nec inſignem moleſtiam gignere ſolet.

MCCCCXLVIII. Facta reductione, pars ſub continua extenſione et cautelis antea expoſitis, ſimplici apparatu contentiuo, ſeu faſcia octodecim capitum circumdatur; huic imponantur ferulae ad figuram partis confectae, malleolos excipientes, longitudinem cruris excedentes, loris firmandae, quibus pes ſimul contineri poterit; reliqua tractatio expoſitam in fracti femoris chirur-

rurgia ſequitur. Sin minus ſimplici hac methodo fracturam obliquam continere licet, refugiatur pro ſeruanda longitudine naturali partis fractae, ad jugam fixuram et extenſionem cruris. Fixura infra genu ad ſuperiorem cruris partem, extenſio vero ad malleolos et pedem inſtituantur modo in chirurgia femoris fracti expoſito. In hoc quoque caſu, inter varia ingenioſiſſima inuenta, cl. Aitken et Pieropani machinae vtiliſſime adhiberi poterunt; tunc quidem maxime, ſi majora fragmenta ambitus oſſis ſeceſſerint; et hic quoque adligationem extremitatum ad ſe inuicem proficuam fuiſſe vidimus. Complicationes aliae generalem medendi rationem expoſitam ſequuntur.

## *Fractura oſſium pedis.*

MCCCCXLIX. Inter fracturas oſſium pedis peculiarem pertractationem ſibi vindicat *fractura tuberoſitatis* oſſis *calcanei*, quae interdum ab injuria externa, rariſſime a ſola muſculorum actione violenta contingere poteſt. Si talis fractura adfuerit, pars diffracta a muſculorum ſuralium actione ſurſum trahitur, quemadmodum ex hujus tactu morbi indoles certe dignoſcitur. Partis dimotae in ſitum naturalem repoſitio, muſculis ſuralibus inflexione genu laxatis, ac adjuuantis ope deorſum preſſis, ſub pedis extenſione,

chi-

chirurgi digitis perficitur. Transuerſim deinde injecto ſupra partem fractam ſplenio craſſiori, faſcia circulari duobus capitibus, ſupra pedis articulationem ſe decuſſantibus, pars circumdetur; extenſio pedis vero ac ſitus genu inflexus, ſcrupuloſiſſime ſeruetur, apparatu, ei, quem ſub tendinis Achillis ruptura (MLXXVIII.) deſcripſimus, ſatis ſimili. Reliquae fracturae oſſium tarſi, metatarſi ac digitorum chirurgiam fracturarum oſſium manus ſequuntur. Notandum denique chirurgiam fracturarum in vniuerſum potius autopſia et exercitio proprio quam a deſcriptione qualicunque addiſcendam eſſe.